
Digitized by Google

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
RACCOLTA
VILLAROSA
F
321
NAPOLI

Digitized by Google



DE APPELLATIONIBVS OMNIVM ECCLESIARVM AD ROMANAM S. PETRI CATHEDRAM

Aduersus huius temporis hæreticos & schismaticos

OPVS RECENS, NVNC PRIMO COMPOSITVM.

AVCTORE

Fr. ANGELO PETRICCA A SONNINO

Ord. Min. Con. S. Franc. Art. & sac. Theol. Doct. S. Cong. pro emendatione Euchologij Græcorum Theologo: olim Vic. Patriarchali Constantinop. nunc autem in Conuentu SS. XII. Apostolorum de Vrbe sacrorum Dogmatum Lectore.

ROMÆ, APVD FRANCISCVM ALBERTVM TANVM. M. DC. XLVIIII.
SVPERIORVM PERMISSV. *Opus secundum Auctoris.*

Digitized by Google

Digitized by Google



Sanctiſsimo & Beatiſsimo Patri

AC D. N.

INNOCENTIO DECIMO

PONTIFICI MAXIMO.

DATHAN & Abiron, ſchiſmaticorum ante ſignani, Moyſis principatum venerari renuentes, dum miſerrimè pereunt, rebellantium hæreticorum reatum pergrauem ac deteſtabilem eſſe, vniuerſo hominum generi palam aperuerunt. Etenim Legifer ille, quemadmodum diuina Scriptura teſtatur, vt iura Primatus ſui deſuper accepta edicere compleuit, *Confeſtim dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſam ſubſtantiam eorum, deſcenderuntq; viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis*. Num. cap. 16. Græcorum, ac Orientalium reliquæ Nationes BEATISSIME PATER, eorundem culpam ſectati, cum Petri ſupremam in Eccleſia poteſtatem contemnere auſi fuerint, eandem incurriſſe iacturam, cunctis gentibus patet, & proprijs oculis perſpexi, illarumquè euerſionem, excidium, ac exterminium, non ſine animi triſtitia contrectaui. Sed quod deplorandum ſupereſt, eſtò ſola diuini iudicij vindicta, cri-

* 2 minoſi

minosi schismatis non obscurum reddat testimonium; attamen errorum tenebris obuolutæ, proprium flagitium patrocinari non desinunt; veritatis cultores insuper falsitatis insimulantes, quamobrem volumen hoc de antiqua omnium Ecclesiarum ad Romanam S. Petri Cathedram Appellatione aggredi volui, vt eorum peruicaciam redarguerem, & rationibus ac Patrum suorum gestis refellerem. Quod cum factum sit, sub Augustissimi Nominis Tui auspicijs in lucem exire constitui. Iura enim Romanæ Cathedræ cum tueatur, non alteri congruit, nisi cui Cathedram hanc Diuina prouidentia concessit. Nec ambigo quin BEATITVDO VESTRA hoc laborum meorum munusculum sereno vultu sit acceptura, cum sit humillimæ ac filialis meæ obseruantiæ & addictissimi animi monimentum, grauissimæ Maiestati Tuæ æqua mente consecratum. Cui à Deo Optimo Maximo omnia Diuina & humana subsidia ad felicem Ecclesiæ gubernationem apprimè necessaria deprecor: obnixeque rogo vt Diuina bonitas TE SANCTISSIME PATER diu seruet & Vrbi & Orbi incolumem. Romæ Anno Christi Domini. 1649. Mense Septemb.

Beatitudinis Tuæ

Seruus humillimus.
Fr. Angelus Petricca à Sonnino Min. Con.

Digitized by Google

INDEX LIBRORVM DISPVTATIONVM ET CONCLVSIONVM

LIBER PRIMVS DE APPELLATIONIBVS IN GENERE DISPVTATIO PRIMA.

QVid sit Appellatio, & quem habeat in re proposita significatum.
Appellatio est à minori ad maiorem Iudicem prouocatio.

DISPVTATIO SECVNDA

An omnium Ecclesiarum appellationes ad Romanam S. Petri cathedram, initium sumpserint post concilium generale Sardicense, quod dicitur appendix concilii Nicæni primi: vel fuerint ab initio.

Omnium Ecclesiarum Appellationes Romanæ Petri cathedræ, non medio alicuius concilij canone, sed iure diuino & Christi Iesu statuto congruere, & obtingere, idque tanquam fidei dogma tenendum esse dicimus.

DISPVTATIO TERTIA

An appellationes ad Romanam S. Petri cathedram fuerint, & fieri debeant ad ciuiles Ecclesiæ controuersias dirimendas, an verò etiam ad fidei veritatem decernendam ac aperiendam.

Appellationes ad Romanam S. Petri cathedram à cunctis Nationibus fieri debent, non tantum ad ciuiles Ecclesiarum controuersias decidendas, verum etiam ad fidei & morum veritatem decernendam ac aperiendam.

DISPVTATIO QVRTA

An Spiritus sanctus sicut à Patre sic à Filio procedat.

Spiritus sanctus ex Patre Filioque procedit.

Spiritum sanctum procedere etiam ex Filio septima generalis synodus statuit.

Spiritum sanctum procedere etiam ex Filio semper fuit creditum ab Ecclesia.

DISPVTATIO QVINTA

An concilium particulare, præsente & iudicante Papa fidei controuersias, vniuersam obliget Ecclesiam.

Concilium Nationale, præsente & iudicante Papa fidei controuersias, vniuersam obligat Ecclesiam.

LIBER SECVNDVS

DE APPELLATIONIBVS IN SPECIE

DISPVTATIO PRIMA.

DE Appellationibus Ecclesiæ Alexandrinæ.
Patriarcha Alexandrinus, Romanæ cathedræ S. Petri, sicut ouis Pastori suo subiectus est.

DIS-

DISPVTATIO SECVNDA

De Appellationibus Ecclesiæ Antiochenæ.

Patriarcha Antiochenus Romanæ sancti Petri cathedræ, sicut ouis Pastori suo, subiectus est.

DISPVTATIO TERTIA

De Appellationibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ.

Patriarcha Constantinopolitanus Romanæ sancti Petri cathedræ, sicut ouis pastori suo subijcitur.

DISPVTATIO QVARTA

De Appellationibus Ecclesiæ Hierosolimitanæ.

Patriarca Hierosolimitanus Romanæ sancti Petri cathedræ sicut ouis pastori suo subijcitur.

DISPVTATIO QVINTA

De appellationibus Ecclesiæ Africanæ.

Ecclesia Africana, Romanæ sancti Petri cathedræ sicut ouis suo pastori subijcitur.

DISPVTATIO SEXTA

De Appellationibus Ecclesiæ Hispaniarum.

Ecclesia Hispaniarum Romanæ sancti Petri cathedræ sicut ouis suo Pastori subijcitur.

DISPVTATIO SEPTIMA

De Appellationibus Ecclesiæ Galliarum.

Ecclesia Galliarum Romanæ sancti Petri cathedræ sicut ouis suo pastori subijcitur.

DISPVTATIO OCTAVA

De Appellationibus Ecclesiæ Germaniæ.

Ecclesia Germanica Romanæ sancti Petri cathedræ sicut ouis pastori suo subijcitur.

DISPVTATIO NONA

De Appellationibus Ecclesiæ Anglicanæ.

Ecclesia Anglicana Romana sancti Petri cathedræ sicut ouis suo pastori subijcitur.

DISPVTATIO DECIMA

De Appellationibus Ecclesiæ Italicæ.

Ecclesia Italica Romanæ sancti Petri cathedræ sicut ouis suo Pastori subijcitur.

Finis Indicis Librorum & Disputationum.

Fr. MICHAEL ANGELVS CATALANVS à sancto Mauro Art. & sacræ Theologiæ Doctor, totius Ordinis Minorum S. Francisci Conuentualium Minister Generalis.

OPVS, cuius titulus est De Appellationibus, &c. elaboratum à P. M. Angelo de Sonnino nostri eiusdem Ordinis, atque examini & recognitioni P. M. Bernardini ab Herceto à nobis commissum; cum ab illius diligenti indagine peruentilatum, nihil repertum sit continere, quod illi ad prælum viam præcludat; vt prælo detur his nostris, seruatis seruandis, Concedimus. Dat. Messanæ die sexta. Ianuarij 1649.

Fr. Mihael Angelus M. Gener.

F. Bonau. de sextro V.Sec.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Mag. F. Vincentio Candido Sacri Palatij Apostolici Ordinis Prædicatorum.

A. Riualdus Vicesg.

Imprimatur. Fr. Raymundus Capisuccus Magister & Socius Reuerendiss. P. Fr. Vincentij Candidi Sac. Pal. Apost. Mag. Ord. Præd.

EX Commissione Reuerendissimi P. Mag. Sac. Palatij perlegi Librum cui titulus. De Appellationibus omnium Ecclesiarum ad Romanam D. Petri cathedram, &c. ab Admodum Reuerendo P. Fr. Angelo Petricca elaboratum: & cum in eo nihil, quod aut sanctæ fidei aut bonis moribus aduersum sit, offenderim: immo summa eruditione refertum quo optimè totius orbis Ecclesiarum subiectio, Romanæ, palam fit: existimo dignum vt publici iuris fiat; Typisque mandetur. Ita subscripsi in Ædibus nostris S. Andreæ de Valle. Romæ 10. Kal. Februarij 1649.

D. Augustinus de Bellis Cleric. Regular. S. T. P. & S. Congregationis Indicis Consultor.

DIsputationes hasce de Antiqua Appellatione omnium Ecclesiarum ad Romanam cathedram sancti Petri, ab eximio Doctore fratre Angelo Petricca de Sonnino summa diligentia elaboratas; iussu Reuerendissimi P. Mag. Michaelis Angeli Catalani de sancto Mauro totius Seraphici ordinis nostri Minorum Conuentualium Generalis Ministri lustraui; Et cum in eis quidquam in fidei Dogmatibus, aut morum institutionibus dissonum compererim; Idcirco luce, & laude dignas censui. Romæ Kalendis Decembris millesimi sexcentesimi quadragesimi octaui.

Fr. Bernardinus Eretinus S. Theol. Mag.

Digitized by Google



AD LECTOREM

Admonitio.

IN præsenti Opere de Appellationibus, prudens Lector, cùm Decisiones quasdam inter Appellationes, seu sub Appallationum nomine relatas inuenies: item Epistolas nonnullas ab Ecclesiarum Præsulibus Sedi Apostolicæ exhibitas, quibus sola tunc scribentium subiectio aperitur: id factum fuisse scito, primùm quia finis Operis est, cunctarum Ecclesiarum subiectionem ad Romanam sancti Petri Cathedram demonstrare: idcirco omnia quæ à particolaribus Ecclesijs erga Apostolicam Sedem gesta sunt, earundem subiectionem indicantia, & si Appellationes propriæ non sint, enarrantur ac recensentur. Secundò quia Opus hoc, cum de Appellationibus inscribatur, Appellationis nomen etiam aliquibus decisionibus ac resolutionibus quandoque tribuitur ad Operis vnitatem seruandam ac declarandam. Nec in posteriori libro cùm Appellationes speciales enarrantur, quod ad historiam spectat deesse putes, quia decretales Epistolæ tantùm exponuntur: ipsæ enim munus hoc exequuntur, vt illas Tibi perpendenti patebit.

Digitized by Google

A

TRACTATVS
DE ANTIQVA APPELLATIONE OMNIVM ECCLESIARVM AD ROMANAM S. PETRI CATHEDRAM.

Operis Nota, & Argumentum.

B



ADVERSVS Catholicam Ecclesiam Christi Iesu Saluatoris nostri, inferorum portas crudele & exitiosum bellum ab initio suscepisse, adeò perspicuum est, vt nemo sit qui ambigat: cum & de hac ipsa re omnes experientia moneat, & præsens nostra causa suadeat. Etenim illius hostis nimis ferus, & immanis Satanas, cum ab Orbe Idolorum superstitiosum cultum, Apostolica prædicatione fugari, atque repelli compræhenderet, Tyrannorum nequitia, & diuersarum hæresum colluuie munitus, repentino impetu contra illam irrupit: ideoque nullum adfuit sæculum ab eiusdem Redemptoris nostri
C in Cælos ascensione, in quo aliquas non dederit hæreses, aut ex veteribus quasdam non innouauerit; vt sic pacem ab ecclesia pelleret, Orbem nouis erroribus cæcum redderet, & obscurum, & in Petri Nauigium imbres procellasque immitteret. Enimverò nulla fuit Nauis, quæ feruenti pelago sic fluctuauit vnquam, velut Christi Ecclesia sub Petri clauo reposita. Hinc non aliud esse videtur sæculorum Ecclesiæ seriem texere, quam insectatorum, & exagitationum numerum expendere. Facinus ab eodem Saluatore vniuersis Gentibus præmonstratum, cùm Petro dixit, *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum.* Lucæ 22.

At qui pretio sui sanguinis Ecclesiam sanciuit, eam impugnandam, at nunquam expugnandam firmiter pollicitus fuit: idcirco ait. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Lucæ 22. Matth. 16.
D *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et res ipsa id aperit; nam quo fortiori impetu illam aggreditur, eo gloriosiori victoria fulget: Tyrannos enim deiecit, Iudæos depressit, hæreticos spreuit, & conculcauit; si quidem *certamen forte dedit illi Dominus vt vinceret.* Sap. 10.

Sed ò perniciosum conflictum! ò prælium inter omnia certamina incommodum! etenim quid inter omnia bella hæresi periculosius? inter omnia flagitia quid scelestius? inter omnia mala quid perniciosius? inter omnes iacturas quid deterius attulit dispendium? Hæresis enim Auctorem omnium bonorum blasphemat, diuinam doctrinam fœdare conatur, salutis aditum occludit, Redemptionis opus futile reddit, veritatem ab Orbe arcet, vitia inducit, Christianas virtutes repellit, pietatem prohibet, ad omnia scelera viam parat, infernum implet, Dæmonum sæuitiæ inseruit: nam hæretici Dæmonum sunt progenies, eisque optime congruit, quod peruersis

A hominis

Digitized by Google

Matth. 13. hominibus dicebat Baptista. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira,* A

Verùm non sinè animi tristitia perpendere licet, quod etsi omnium sæculorum vehiculo ortæ sunt hæreses, hac tamen tempestate tot adsunt hæreticorum monstra, vt plus sectis Orbis fœdetur, quàm Prouinciarum numero confletur. Huiusmodi inter omnia sæcula perniciosior ætas, ab Apostolo, ni fallor, præmonstratur, cum inquit [In nouissimus diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sinè pace, criminatores, incontinentes, immites, sinè benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei; habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, & hos deuita.] B

2. Tim. 3.

In tanta ergo variarum hæresum inundatione, vir catholicus, quid vtilius aggredi potest vel debet, quam Petri Cathedram tueri, eamque ab initio sic Deo disponente semper fuisse veritatis magistram ostendere? nam sicut nunquam fuit in Orbe hæresis, quæ Petri Cathedram spernere, eamq; vt euerteret, tentare non præsumpserit, vt postmodum hæreses superseminare facile contingeret; sic Doctor Catholicus, hanc primò vindicare tenetur, vt hæreses non difficulter refellendi aditum aperiat. Nec ad id obtinendum aptior erit via, quàm si à prima ætate, omnium Ecclesiarum iudicem & magistram eam fuisse ostenderit, omnesque ad illam, tanquam ad caput, & supremum tribunal omni tempore appellasse, demonstrauerit: hac enim via, & multorum Orientalium tetrum schisma, & Aquilonarium prophanas hæreses iurè redarguet. C

Etenim cum in conspectu atquè oculis omnium patefiet, omnes Ecclesias, Romanam Cathedram velut Iudicem à principio, & vsque ad annum Domini octingentesimum appellasse, huiusmodi dogma verissimum esse constabit. Nec supra octingentesimum annum huius veritatis seriem texemus, ne Lectorem dicendorum longitudine grauemus. Quis enim mentis compos non faciendum existimabit, quod Ecclesia ab Apostolis, & Apostolorum auditoribus ab initio edocta operata est, & assiduè per annos octingentos prosequuta fuit?

Modernioribus autem, qui huic veritati reluctari ausi sunt, dicemus cum Cap. 8. Iob. *Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga Patrum memoriam.* Quid enim iniquius quam Patrum fidem, doctrinam, & statuta abijcere & redarguere, & proprium iudicium venerandæ antiquitati præferre? D

Deut. 32. cum scriptum sit. *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Cuicunque enim si ad eligendum proponatur, an antiquæ Ecclesiæ, vel hominibus recentioribus, opposita opinantibus, fides adhibenda sit; eum nouitates, velut prophanas voces fore abijciendas, pristinam autem doctrinam amplectendam, iudicaturum, minime vereor. imó cum huiusmodi Nouatores nobiscum in hac causa certare ausi fuerint, illud idem dicemus quod in sui patrocinium M. Aemilius Scaurus, aduersus Varium Sucronensem eius accusatorem apud Populum, prompsit, vt notat Valer. Max: Erat autem Sucronensis parum veritatis amator, at M. Aemilius animi rectitudine fretus, longa sui accusatione percepta, eam sic paucis verbis retundit. Quirites Varius Sucronensis ait: Aemilius Scaurus negat, vtri potius

Lib. 3. de fiducia sui.

cre-

A credendum censetis? his verbis annuente populo, vir a culpa immunis, impositam sibi censuram inanem reddidit. In re nostra hoc idem contingere affirmandum est. siquidem veteres omnium Ecclesiarum Patres, Romanam Cathedram omnibus, & in cuiuscumque generis controuersijs appellabant: Recentiores respuunt, vtri potius credendum censes Amice Lector? Omnes verò prudentes, doctos, & pios, iustam pro antiquis Ecclesijs laturos fauorabilem sententiam, sicut olim pro M. Aemilio prolata fuit, exploratum habeo.

Huiusmodi autem hominibus qui Patrum suorum doctrinam dimiserunt; quos Apostolus, *Parentibus non obedientes*, appellat, illud obijciemus quod Dominus Iudæis olim exprobrauit. *Transite ad insulas Cethim, & videte: &* 2.Tim.3 Ierem.2
B *in Cedar mittite & considerate vehementer, & videte si factum est huiuscemodi. Si mutauit gens Deos suos, & certè ipsi non sunt Dij: populus verò meus mutauit gloriam suam in Idolum. obstupescite Cæli super hoc & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus.* Cum igitur non desint homines qui Apostolorum & veterum Patrum doctrinam, & instituta abijcere, & nouam sibi confingere æquum esse censeant, hanc Domini obiurgationem audiant, & perpendant.

Petri Cathedra ab initio iudicium controuersiarum fidei, & morum, obtinuit, & hoc à Saluatore ius accepit, vt veteris Ecclesiæ Patres agnouerunt: licebit ne post annos octingentos leges mutare, & noua portenta in medium afferre? eccquis, nisi phanaticus, hoc sibi cœterisque persuadere audebit? Hinc Gelasius Cathedræ Petri hæres iurè dicebat. *Maiores nostri diuina inspiratione cernentes, necessariò præcauerunt, vt quod vnamquamque hæresim coacta semel synodus pro fidei communione & veritate Catholica & Apostolica promulgasset, non sineret nouis posthac retractationibus mutari, ne prauis occasio præberetur quæ medicinaliter fuerunt statuta pulsandi, sed Auctore cuiuslibet insaniæ at pariter errore damnato, sufficere iudicauerunt, vt quisquis aliquando huius erroris communicator extitisset, principali sententia damnationis eius esset obstrictus: Sic Sabellium damnauit Synodus, nec fuit necesse vt eius sectatores postea damnarentur: Sed pro tenore constitutionis antiquę, qui vel prauitatis illius vel communionis extiterant participes, vniuersalis Ecclesia duxit esse refutandos. Sic Arrium, sic Ennomium, Macedonium, Nestorium, synodus semel gesta condemnans, vlterius ad noua Concilia venire non sinit.*

C (margin at "debit? Hinc Gelasius"): Epist.13 ad Dardanos tomo 2. Concil.

D Cur ergo iuniores non pudet Patrum statuta de Appellationibus ad Romanam Cathedram S. Petri euertere? sed quid dicam Patrum statuta, cum Redemptoris nostri fuerit sacrata sanctio, vt ab initio patuit, & infra manifestum fiet? Descendamus ergo in causam, & cum hostibus fidei certamen aggrediamur.



LIBER PRIMVS A

DE APPELLATIONIBVS IN GENERE

DISPVTATIO PRIMA

Quid sit Appellatio, & quem habeat in re propositâ significatum.



MISSIS de Appellatione improprijs acceptionibus, quæ ad rem non faciunt, manifestum est apud Iur. Conf. vt notat Sigifm. Scac. de Appellat. quæst. 1. ipsam nil aliud præseferre, quam prouocationem post latam sententiam ad maiorem Iudicem, vel ante latum iudicium propter instans vel futurum grauamen, quamobrem sic a Iurisperitis definitur. B
Est prouocatio de minori ad maiorem Iudicem l. 1. §. Si quis in appellatione ff. de appellat. Vel, *est sententiæ à minore Iudice latæ per innocationem maioris Iudicis prætextu iniquitatis illatæ vel comminatæ, resciβio*. Qua in definitione locum generis tenet prouocatio: quod patet, quia omnis appellatio est prouocatio, sed non e contra. euidens autem est, Genus dici illud à quo non valet subsistendi consequentia, vt constat de Animali respectu hominis, nam quia Animal est genus hominis non tenet illatio, omnis homo est animal, ergo omne animal est homo. cætera quæ in definitione sequuntur differentiæ locum habent, quia Appellatio non est ab infimo & ordinario vel æquæ auctoritatis Iudice, iuris postulatio. C

Diuiditur autem Appellatio dupliciter, est enim iudicialis vna, extraiudicialis altera. Iudicialis illa est quæ interponitur in iudicio, & in causa iam cœpta, cùm citatio præcessit, & hæc est propria appellatio. extraiudicialis verò fit extra iudicium, & in causa non cœpta: idcirco dicitur prouocatio ad causam incipiendam, & vim habet citationis. In iudiciali Appellatione, quod præcesserit grauamen ex causa vera, & legitima, requiritur: at in extra iudiciali quod causa sit verisimilis & probabilis satis est. vtraque verò introducta est vt per eam iniquitas & imperitia iudicantium corrigatur, vt scilicet grauamen reparari possit, & innocentia præsidium obtineat. l. 1. in princ. ff. de Appellat.

Appellationis præcipui effectus hi sunt, vt notat Sigifm. Scac. quest. 3. D
art. 2. Causam & iurisdictionem deuoluit ad Iudicem ad quem, adeo quod suspendat iurisdictionem Iudicis à quo. Appellatione stante nihil innouari potest. Reponitque appellantem in statu, quo erat tempore litis contestatæ, & non in statu quo erat ante litem contestatam.

Appellatio regulariter debet dari in scriptis, non tantùm si fuerit à sententia diffinitiua, vèrum etiam ab habente vim diffinitiuæ. Nec est simpliciter necessarium verbum hoc, Appello, sufficiunt enim quæcunque alia verba æquipollentia: vt proclamo, prouoco, conquæror & similia. etenim sicut in sententia diffinitiua Iudicis non necessariò requiritur verbum condemno, sed æquiualens satis esse noscitur: sic in Appellationis exhibitione, verbum, *appello*, necessarium esse non est asserendum. Requiritur tamen ad Appellationis validitatem, vt exprimatur causa grauaminis, ne abordinario

nario

A nario & priori Iudice, voluntariè, & iniustè ius iudicandi auferri demonstretur. idcirco in re huiusmodi hæ duæ constituuntur Regulæ. Omnis grauatus potest appellare. Non grauatus non potest appellare. Bald. in l. vnica sub nu. 7. Cum autem fit appellatio, interponi debet in præsentia iudicis à quo; eique nota fieri, vt vlterius non procedat, & procedendo, reuocentur acta tamquam attentata. Nec fieri debet à minori ad maiorem Iudicem, omisso medio, si detur; l. 21. Imperatores, ff. de appellat. & relat. dummodo appellatio non fiat ad summum Pontificem. Ratio vtriusque assertionis ex Card. Alex. in rubr. sub num. 21. elicitur: quia Imperator, inquit, cæterique Principes politici à populis subditis potestatem accipiunt, eisque illiberales esse non debent, qui sibi fuerunt munifici. Papa autem à Deo immediatè potestatem accepit in persona Petri; vt patet Matth. 16. *Tu es Petrus, &c.* & Ioann. cap. vlt. *Pasce agnos & oues meas.* Adde quòd Papa maiorem curam admittit, & curare debet in legibus sacris, vt maior pateat iustitiæ aditus. iurè igitur ab infimis Iudicibus, omissis medijs, appellationes admittere potest. Hæc est iurisperitorum doctrina de Appellationibus, quæ facit ad rem.

B

Hanc verò doctrinam, vt firmum in hac materia iaciamus fundamentùm, Scripturis sanctis comprobare debemus. idcirco Pauli Apostoli cum Iudæis causa & disceptatio, quæ legitur in Actis Apostol. cap. 25. & 28. hìc erit afferenda. enimuerò quidquid Iurisperiti ad propriam Appellationem requiri affirmant, Apostolus reipsa prosequutus fuit, docuitque in propria causa Appellationis iustitiam, & conditiones. Sic enim ibi habetur cap. 24. *Et citato Paulo cœpit accusare Tertullus, dicens: Cum in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam prouidentiam, semper & vbique suscipimus optime Felix, cum omni gratiarum actione. Ne diutius autem te protraham, oro breuiter audias nos pro tua clementia. Inuenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Iudæis in vniuerso Orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum: qui etiam templum violare conatus est, quem & apprehensum voluimus secundum legem nostram iudicare. Superueniens autem tribunus Lysias cum vi magna eripuit eum de manibus nostris, iubens accusatores eius ad te venire, à quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum &c. Respondit autem Paulus, (annuente sibi Præside dicere) ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam, &c.* & cap. 25. *Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum qui ab Ierosolima descenderant Iudæi, multas & graues causas obijcientes, quas non poterant probare, Paulo rationem reddente: quoniam neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccaui. Festus autem volens gratiam præstare Iudæis, respondens Paulo dixit: vis Ierosolimam ascendere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit autem Paulus: ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari. Iudæis non nocui, sicut tu melius nosti. Si enim nocui aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: Si vero nihil est eorum quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. Tunc Festus cum Concilio locutus, respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis.*

C

D

Quæcunque autem Iurisperiti de Appellatione legitima affirmant, in præsenti Apostoli causa, probata reperiuntur. Quia inquiunt eam esse à minori ad maiorem Iudicem, manifestum est Paulum à Præside Cæsaris, Cæsarem ipsum appellasse. Quia fit prætextu illatæ vel comminatæ iniquitatis. Apostolus

ſtolus iniquam ſententiam à Preſide ſe recepturum iurè ſuſpicatus eſt. quia A cap. 24. legitur. *Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accerſam te: ſimul & ſperans quod pecunia ei daretur à Paulo: propter quod & frequenter accerſens eum, loquebatur cum eo*. at ſcriptum eſt Prou. 17. *Munera de ſinu impius accipit, vt peruertat ſemitas iudicij*. iniquam itaque ſententiam Præſidem pecuniæ auidum daturum, inſtantibus Iudæis veriſimile erat. Præterea dum Apoſtolus in Præſidis ditione morabatur, violentam mortem extra iudicium pertimeſcebat; quia cap. 23. legitur. [Facta autem die collegerunt ſe quidam ex Iudæis, & deuouerunt ſe dicentes, neque manducaturos neque bibituros donec occiderent Paulum. Erant autem pluſquam quadraginta viri qui hanc coniurationem fecerant: qui acceſſerunt ad Principem Sacerdotum & ſeniores & dixerunt: Deuotione deuouimus nos nihil guſtaturos donec occidamus Paulum: nunc ergo vos notum facite Tribuno cum Concilio, vt producat illum ad vos, tanquam aliquid certius cognituri de eo. nos vero priuſquam appropiet, parati ſumus interficere illum.] Licebat ergo Apoſtolo etiam ex hoc capite Cæſarem appellare. B

Fuit huiuſmodi Pauli appellatio non extraiudicialis, ſed iudicialis, quia interpoſita fuit in iudicio, & cauſa iam cœpta, non autem incipienda, vt ex loco nuper citato manifeſtum eſt. Præceſſerat etiam grauamen, quod per appellationem reparatur, nam cap. 22. flagellis cæſus eſt & loris aſtrictus. cap. 23. à principe Sacerdotum Anania in ore percuſsus fuit. & infra ſic habetur. [Et cum magna diſſentio facta eſſet, timens tribunus ne diſcerperetur Paulus ab ipſis, iuſſit milites deſcendere & rapere eum de medio eorum, C ac deducere eum in caſtra.] & cap. 25. [Feſtus autem volens gratiam præſtare Iudæis reſpondens Paulo dixit: Vis Ieroſolymam aſcendere, & ibi de his iudicari apud me?] itaque Præſes paratus erat Iudæis ſatisfacere in Pauli iniuriam & grauamen: idcirco Paulus illico dixit. *Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet iudicari. Cæſarem appello*, quia ſcilicet inſtans grauamen ſenſit atque præuidit. Debet appellatio Iudici in ſcriptis exhiberi, ſecundum iuriſperitos; & hoc fortè Apoſtolus etiam proſequutus fuit, cùm cauſa ipſius omni iuris rigore examinata & exagitata fuerit: licèt ſcriptura Actorum rem geſtam non exponat. Et interponi debet in præſentia Iudicis à quo, eique nota fieri vt vlterius non procedat. quod ab Apoſtolo factum fuiſſe conſtat, ex his quæ iam ex Actis narrauimus.

Nec tandem fieri debet, vt iura dicunt, à minori ad maiorem Iudicem, D omiſſo medio. & hanc legem Apoſtolus ſeruauit; nam à Præſide, Principem, & a Prorege, Regem appellauit: vt ibidem manifeſtere cenſetur, ſequitur proinde inſtituta Iuriſperitorum de Appellationibus rata eſſe atq. veriſſima, cum per Acta Apoſtolorum ſtabiliantur & firmentur.

Quæ autem ex hac præmiſſa doctrina ad rem noſtram in preſenti cauſa precipuè colligimus, hæc ſunt. Appellationes propriè acceptas non fieri niſi à minori ad maiorem Iudicem: vt quandocunque conſtet aliquem ab vno Tribunali aliud appellaſſe, pari modo manifeſtum fiat, poſterius Tribunal eſſe Principem appellantis, & litigantis cum Appellante, aliter proferenda & accipienda ſententia litem non dirimeret; nec vt ſeruetur, Iudex ambas partes cogere poſſet. idcirco cum inferius patebit omnes Eccleſias in controuerſijs decidendis, Romanam Cathedram S.Petri omni tempore appellaſſe;

A ſe; eamque omnium Eccleſiarum ſupremum Iudicem exiſtere & extitiſſe, æquè patebit.

Verùm quia aduerſus hæc quæ præmiſimus, quædam obijci poſſunt, quæ veritatem obnubilare, & circumtegere viderentur, ea proponemus, & ſoluemus; vt media obiectionum ſolutione, veritas amplius aperiatur; nec locus ſuperſit, in quo veritatis hoſtibus fugam arripiendi detur opportunitas vel diuerticulum.

Prima obiectio. Nulla apparet repugnantia, nec aliquid obſtare videtur, quòd ex conſenſu partium litigantium, poſſit fieri appellatio ad conſimilem in iuriſdictione, imó ad Amicum; ergo ex Appellatione non infertur neceſſariò, eum ſupremum tribunal poſſidere, cui fit appellatio in ordine ad
B appellantes. & conſequenter ſuprema dignitas Romanæ Cathedræ ex eo quòd cæteræ Eccleſiæ ad illam appellationes habuerint, vel falsò, vel ineptè colligitur.

Reſpondeo obiectionis ſuppoſitum inane, & nullius roboris eſſe: nam ſi lis, & diſceptatio ex conſenſu partium ſimili in iuriſdictione, vel Amico committatur, tunc nullo modo dici poterit Appellatio ſecundum Iura, ſed conuentio, vel vt ita dicam voluntarius contractus. & in caſu noſtro huiuſmodi ſuppoſitio non facit ad rem, nec doctrinam de Appellationibus præmiſſam infringere poteſt. nam dato quod huiuſmodi conuentio, quam ſupponit obiectio, quaſdam valeat dirimere lites, & controuerſias; eas tamen de quibus inferius differemus, & in præſenti annuuntur, diffinire minimè
C valent. Quod vt pateat, in medium proponamus illarum aliquas, inter eas, quæ in hoc Opere proponendæ ſunt, appellationes.

Anno Domini 404. Ioannes Chryſoſtomus Epiſcopus Conſtantinop. per factionem Theophili Alexandrini Epiſcopi, inſtigante Imperatrice Eudoxia, in exilium pulſus, & paulò poſt ob populi ſeditionem reuocatus; ac rurſum non multo poſt per eandem factionem eiectus: Innocentium Papam, legatis, & literis miſſis appellauit, vt pro ſua auctoritate, ſe inimicorum factione oppreſſum tueretur, & Eccleſiarum perturbationi proſpiceret. per eoſdem etiam legatos ſcripſere quadraginta Epiſcopi, qui Ioanni Epiſcopo communicabant & Clerus Conſtantinopolitanus; vt infra ſuo loco conſtabit. Innocentius rei indignitate vehementer commotus, ſynodo Romæ habita, communionem quidem vtriuſquè partis admiſit, ſed Theophili iudicium irritum
D eſſe decreuit, & ſynodum Orientalium & Occidentalium, miſſis legatis, fieri oportere cenſuit. Legati inſcio Imperatore, & Imperatrice agente, malè accepti & vexati, cum nec mandatorum exponendorum facultas eis permiſſa fuiſſet, Romam reuerterunt. Interim Ioannes per diuerſa loca raptatus, moritur. Quibus omnibus Innocentius plurimùm indignatus, Imperatori & Imperatrici ſacris interdicit: Theophilum excommunicat & deponit: Arſacium, qui viuenti Chriſoſtomo ſubſtitutus fuerat, etiam defunctum exautoratum, è numero Epiſcoporum excludit: Atticum ſuſpendit, & donec eius cauſa cognoſcatur, Proclo Ciriaci Epiſcopo Eccleſiam Conſtantinopolitanam regendam committit. vt patet ex Tomo primo Conc. ex Binio pa. 588. & ex Baron. annno 404.

Ea verò quæ Innocentius Papa ad Arcadium Imperatorem ſcripſit hæc ſunt, eſtque epiſtola Innocentij in ordine trigeſima. [Vox ſanguinis fratris mei

mei Ioannis clamat ad Deum contra te, ò Imperator, &c. eiecisti è throno A
suo, re non iudicata, magnum totius Orbis doctorem, & vna cum eo Christum persecutus es &c. Noua autem Dalila Eudoxia, quæ paulatim te erroris seu seductionis nouacula totondit, execrationem ex multorum ore sibi ipsi iuduxit; graue, & quod gestari nequeat peccatorum pondus colligans, atque id prioribus peccatis suis superaddens. Itaq. Ego minimus & peccator, cui thronus Magni Apostoli Petri creditus est, segrego te & illam à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri. Episcopum etiam omnem aut Clericum ordinis sanctæ Dei Ecclesiæ qui administrare aut exhibere vobis ausus fuerit, ab ea hora, qua præsentes vinculi mei legeritis literas, dignitate sua excidisse decerno &c. Ad Theophili abrogationem addimus excommunicationem, anathematismum, & absolutam à Christianismo alienationem.] B

Quid tibi videtur prudens lector de hac appellatione quam hucusque narrauimus, nunquid ex consensu partium litigantium facta est, vt supremam potestatem Rom. Cathedræ obducere & tenebris inuoluere liceat? haud sanè. est enim luce clarius huiusmodi appellationem & cõsimiles quas suo loco exponemus & narrabimus, adeò veras & secundum Iura extitisse, vt non voluntariæ conuentiones dici queant, sed verissimæ Appellationes, quæ à minori Iudice ad supremum Christiani Orbis tribunal exhibitæ, supremam quoque eiusdem tribunalis iurisdictionem, & potestatem, omnibus patefaciant.

Secunda obiectio, Paulus Apostolus, Cæsarem competenter, vt Iudicem sibi, appellauit: ergo Apostoli, & Episcopi qui Apostolorum obtinent locum sub iurisdictione Cæsaris, vel aliorum sæcularium Principum degunt. C
conseq. tenet: quia vera appellatio, vt dictum est, fit à minori ad maiorem Iudicem iurisdictionem habentem.

Respondeo Apostolum appellasse Cæsarem ad redimendam vexationem, & coactum id fecisse. quod autem fit coactè & ex necessitate, nullum ius inducit vel probat; nec regulam tribuit sic operandi in futurum. Apostolus, Petrum Christi Vicarium appellare tenebatur, sicut illi necessariò contulit euangelium quod prædicabat, ne in vanum curreret, vt ipse testatur ad Gal. cap. 2. at Iudæi pari modo Petrum persequebantur, nec iurisdictionem illius agnoscebant: quid igitur Paulus in euidenti vitæ discrimine operaturus erat? appellauit Cæsarem, & vt laicus egit: siquidem Ciuis Romanus erat iure adoptionis, & ex priuilegio, vt ipse Act. 22. inquit, sed quid inde sequitur ergo Apostoli & Episcopi Cæsarem appellare tenentur, & sub illius iurisdictione sunt? ineptissima est hæc sequela. Paulus enim p. Cor. 6. omnes fideles monet vt Paganorum tribunalia deuitent: *Sæcularia*, inquit, *iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad iudicandum*. & p. Tim. 5. Tribunal Cleri Apud Episcopum esse monet. sic enim Timotheo Episcopo ait. *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*. itaque appellatione sua ad Cæsarem, Clerum subesse Cæsari cæterisque Principibus, minime docuit. Sed coactus ad vitæ periculum euitandum id fecit; vt ipsæ Act. vlt. exponit dicens: *coactus sum appellare Cæsarem*. quod autem fit coactè, in legem transire non debet nec in documentum. ipse igitur Apostolus, per illud verbum, *coactus sum*, hanc dirimit obiectionem. D

At

Digitized by Google

A At dicet Aliquis. si Apostolus Cæsari non erat iure subiectus, non videtur fuisse vera appellatio secundum iura: quia hæc fit ad maiorem Iudicem iurisdictionem habentem, vt dictum est, ne videatur libera conuentio, seu pactum & conuentum.

Respondeo, Appellationem Pauli fuisse propriam secundum Iura. nec obstat ipsum, à Cæsaris iurisdictione & potestate exemptum esse: nam Iudæorum populus, contra quem appellauit, sub Cæsaris ditione erat. Tribunal quod appellabat, tunc in vniuerso Orbe supremum erat: cui non ex pacto, sed secundùm Iura ab omnibus exhibebantur Appellationes: Pauli munus & potestas paucis ex populo fidelibus erat manifesta: nihil ergo obstat quin fuerit propria & secundum Iura appellatio, vt patet.

B Tertia obiectio. Paulus Cæsarem appellauit,qui secundũ ea quę dicta sunt, sub Cæsaris Imperio & iurisdictione non erat: ergo Appellatio non ostendit virum, cui fit, esse appellantis & litigantium Principem. Vnde sequitur Romanam Cathedram, licet appellationes omnium Ecclesiarum acceperit, non esse appellantium Ecclesiarum caput & Tribunal.

Respondeo, huius obiectionis solutionem ex doctrina nuper allata pendere. etenim exemptio Pauli à Iure Cæsareo non erat manifesta, sed perpaucis nota. id autem suæ appellationi ad Cæsarem non obstat quin sit propria secundum Iura: ratio est, quia non fuit ex conuentione facta cum populo Iudæorum, sed ob supremam Cæsaris potestatem, & iurisdictionem, quam super Orbem habebat; etenim vniuersis Gentibus imperabat. si Cæsar Orbis

C & Iudæorum Princeps non extitisset,nec ius Tribunalis possedisset, ratio quæ obijcitur conuinceret: tunc enim non fuisset propriè appellatio, sed pactum & conuentum extraiudiciale ad præfatam litem dirimendam: at oppositum constat, vt præmonstratum est. sicut ergo hæc Pauli appellatio ad Cæsarem supremum Cæsaris tribunal declarat: sic omnium Ecclesiarum appellationes ad Romanam Cathedram delatæ, supremum Romanæ Cathedræ tribunal super vniuersum Christianum Orbem, perspicuum exhibent.

Quarta obiectio, ex Sigismundo Scaccia Iurisconf. de Appellation. qu. 2. act. 2. In Vrbe in foro Capitolino à sententijs Senatoris appellatur de facto ad Capitaneum appellationum, & tamen Senator est maior Capitaneo appellationum: Prætera Pisis extat consuetudo vt a Capitaneo appelletur ad Potestatem,qui est minor Capitaneo. Et in Prouincia Marchiæ, à Delegato

D Papæ appellatur ad Rotam Maceratensem, & tamen delegatus Papæ non habet supra se alium Iudicem quam ipsum Papam delegantem. Et in textu l. 1. §. Si quis in appellatione ff. de appellat. tolleratur appellatio facta à delegato Cõsulis ad Præfectum; & tamen Præfectus est minor Consule: & consequenter minor etiam delegato Consulis; ergo non videtur vera diffinitio Appellationis superius allata, qaod scilicet sit a minori Iudice ad maiorem prouocatio &c. hæc est obiectio præfati Sigismundi loco citato.

Cui obiectioni hæc ad rem nostram superàddo. Si appellatio fit ad æqualem vel ad inferiorem,igitur omnium Ecclesiarum appellatio ad Romanam Cathedram, supremam potestatem eius super cæteras Ecclesias, non præmonstrat.

Respondet Sigismundus suæ obiectioni sic. Cum ob vim statuti appellatio fit ad minorem vel ad parem, tunc lex & statutum disponit vt talis Iu-

dex in ipso appellationis actu, maior censeatur: idcirco appellationis diffinitio vera semper permanet. Hæc Sigismundus Iurisconf. A

Verùm quia de Appellationis propria quidditate & diffinitione inquiritur, Philosophorum instituta in medium afferre opus est.. Dico ergo ex Philosopho 2. Post· 10. & p.Top.4. ipsam definitionem quod quid est seu quidditatem rei ostendere, adeout oratio sit quæ quidditatem & essentiam rei definitæ præseferat conuertibiliter, exempli gratia. Homo est animal rationale. animal rationale est homo. hinc perspicuè sequitur vt quandocunque vera rei definitio alicui non competat, sed variatio aliqua seu diuersitas contingat, tunc pariter alterius speciei rem illam esse constet, at quia dictum est, Appellationem in Iuris rigore à minori ad maiorem Iudicem iurisdictionem habentem fieri debere; sequitur necessario, vt si fiat ad æqualem vel inferiorem Iudicem, ipsam non esse amplius eiusdem speciei Appellationem. B

Quamobrem duplicis generis esse appellationem, asserendum puto: propriam scilicet, & impropriam seu analogam. Pro cuius distinctionis intelligentia, quid sit analogum memorandum est. Est autem duplex, attributionis scilicet & proportionis. analogũ attributionis est quod habet nomen commune & eandem rationem secundùm terminum, licèt non formaliter, vt sanum respectu hominis & medicinalis potionis: Proportionis autem est illud quod est vnum tantùm similitudine: vt membrum, quod propriè dicitur de parte animalis, & similitudinariè de partibus cæterorum entium materialium: vt de ramis arborum. hoc posterius manet cum æquiuoco: illud prius cum vniuoco. ex Scot. in p. dist. 8. quæst. 3. & dist. 3. lit. q. tunc cum C
æquiuoco reperitur, cum aliquid commune prædicatur de vno in quid, & similitudinariè, & impropriè de alio: vt homo, de homine viuo, & picto. manet autem cum vniuoco, quando aliquid commune licèt prædicetur priùs de vno quam de alio, de vtroque tamen prædicatur quidditatiuè, vt est ens commune Deo & Creaturæ.

Cum ergo vera Appellationis quidditas, & essentia sit prouocatio ad maiorem Iudicem iurisdictionem habentem propter instans vel futurum grauamen; necessariò sequitur, vt si fiat ad minorem Iudicem, vel æqualis iurisdictionis, non sit amplius eiudem speciei appellatio. at quæ supra exposita fuit est veræ & propriæ appellationis explicatio; sequitur ergo Appellationem ad iudicem inferiorem vel æqualem, impropriam, & æquiuocam esse.

Quamobrem ad Sigismundi obiectionem respondeo, definitionem traditam ab initio esse veræ Appellationis essentiam; eam verò, quæ in obiectione affertur, æquiuocam esse & similitudinariam. propriè autem nil aliud esse, asserendum video, quam disparata tribunalia æquè ab auctoritate Principis emanãtia vt pluribus modis ac vijs pateat iustitiæ aditus. at è contra propria Appellatio ita fit à minori ad maiorem Iudicem, vt maior valeat redarguere, cassare vel censuram ferre in minorem Iudicem, si grauamen intulerit, vel dare paratus erat. vt patet in præsenti materia. Idcirco cum in obiectione addidi; quòd dum ad æqualem vel minorem Iudicem fit appellatio, non infertur ex appellatione cæterarum Ecclesiarum ad Romanam Cathedram, primatus eiusdem; nullius roboris hanc esse instantiam asserimus; quia Ecclesiarum appellationes non impropriæ erant & æquiuocæ, sed verissimæ & vniuocæ. nam Romana Cathedra Sancti Petri & appellantes D

sem-

A semper redintegrauit: & Iudices grauantes ita redarguit, vt in eos pœnas censurasq. intulerit, & à munere proprio deposuerit: vt exemplo superius allato patet; & his quæ infra dicemus, clarius patebit. instantia igitur de æquiuocis appellationibus quæ ad Iudicem æqualem, vel inferiorem fieri contingunt, præmissæ doctrinæ non officit.

DISPVTATIO SECVNDA.

An omnium Ecclesiarum appellationes ad Romanam Cathedram S. Petri initium sumpserint post Concilium generale Sardicense, quod dicitur appendix Concilij Nicæni primi: vel fuerint à principio.

B



CVNCTARVM Gentium Ecclesias, Romanam Cathedram S. Petri, in Ecclesiasticis controuersijs dirimendis, appellare necessariò debere, in generali Concilio Sardicensi anno Domini 347. celebrato, sub Iulio Papa Primo, imperante Constantino Magni Constantini filio, statutum fuisse, apud omnes Nationes indubitatum, & perspicuum semper fuit. etenim in eiusdem Synodi cap. 3. 4. & 5. huiusmodi sanctio non obscurè, sed planè & apertè cernitur.

Cap. 3. *Osius Episcopus dixit: Quòd si aliquis Episcopus iudicatus fuerit in ali-*
C *qua causa, & putat se bonam causam habere, vt iterum concilium renouetur, si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, vt scribatur ab his, qui causam examinarunt, Iulio Romano Episcopo, & si iudicauerit renouandum esse iudicium, renouetur, & det iudices. Si autem probauerit talem causam esse, vt non refricentur ea quæ acta sunt: quæ decreuerit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit, Placet.*

Cap. 4. *Gaudentius Episcopus dixit: Addendum, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulisti, vt cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamauerit agendum sibi negotium in Vrbe Roma, alter Episcopus in eius cathedra, post appellationem eius, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata.*

D Cap. 5. *Osius Episcopus dixit: Placuit vt si quis Episcopus delatus fuerit, & congregati huius regionis episcopi eum gradu mouerint, & veluti appellans confugerit ad beatissimum Romanorum Episcopum, & velit ipsum audire, & iustum esse existimauerit eius rei examinationem renouari, coepiscopis scribere dignabitur, qui sunt propinqui prouinciæ, vt ipsi diligenter & accuratè singula perscrutentur, & ex veritatis persuasione de re sententiam ferant. Si quis autem postulet suum negotium rursus audiri, & ad suam supplicationem Romanorum Episcopum iudicare visum fuerit, à proprio latere Presbyteros mittat, &c. Responderunt Episcopi: Quæ dicta sunt placuerunt.*

Synodus hæc Sardicæ celebrata fuit. est autem Sardica nobilis ciuitas Illirij, & Misiæ confinis, quæ tunc in ditione Constantij erat, qui post obitum Constantini toti præerat Orienti, sicut Constans eius frater toti Occidenti. Hæc ciuitas instante Iulio Papa, consilio Imperatorum pro Synodo electa

est, quia inter Orientale, & Occidentale imperium, secundum partitionem à Constantino Magno inter filios factam, confinis & finitima erat. ita Socrates l. 2. cap. 78. & Baron. anno 347. nu. 2. Conuenerunt in ea episcopi 376. ex Oriente, Occidente, Septentrione, omnibusque fermè Prouincijs Christiani Orbis, à Iulio Romano Pontifice vocati seu citati. Nomine Iulij Papæ, Synodo præfuerunt tres Sedis Apostolicæ legati. Osius Episcopus, & Archidamus ac Philoxenius præsbyteri, licèt Athanasius Apol. 2. tantùm Archidami & Philoxenij mentionem faciat. Iulij Romani Pontificis sententia Romæ pro Athanasio lata, ipsius permissu ac voluntate in hac Synodo iterum examinata fuit, ac demum ea quæ ad totam Christianam Religionem, vniuersum Orbem terrarum & Ecclesiam pertinent, Patres hoc loco congregati constituerunt. Hoc Concilium Oecumenicum, vniuersale & plenarium vniuersæ Ecclesiæ fuisse, manifestò constat, adeòquòd non minus verè quam iure optimo ab Athanasio principio Apolog. 2. instar Nicænæ, *Magna Synodus*: à Sulpitio lib. 2. Sacræ historiæ, *Concilium ex toto Orbe conuocatum*: à Socrate lib. 2. cap. 16. histor. Eccles. *Generale Concilium*, appellatur. Verba, quæ habentur in fine Concilij, hæc: *Vniuersa quæ constituta sunt, Catholica Ecclesia in vniuerso Orbe diffusa custodiat*: idem quod supra dixi euidenter confirmant. nam ex triginta sex Orbis Prouincijs, quas omnes Athanasius enumerat, Episcopi conuocati & congregati fuerunt. ex Binio Tom. 1. Concil. pag. 439.

Hæc eadem generalis synodus, appendix Concilij Niceni dicitur, quia nihil nouum, quod ad fidem pertineret sancitum fuit; nec nouus fidei articulus explicatus; sed ea tantùm, nouis suffragijs stabilita ac confirmata fuerunt, quæ Patres in Nicena Synodo tradiderant. in re tamen aliud est Concilium ab illo: quia ab alio Pontifice, ab alijs Patribus, sub alio Imperatore coactum fuit: aliosque canones nempe viginti pro Ecclesiæ optimo regimine edidit.

Veruntamen si cuiquam opinari contingat, Romanæ Ecclesiæ primatum in prænarrato Concilio sancitum fuisse: huiusmodi hominem rerum inscitia vel fraude laborare, affirmandum est. nam ante prænarratos Canones eidem Synodo Romana Cathedra vt Iudex præsidebat: & Conc. Nicæno primo, annis viginti duobus iam elapsis celebrato, etiam Petri Sedes per tres Legatos, Hosium scilicet Cordubæ episcopum, Victorem, & Vincentium Vrbis Romæ præsbyteros, præsedit: vt eiusdem Concilij Acta indicant. Si ergo Romana Cathedra per Sardicenses canones primatum obtinuisset, quo iure in eodem Concilio & in Nicena Synodo hanc præsidendi potestatem sibi assumpsisset? cum ergo ante prænarratos Canones id Romana Cathedra haberet, conspicuum est nō à Patribus alicuius Synodi, sed à Christo Domino tale ius emanasse. nam ante concilium Nicænum nullum Ecclesiæ Generale concilium congregatum fuerat, quod hoc statuere potuisset. Nec huic veritati obstat noua præmissorum canonum Concilij Sardicensis, pro Romanæ Cathedræ primatu editio: nam licèt hìc de Appellationibus sancitum fuerit, eique tale ius concessum: non tamen sequitur id prius diuino iurè non possedisse: sed ita esse, declaratum fuit. Suprema enim Romanæ Cathedræ potestas multa sub se continet iura: salua eius potestate, potest in dubium reuocari, an ius hoc appellationum habeat: eo magis quia regimen Ecclesiæ non est purè monarchicum, sed mixtum cum Aristocratia. habent enim

A enim optimates, nempè Episcopi sua Iura ordinaria, licèt cum subordinatione ad Ecclesiæ militantis caput, quod est Romanus Pontifex. quod id in suo iure includeretur, in Synodo Sardicensi declaratum fuit. Quapropter, cum Papa legibus Synodorum ad ius suum probandum vtitur, id facit, ne cuiquam de veritate hac amplius dubitare liceat, & vt facilius suæ potestatis munus exqutionem obtineat, absque vsurpatæ potestatis suspicione.

Præterea in sexto canone prioris concilij Nicæni, Romanæ Cathedræ suprema dignitas perspicuè apparet: nam cum de ordine Ecclesiarum Patres differerent, hunc tradiderunt canonem. [Antiqua consuetudo seruetur per Aegyptum, Libiam, & Pentapolim, itaut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & Vrbis Romæ Episcopo parilis mos est.
B Similiter autem, & apud Antiochiam cæterasque Prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesijs.] vel iuxta versionem Gentiani Herueti. [Antiqui mores seruentur, qui sunt in Aegypto, Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem, & Episcopo Romano hoc est consuetum, &c.] ponitur itaque Romana Cathedra metrum & mensura omnium Ecclesiarum. licèt de ea in hoc canone disseratur, vt ius Patriarchale habet super Occidentis Prouincias, vt ex præmissis verbis constat: attamen in tota & vniuersa concilij serie suprema illius potestas euidentior est, quia Synodo præfatæ ipsa Romana Cathedra per legatos suos præsidebat. ipsa eandem Synodum coegerat, eiusdemque Acta sua auctoritate roborauit. notum sit tamen Lectori, canonem hunc in Conc.
C Chalced. Act. 16. à Legatis Papæ sic lectum fuisse. *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem & Aegiptus, &c.* Idcircò ad maiorem rei cognitionem sciendum est, circa formam & numerum Nicænorum canonum non esse apud omnes communem sententiam. nam apud Arabes octoginta numerantur, vt constat ex versione de Græco in Latinum per Teilonem & Thearistum Constantinopolitanum, vt patet ex To.p. Conc. pag. 351. Hunc numerum testatur Athanasius in epist. ad Marcum Pontificem. Iidemque postea consilio Patrum Conc. Nicæni in septuaginta sententias redacti fuerant. Athanasij autem testimonio standum est, quia ipse Nicæno Concilio adfuit, licèt esset tantùm Diaconus, & Alexandri sui Episcopi socius. nec dubitare licèt, eundem Alexandrum, qui Nicænæ Synodo interfuit, ipsos Nicænæ Synodi canones, cum Aegyptum reuersus est, secum attulisse &
D in Ecclesia sua diligenter seruari curasse. sed cum lingua Græca non esset Prouincijs Alexandriæ & Aegypti & Pentapolis vernacula, sed Arabica; quis rursum non affirmabit ipsum Pastorem prouidum curasse, vt Synodus Nicæna in Arabicum sermonem conuerteretur? hac itaque ratione Nicæni canones in Arabicum sermonem versi fuere. Hæc autem varietas Lectorem prudentem non conturbet: enimuerò tanta fuit eo tempore hæreticorum Arrianorum potestas, vt penè totum Orbem occupasset. Vnde Hieron. vt in vita Damasi legitur, ait. *Ingemiscens Orbis terrarum se Arrianum esse miratus est. Prudentiores autem sunt filij huius sæculi filijs lucis:* inquit saluator Lucæ cap. 16. Idcircò cum per Nicænam Synodum hæresis Arrij deijceretur, ipsam Synodum dilaniabant, & vt ad nihilum redigeretur, omne studiũ adhibebant. quapropter apud Arabes, qui sunt remotiores & occultioris linguæ huius Synodi canones seruari facilius potuerunt, quàm in cæteris Orbis Prouincijs.

nec

Digitized by Google

nec tamen Arriani, Romanæ Cathedræ hostes (vt pariter sunt cæteri hæretici) primatum eiusdem Cathedræ supprimere & tenebris inuoluere pænitus potuerunt, etsi viginti canones tantum fuisse suasissent: cum præsidentiam Legatorum Papæ, & Actorum in eadem Synodo confirmationem, & roborationem eiusdem, nec ipsi Arriani negare valuerint: vnde Romanæ Cathedræ primatus & suprema potestas apertè comprahenditur. Preterea transacta ac depressa Arrianorum furiosa insania, Acta sequentium Conciliorum post Arrij hæresim celebratorum integra semper seruata fuerunt: in quibus Romanæ Cathedræ suprema potestas clarius cernitur. In versione autem Arabica, hic habetur canon, & est in ordine trigesimus sextus. A

[Consideret Patriarcha, quæ Archiepiscopi & Episcopi eius in prouincijs suis faciunt; & si quid reperiat, secus quàm oporteat factum, mutet & disponat vt sibi videbitur. siquidem ipse est Pater omnium, & illi filij eius, & quàmuis sit Archiepiscopus inter Episcopos tamquam frater maior, qui curam habet fratrum suorum, & ei debet obedientiam, quia præest: est tamen Patriarcha loco Patris, sub cuius dominatu ac potestate sunt filij eius. Sicque præest Patriarcha ijs omnibus qui sub potestate eius sunt, sicut ille qui tenet sedem Romæ caput est & princeps omnium Patriarcharum. quādoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos & cunctam Ecclesiam Christianam. Et quicunque contradixerit à Synodo excommunicatur.] B

Hunc canonem citant Augustinus Steuchus lib. 2. de donatione Constantini. Franciscus Turrianus lib. 2. de dogmaticis characteribus. Alanus Copus in dialologis. & extat Arabicè in Bibliotheca Marcelli Secundi Romani Pontificis. n. 44. sed hoc modo. C

[Veneramur secundum scripturas & canonum definitionem sanctissimum Romanæ antiquæque Ecclesiæ Episcopum primum & maximum omnium Episcoporum. Vt autem cunctis ditionis suæ nationibus imperat Patriarcha, & leges indicit: vt à principio Petrus Christi vicarius, religioni, Ecclesijs, cæterisque ad Christum rebus pertinentibus præfectus, Principum Christianorum, prouinciarum, & omnium Gentium dominus & rector erat: ita ille cuius principatus Romæ est, Petro similis & authoritate par Patriarcharum omnium dominatum & principatum obtinet. Huic sanctioni siquis repugnauerit, & obsistere ausus fuerit, totius Synodi decreto anathemati subijciatur.] D

At quia supra asseruimus Synodi Sardicensis canones, nil noui pro Romana Cathedra statuisse, cum diuino iure, primatus illi contingat, eumque ibidem tantùm denunciatum & declaratū esse: pro huius veritatis & dogmatis corroboratione, animaduertendum esse proponimus, Ecclesiam ius non habere nouos fidei articulos condendi. etenim aliqua propositio non ideò erit hæretica, quia sic Ecclesia sanciuit: sed quia Catholicæ fidei à Deo reuelatæ repugnat, & opponitur: nec ideò aliqua propositio de fide erit, quia summus Pontifex, & Ecclesia ita decreuit, sed quia est a Deo reuelata, (obiectum enim fidei est Deus reuelans) quod vel ex Scripturis sanctis, vel ex traditionibus Ecclesiæ vniuersali ab Apostolis exhibitis, colligitur. Ecclesia autem tantùm declarat illud esse de fide, & illud hæreticum, non tanquàm aliquid

noui:

Digitized by Google

A noui: cum fides semper eadem fuerit, & oppositum semper fuerit hæreticum: sed occasione superueniente, Ecclesia declarat, deducit, & manifestat quod prius non erat expressum & apertum. etenim si aliqua propositio prius catholica non fuisset, Ecclesia illam catholicam sancire nequiret: poterat tamen ante iudicium Ecclesiæ, quisquam super huiusmodi propositionem opinatiuè, præter notam hæresis, disceptare: eoquod non esset manifestè de fide, quod post iudicium Ecclesiæ nullatenus licet.

Hæc doctrina, quæ omnibus accepta esse debet, comprobatur: nam inquit Philosophus p. Perier. *Propter nostrum affirmare vel negare, res non est vera vel falsa*, & apud Methaphisicos patet p. Meth. Veritatem esse pasionẽ entis, non autem intellectus: intellectus enim tunc verus est, cum rem intelligit
B sicuti est, & rei existentiæ est conformis: etenim non ideò res ita se habet quia sic intellectus intelligit: sed tunc intellectus verè seu verum intelligit, cùm rem sicuti est percipit. sic in casu nostro. Ecclesia decernit aliquam propositionem esse de fide, & reuelatam, tunc non facit reuelatum esse verum, quia verum est ante Ecclesiæ decretum, sed verum esse aperit.

Præterea si propositio dicatur catholica quia ab Ecclesia est determinata; vel ergo Ecclesia definiens, Scripturæ Diuinæ vel traditionibus Apostolicis, vel propriæ prudentiæ & voluntati innititur: si primum, cõstat illam propositionem esse catholicam ex Scriptura Diuina & ex reuelatione. si secundum, non erit vt catholica recipienda; quia fides nostra, vt ait Apost. p. Cor. 2. ex voluntate & sapientia hominum non pendet, non est igitur aliqua proposi-
C sitio censenda catholica ex sola Ecclesiæ definitione: sed quia prius erat catholica, & nos latebat, fit deinceps per Ecclesiæ diffinitionem manifesta. Enimuerò Ecclesia definiens aliquid esse de fide tenendum; etsi falli in re huiusmodi nec fallere nequeat: attamen sua definitione non efficit veritatem illam fieri catholicam, quia prius catholica erat; si autem catholica non fuisset, Ecclesia eam catholicam esse decernens, erraret. nequit ergo Ecclesia nouum fidei articulum tradere: sed quid sit fide tenendum atque credendum, certo magisterio docet & aperit.

Etenim per Nicænos canones Verbum Dei non accepit de nouo consubstantialitatem cum Patre, cum ab æterno fuerit Patri consubstantiale. nec per canones Concilij Constantinop. Spiritus sanctus accepit Diuinitatem: nec per canones Concilij Ephesini Christus Dominus vnitatem Personæ cum
D Dei Verbo recepit: nec per Patres Conc. Chalced. in Christo facta fuit de nouo impermixtio naturarum, & sic de reliquis. sed quia hæretici catholicam veritatem impugnare cæperant: Ecclesia per suos canones sic veritatem declarauit, vt oppositum opinantes hæreticos esse ediceret & sanciret: vtque nouam illorum doctrinam, iniquam hæresim esse, omnibus constaret: nec vlli fidelium amplius talia opinari liceret.

Nunc verò ad rem nostram discendamus, canones Concilij Sardicensis statuunt appellationes ad Romanam Cathedram fieri debere, eiusque iudicio & sententiæ standum esse: quòd idem est ac sancire Romanam Cathedram primatum & principatum super omnes Ecclesias habere, vt ex natura Appellationis patet, quæ fit ad maiorem & legitimum Iudicem: vt in superiori disputat. dictum est, quid ergo tenendum censes, prudens Lector, tunc Romanam Cathedram potestatem iudicandi atque regendi cunctas

Digitized by Google

Orbis Ecclesias primò suscepisse ? inanis quippe & à veritatis tramite aber- A
rans est hic dicendi & opinandi modus.

Fidei dogma est Petrum esse vniuersæ Ecclesiæ Pastorem: & Romanum Episcopum, Petri successorem & hæredem esse: & militantem Ecclesiam à Saluatore, visibilem Pastorem & caput accepisse; vt omnia Generalia Concilia ab initio, & infra ab Ecclesia Catholica celebrata testantur, vt suo loco, etiam omnium Græcorum Patrum in Synodis sedentium testimonio constabit: at si dogma fidei est: nec fides ab Ecclesia, sed à Deo reuelante, & ab Ecclesia tantùm declarante descendat; consequens est, vt sicut omnia fidei dogmata vera fuerunt ante Ecclesiæ canones, sic etiam dogma de primatu Petri & Romanæ Cathedræ, ante canones Concilij Sardicensis verum fuerit, & solùm in præfato Concilio apertum, declaratum, & memo- B
ratum sit,

Possent tamen fidei hostes obijcere, vt reipsa aiunt. Vniuersam Ecclesiam liberè pro litibus decidendis sibi Iudicem voluisse constituere: quapropter Romanam Cathedram ius iudicandi cunctas Orbis Ecclesias, non à Saluatore, sed ab Ecclesia ipsa accepisse, inferent. Sed huiusmodi occursum, inanem, futilem atque peruersum esse, facile est ostendere ac aperire. nam si hoc sibi Ecclesia in Concilio Sardicensi statuit, quo iure Romana Cathedra Nicænum Concilium vigintiduobus annis iam ante elapsis coegit, eiq. vt Iudex per legatos suos præsedit, idemq. sua auctoritate, petentibus Concilij Patribus confirmauit ac roborauit?

Si ab Ecclesia hoc ius Romana Cathedra accepit in Conc. Sardic. quo- C
modo verum erit quòd Patres Concilij Calced. sexcenti Leoni Papæ dixerũt, atque scripserunt. [Fidem veluti auro textam catenam, ex veste Christi & præcepto legislatoris venientem vsque ad nos ipse seruasti, vocis B. Petri omnibus constitutus interpres, eius fidei beatificationem super omnes adducens &c. Nobis quidem sicut membris caput præeras in his qui tuas vices gerebant, beneuolentiam præferens.] & deinde de Dioscori Alexandrini iniquitate differentes, in eadem epistola subijciunt. [Et post hæc omnia insuper & contra ipsum, cui Vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam, idest contra tuam Apostolicam sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ vnire festinas &c.] & habetur hæc epistola in calce Conc. Chalced.

Itaque si Romano Episcopo Vineæ custodia commissa est à Saluatore, D
quomodo verum erit Iudicis munus, ipsum in Conc. Sardicensi ab Ecclesia accepisse? Præterea, ius appellationes suscipiendi ibi in Conc. Sardicensi legitur, non autem ius præsidendi Concilijs: vnde ergo accepit id quòd in Conc. Chalcedonensi Act. p. legitur. [Paschasinus Romanæ Cathedræ Legatus dixit. Beatissimi atque Apostolici viri Papæ Vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus censuit interloquendum: vt præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos obseruare necesse est. Si ergo præcipit vestra Magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus. Quibus in græco sermone translatis, Iudices & Senatus dixerunt, Quid obijcitur Dioscoro? Respondit Legatus. Quia cum Personam iudicandi non haberet, præsumpsit,

& Sy-

Digitized by Google

A & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est. Senatus dixit Legato: Si Iudicis obtines Personam non vt accusator debes prosequi. &c.]

Et Act. 3. præsentibus vniuersis Concilij Patribus sexcentis & Imperiali Senatu, dixit. [Notum est sanctæ Synodo, Beatissimum Leonem nostram paruitatem huic sancto Concilio pro se præsidere præcepisse: ideoque necessarium est, hæc quæ in medium proferuntur per nostram interlocutionem disceptari. quapropter recitetur, &c.

Et in Concilio Ephesino iam prius celebrato anno Domini 431. (Chalcedonense enim anno 451. coactum est.) quo iure Philippus præsbyter Cælestini Papæ Legatus Act. 2. Synodi dixisset. [Quæcumq. per Nos scripsit sanB ctissimus Papa noster Cœlestinus Sedis Apost. Episcopus, iubete legi, ac inter commentarios Ecclesiasticos referri, vt cognoscatis qualem omnium Ecclesiarũ curam gerat, &c.] Et postea. [Gratias agimus sanctæ Synodo quòd literis sancti beatiq. Papæ nostri recitatis, sanctos cantus, sanctis vestris vocibus, sancto vestro capiti exhibueritis: non enim ignorat vestra beatitudo, totius fidei, vel etiam Apostolorum caput esse beatum Apostolum Petrum. &c.

Facilè enim falsitas conuincitur, & mendax nullo labore ac negotio compræhenditur. Vnde Prou. 10. dicitur. *Qui nititur mendacijs, hic pascit ventos: idem autem ipse sequitur aues volantes.* & c. 21. *Testis mendax peribit.* Romanam Petri cathedram velle mendacijs opprimere, insania est manifesta. nam Act. 9. *Durum est contra stimulum calcitrare. nec portę inferi præualebunt aduersus* C *eam.* Matth. 16:

Porrò si potestatem Romanæ Cathedræ super cæteras Orbis Ecclesias ab Ecclesiæ Patribus in Conc. congregatis pendere & originem habuisse dixerimus, de Iure humano illam descendere iugiter affirmare debemus: quamobrem & cæteris sæculi Iudicibus, qui à iure gentium potestatem accipiunt, similem esse, fateri oportet. Hoc autem quam sit absurdum atque peruersum, & potestati Ecclesiasticæ iniuriosum & contumeliosum, sanis viris patet. cognoscat prudens Lector in quas insanias prorumpere cogitur, qui Romanæ Cathedræ Petri contradicere, & superbire paratus est.

Vt autem huius calumniæ absurdũ magis ac magis patefiat, memorandum ducimus quid & quotuplex sit Ius in omni sua latitudine: diuiditur enim primò, in naturale & positiuum. Naturale est illud quod humanæ menti insiD det ad discernendum honestum à turpi, quid sequendum & fugiendum. ita omnes Doctores communiter. nec est naturalis inclinatio rei, quæ inest omnibus rebus, vt Iurisperiti putant: est enim hæc impropria & nimis lata acceptio: cum etiam inanimata & Bruta suas habeant inclinationes innatas: nec tamen habent leges, quæ Creaturis rationalibus tantùm conueniunt.

Positiuum verò, (quod sic vocatur, quia extra mentem & intellectum est à legislatore positum & extrinsecè promulgatum) est sermo ab aliqua mente, & prudentia profectus, quæ vim habet ad cogendum: ita Philosophus p. Etic. cap. 9. Et hoc ius positiuum duplex est, Diuinum & Humanum. Diuinum est quod à Deo immediatè datur: vt olim in veteri testamento fuerunt iudicialia, moralia, & ceremonialia precepta, vt dictum est Tomo primo lib. p. disp. 6. & in nouo testamento præcepta fidei, moralia, & Sacramentalia. humanum verò, est dictamen hominis ab eius po-

testate & prudentia proximè manans: quia licet omnis lex sit à Deo primordialiter, quatenus vult talem ordinem in natura, in quo sensu legitur Prou. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*. immediatè tamen potestas Principum temporalium à populo prouenit: cum enim homo sit animal sociabile, & vna cum cæteris hominibus viuens, constituat Ciuitatem vel prouinciam, quæ necessariò requirit Principem & Gubernatorem, ad euitandam confusionem, vtq. boni præmijs, & mali pænis afficiantur. nam Prou. 2. *Vbi non est Gubernator populus corruit*. necessariò ex naturæ dictamine, quod à Deo homini insitum fuit, omnis communitas seu Regnum debet sibi Principem eligere. cumq. Deus omnes homines eiusdem conditionis statuerit, nisi ipse Regem constituat, vt elegit Moysem. Exod. 1. Populus hoc habet ius. & reipsa omnes Reges à populo Regiam potestatem sibi descendere noscant, nam in nouo testamento, neminem à Deo in temporalem Regem electum fuisse inuenimus, vt diximus To. p. lib. 4. disp. 4. A B

Et quia omnis communitas ad duos fines præcipuos dirigi potest: nempe ad tẽporalem, vel ad æternam felicitatem: hinc oritur distinctio iuris humani in ciuile & Ecclesiasticum. Primum dicit ordinem ad regimen temporale tuendum, & ad pacem, huiusque sæculi felicitatem seruandam: estque ab hominibus & ex naturæ dictamine. Secundum dirigit hominem ad finem supernaturalem, estquè à Deo immediatè, qui expressè hanc contulit Petro, & successoribus potestatem sub metaphora Clauium, & sub metaphora ligandi & soluendi, non funibus, sed legibus.

Ex his ergo, Cathedræ Petri hostis perpendere poterit, quid sit affirmare ipsam non à Christo Domino, sed à Patribus tantùm in Concil. congregatis potestatem ac iurisdictionem, quam super Christiani Orbis Ecclesias exercuit, accepisse: nil aliud quippè, quàm ius Ecclesias regendi ad ius humanum coarctare & constipare. Hoc autem quàm sit impium & iniquum, qui in scripturis sanctis, & in sanctorum Patrum, & in sacrarum Synodorum lectione versati sunt, edicant. C

Etenim si Petrus à Christo Domino potestatem super cunctas Ecclesias immediatè non accepit: cùm ei dixit Matth. 16. *Tibi dabo Claues Regni Cælorum*: nunquid claues cellarij dedit ei? an Regiam potestatem, in ordine tamen ad spiritualia & cælestia: de qua dicitur Isai. 22. *dabo clauem domus David super humerum eius*. Cùm ei dixit. *Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cęlis: & quodcumque solueris, &c.* nunquid funarium fecit illum, vel legislatorem Ecclesiæ? lex enim à ligando dicitur. Cùm ei dixit, illum à cæteris Apostolis excipiendo: Ioann. vlt. *Diligis me plus his? Pasce agnos et oues meas*, nunquid Pastorem caprarum, vel principem vniuersæ Ecclesiæ illum constituit? nam Dauid vt esset Rex super Israel, similibus verbis dictum est 2. Reg. 5. *Tu pasces populum meum Israel*. Adde quod etiam veteres Græcorum Patres Catholicum harum scripturarum sensum, quem nos tenemus, habuerunt; vt constat ex Tomo p. lib. 12. disp. prima & secunda. cur ergo Græcis moderniòribus oppositum opinari liceat, ipsi videant; hoc vnum scio, quòd Græcorum Natio, post nouas has opiniones oppressa fuit à Turcis: eamque sic Maumethica secta occupauit, vt quisque ab ea candelabrum fidei à Deo ablatum fuisse (proh dolor!) agnoscat. D

Digitized by Google

A Si autem dicta Lutheranorum & Caluinistarum eis assumere placuerit, soli Petro, scilicet, præfatam potestatem à Saluatore fuisse exhibitam: non autem Romanis Episcopis, qui Romanæ Cathedræ Petri successerunt. primò, his verbis omnes Græcorum veteres Patres in Concilijs cogregatos damnant, & improbant. nam vt supra dictum est, & inferius dicemus; Patres in Synodis congregati Petrum in successoribus illius Romanis Episcopis, quorum legatos præsidentes habebant, viuere proclamabant. vt videre est in omnibus Concilijs. igitur non tantùm Personæ Petri, sed & illius hæredibus vsque ad consumationem sæculi, vsquequò perseuerabit Christi Ecclesia, loquutus fuit.

Secundò, eos, qui talia opinari audent, potius insanire quàm humaniter B ratiocinari, dicendum puto. nam si quia Petrum tantùm & non successores Saluator nominauit, Petrum tantùm non autem illius successores præfatam iurisdictionem habere affirmandum esset: fateri similiter oportebit, nec amplius esse in Ecclesia potestatem baptizandi, docendi, Eucharistiam conficiendi, vel sumendi, conferendi &c. nam nullibi dictum est in collatione Ecclesiastici ministerij, vobis & successoribus. sed ad Apostolos tantùm sermo directus fuit. vt ipsa scriptura testatur. igitur omne munus ab initio traditum, defecisset. & Ecclesia euanuisset. Ecclesia itaque cum Apostolis sepelienda erat. nec esset huius temporis Ecclesia eiusdem speciei cum prima, nempe cum illa quam Saluator construxit, & coagmentauit. ò in quale barathrum superbia & inobedientia homines inducit! & in quas phanaticas opiniones, C & chimeras ambitiosus prorumpit! Dicendum ergo est omne ius & munus Apostolis traditum à Saluatore, etiam Apostolorum successoribus vsque ad consummationem sæculi datum fuisse: quia vsque ad consummationem sæculi Ecclesia permanebit. cum Apostolis enim tunc sermonem habebat, quia Ecclesiæ vniuersæ tunc ipsi ministerium & personam gerebant. quod magis aperuit, cùm dixit Matth. vlt. *Ego vobiscum vsq. ad consummationem sæculi*. Quod solis Apostolis, quibus loquebatur, dictum esse impossibile est: quia ipsi vsque ad consummationem sæculi non erant permansuri, vt Ecclesia permanebit. igitur quæ Apostolis conferebat, & illorum successoribus collatum fuisse necessariò asseuerandum est: etsi successores Saluator non nominauerit. igitur cùm Petro regimen vniuersalis Ecclesiæ dedit, & illius successori illud dedisse, dicendum est. His ergo præmissis, hæc poni-D tur conclusio.

Omnium Ecclesiarum Appellationes, Romanæ Cathedræ S. Petri, non medio alicuius Concilij canone, sed Iure Diuino, & Christi Iesu statuto, congruere, & obtingere, idque tamquam fidei dogma tenendum esse, dicimus. hæc conclusio etsi ex dictis probata maneat, nihilominus adhuc vlterius probatur. Ad supremum & vniuersalem Pastorem Ecclesiæ Christi Domini fieri debent appellationes: Sed Romanus Episcopus est Pastor supremus vniuersæ Ecclesiæ: ergo ad Romanum Episcopum fieri debent omnium Ecclesiarum appellationes. maior patet ex quidditate Appellationis, quæ à minori ad maiorem Iudicem facienda est.

Minor probatur testimonio Generalium Conciliorum, quæ ipsi Græci vna simul cum Latinis vnanimiter celebrauerunt ab initio, & vsque ad annum Domini circiter octingentesimum, & septuagesimum. nam deinceps, sua-

dente Photio, qui in octaua Synodo damnatus, & episcopatu Constantinopolitano priuatus fuit, vt infra dicemus, Græcorum Nationem schisma sic inuasit, vt aperte primatum Romani Pontificis impugnare ausi fuerint. probandum ergo est Romanorum Episcopum esse Pastorem vniuersæ Ecclesiæ. A

Testimonium Conc. Nicæni primi. Huius Concilij Patres hanc dederunt Epistolam Syluestro Papæ: & habetur ex primo Tomo Conciliorum. [*Beatissimo Papæ Vrbis Romæ cum omni reuerentia colendo Syluestro, Osius Episcopus Prouinciæ Hispaniæ, Ciuitatis Cordubensis, & Macarius Episcopus Ecclesiæ Hierosolimitanæ, & Victor & Vicentius presbyteri Vrbis Romæ, ordinati ex directione tua. Quoniam omnia corroborata de Diuinis mysterijs Ecclesiasticæ vtilitatis quæ ad robur pertinent Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ ad Sedem tuam Romanam explanata, & de Græco redacta scribere confitemur. Nunc itaque ad vestræ sedis argumentum accurrimus roborari. Itaque censeat vestra Apostolica doctrina Episcopos totius vestræ Apostolicæ vrbis in vnum conuenire, vestrumque habere Concilium, sicut docet mystica veritas: vt firmetur nostra sanctimonia, gradusq. fixos. vel textus ordinationis tuæ sanctimonia, nostra possit habere regula: quoniam decet numerum dictorum tuorum coepiscoporum à te discere gradus, vel ordines constituere Vrbis. Quicquid autem constituimus in Concilio Niceno, precamur vestri oris consortio confirmetur. &c.* B

Rescriptum Syluestri Episcopi ad Synodum Nicænam.

SYluester Episcopus Sedis Apostolicæ, & S. Ecclesiæ Catholicæ, reuerendæ religionis Vrbis Romæ fratribus, & coepiscopis, qui in Nicænum Concilium conuenerunt, in Domino salutem. Gaudeo promptam vos benignitatem seruare. nam & confirmo sigoque ad doctrinæ vestræ reclamantes de mysterio vel vnitate Trinitatis, chrismatis vos secundum dicta, & doctrinam Euangelicam, sanctam accepisse gratiam: de qua examinationis probo veritate fuisse, & esse mansura, quæ in vestrum nostrumque manauere mysterium, meum chirographum & discipulorum meorum offero in vestro sancto Concilio quicquid constitueritis, vna parem dare consensum, &c. C

Concilium Romanum tertium. Quod S. Papa Syluester celebrauit.

Præsente Constantino Augusto in Vrbe Roma intra Thermas Domitianas, cum ducentis septuaginta quinque Episcopis, qui in ipsa Synodo conuenerant vocati à B. Syluestro. D

SYluester Episcopus sancta & Apostolicæ Sedis Vrbis Romæ, dixit. Quicquid in Nicæa Bythiniæ constitutum est, ad robur sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, à sanctis Sacerdotibus trecentis decem & octo, nostro ore confirmamus. Omnes qui ausi fuerint dissoluere definitionem sancti & magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum est, sub presentia piissimi & venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus. Et dixerunt omnes, Placet. &c.

Testi-

Digitized by Google

A *Testimonium Concilij Generalis secundi, quod est Constantinopolitanum primum.*

DEFVNCTO Constante Imperatore, successit Constantius qui Arriana hæresi fœdatus erat: & post illum Gratianus, & Valens; quo tempore Orbis terrarum hæresibus redundabat, quibus succedens Theodosius cum esset Catholicus, & Thessalonicæ baptizatus, publicum dedit edictum, vt vniuersæ gentes in eam fidem conuenirent, quam de Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna diuinitate, ab Apostolo Petro Romanis traditam, Damasus Pontifex prædicabat. Mox Constantinopolim profectus, B vt generalis Concilij præsidio, damnatis hæresibus, in vnam rectamque fidem consociaret Ecclesias; centum, & quinquaginta catholicæ communionis Episcopos, mandato Damasi Papæ, euocauit. ex Tomo p. Conc. in eiusdem Concilij historia.

Quòd autem Concilium hoc, decreto & auctoritate Damasi Papæ, coactum & firmatum fuerit; patet ex Actione prima Concilij Chalcedonensis, in qua Pascasinus S. Leonis Papæ, legatus, Dioscorum Episcopum Alexandrinum damnat coràm vniuersa Synodo sexcentorum Patrum: *quia cum personam iudicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.*

Et patet etiam ex Actione decima octaua sextæ Synodi, vbi Patres aiunt C Theodosium, ac Damasum per secundam Synodum obstitisse Macedonio hæretico: sicut Syluester, & Constantinus congregato Nicæno Concilio, Arrio obstiterunt. verba Synodi hæc sunt. [Arrius diuisor, atque partitor Trinitatis insurgebat: & continuò Constantinus semper Augustus, & Syluester laudabilis, magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant, per quam ipsa Trinitas, tam fidei Symbolum dictauit, quàmque aduersus Arrianam malitiam sententiam promulgauit, & iusta pœna errantem Ecclesiæ locis indignis, sed illi condignis, cruciauit. Macedonius Spiritus denegabat Deitatem, & dominantem conseruum prædicabat. Sed maximus Imperator Theodosius, & Damasus fidei adamas, protinus obstiterunt &c.]

D *Testimonium Concilij Generalis tertij; quod est Ephesinum.*

SVCCESSERAT Nectario Constantinopolitanæ Vrbis Episcopo S. Ioannes Chrisostomus: Chrisostomo, Arsacius Nectarij frater: Arsacio, Atticus, Attico, Sisinnius. post cuius obitum, Theodosius iunior Augustus, Theodosij senioris nepos, & filius Arcadij, offensus seditione ciuium circa electionem Episcopi Constantinopolitani, ex vrbe Antiochena aliquem in Episcopum euocare decreuit. Erat autem Antiochiæ quidam præsbiter, nomine Nestorius, Germaniciæ natus, præditus facultate dicendi, à forensi strepitu alienus, & oris pallore ac macie, bonæ disciplinæ exhibebat imaginem. hic annuente Imperatore, Episcopus Constant. electus est, duxerat autem secum ab ea ciuitate Anastasium quendam præsbiterum fidissimum comitem, qui elapsis mensibus aliquot, inter concionandum, dixit

Bea-

Beatam Mariam Virginem non esse Dei, sed Christi genitricem: quam sententiam Nestorius Episcopus, qui aderat, coram omni populo commendauit; affirmans quod sicut in Christo Domino duæ sunt naturæ, Diuina scilicet & humana; sic pariter sunt duæ Personæ. quapropter commota est vniuersa ciuitas, omnesquè Monachi Nestorio Episcopo contradicebant. Peruenit fama hæc ad Cyrillum Alexandrinum Episcopum, virum & sanctitate & doctrina celeberrimum, qui rei veritatem nactus, illicò ad Cælestinum Romanum Pontificem literas misit, quibus eum de falsis nouisque dogmatibus, quibus Nestorius Constantinop. vrbem multosque populos inficiebat certũ reddidit: addiditquè se ab ipso expectare sententiam, an cum Nestorio communicandum esset. A

Quod vt audiuit Cælestinus, ipsi Cyrillo vices suas commisit, suamque auctoritatem delegauit; mandans ei vt Nestorium à sede Constantinopolitana eijciat, nisi post dies decem, à sedis Apostolicæ monitione & citatione, suam, quam nouiter dederat doctrinam, non anathematizasset. & subdit hanc suam sententiam esse Domini nostri Iesu Christi. eidemque Cyrillo præcepit, vt interim Ecclesiæ Constantinopolitanæ curam susciperet: Nestoriumque anathematizat: & hanc sui iudicij formam, futurum Generale Concilium exequi oportere, præmonstrat. quæ omnia Cyrillus exequutioni mandauit. B

Ex his enim luculentèr constat, Romanum Pontificem vniuersæ Ecclesiæ Christi Patrem ac Pastorem esse. nam Patriarcham Alexandrinum Legatum suum constituit; Nestorium Constantinop. Patriarcham ab episcopatu eijcit: eiusdemque Ecclesiæ Præsulem Cyrillum ad tempus constituit. quæ omnia in Ephesina Synodo, quæ immediatè ab eodem Cælestino coacta fuit, rata habita fuere: quod Patres minimè fecissent, imò renuissent apertè nisi tunc temporis Ecclesia, Romanum Episcopum vniuersæ Ecclesiæ Pastorem esse, pro certo habuisset. C

Hæc autem quæ narramus, & immediatè dicemus, in Actis eiusdem Synodi habentur apud Latinos, Græcos, & cuiuscumque Nationis homines.

Actione prima Ephesinæ Synodi, Cyrillus legatus Papæ testatur se per epistolam Cælestini Papæ & per sacros canones ad deponendum Nestorium ab episcopatu, & sacerdotio coactum esse. Actione secunda legitur, ex Vrbe Roma ad Synodum tres adhuc Cælestini Papæ legatos peruenisse: quorum prior Philippus nomine, omnibus sanctæ Synodi præsentibus Patribus sic fari cæpit. [Quæcunque per nos scripsit sanctissimus Papa noster Cælestinus sedis Apostolicæ Episcopus, iubete legi, ac inter commentarios Ecclesiasticos referri, vt cognoscatis qualem omnium Ecclesiarum curam gerat.] Et primò Latinè, secundò Græcè epistola lecta fuit. in qua inter cætera quæ scripsit, omnibus annunciat, se tres Legatos, vt Synodo intersint, misisse; & iubet vt quæ ab eo statuta fuere, exequantur. Sancta Synodus respondit. *Hoc iustum iudicium. Cælestino custodi fidei sancta Synodus gratias agit.* D

Deinde Proiectus secundus sedis Apostolicæ Legatus dixit. [Audistis quod Cælestinus sanctitatem vestram commonefacit, vt exequatur id quod antea iam ipse definire dignatus erat.] Et Firmus Cesareę Cappadociæ Episcopus respondit. [Apostolica & sancta Sedes Cælestini sanctissimi Episcopi, per literas quas scripsit ad Religiosissimos Episcopos, Cyrillum Alexandrinum

A num, Iuuenalem Hierosolimitanum, & Rufum Thessalonicensem, nec non ad sanctas Constantinopolis & Antiochiæ Ecclesias de præsenti negotio iam sententiam, & regulam præscripsit: & formam illam exequutioni mandauimus &c.] Postea Philippus præsbiter Legatus Cælestini Papæ dixit. [Gratias agimus sanctæ Synodo, quòd literis sancti beatique Papæ nostri recitatis, sanctos cantus, sanctis vestris vocibus, sancto vestro capiti, exhibueritis: non enim ignorat vestra beatitudo, totius fidei, & etiam Apostolorum caput esse beatum Apostolum Petrum &c.]

Actione tertia Synodi, depositio Nestorij, instantibus Legatis Papæ lecta fuit, qua perlecta, Philippus præsbiter Legatus dixit. [Omnibus sæculis notum est, quòd sanctus, & beatissimus Petrus Apostolorum princeps & caput, fideique columna, & Ecclesiæ catholicæ fundamentum, à Domino

B nostro Iesu Christo claues Regni accepit, soluendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc vsque tempus & semper in suis successoribus viuit, & iudicium exercet. Huius itaque secundum ordinem successor, & locum tenens sanctus & beatissimus Papa noster Cælestinus Episcopus, nos ipsius præsentiam supplentes, ad hanc sanctam Synodum misit &c.]

Testimonium Concilij Generalis quarti: quod est Chalcedonense.

FVGATO Nestorio, & Imperatoris edicto in Arabiam petrosam misso, ibique relegato, Maximianus Constantinopolitanus Episcopus ele-

C ctus fuit; post quem fuit Proclus, & post Procli obitum, Flauianus. hic triginta Episcoporum Synodum coegit, ad causam examinandam, quæ inter Florentium Sardeorum Lidiæ Episcopum Metropolitam, & duos ei subiectos Episcopos, Ioannem, & Cosinium vertebatur: aderat Synodo inter cæteros Episcopos, Eusebius Episcopus Dorilei in Phrigia, vir doctrina illustris, & hæreticorum hostis acerrimus, qui Synodo libellum obtulit, quo Euthichem Archimandritam delirare cæpisse monebat: cum de Redemptore, redemptionisque sacramento aliter sentiret, quàm ab Apostolis, & Nicænis Patribus traditum sit. opinabatur autem Euthiches Christum Dominum non ex duabus & in duabus naturis subsistere: nec humanum corpus de Virgine suscepisse nostris consubstantiale corporibus. etenim cum Nestorianam hæresim, in Christo duas personas dicentem, plus æquo vitare vellet; vnam

D naturam in Christo, sicut habet vnam hypostasim, prædicabat: permixtionem quandam in naturis ponebat, vt sola diuinitas sub carnis non veritate, sed figura, famem, sitim, lassitudinem, vigilias, crucem, mortem perpessa sit, & post triduum reuixerit è sepulchro. hæc verò monstra, quæ ex Manichei, Valentini, & Apollinaris caueis eduxerat, in quodam volumine ab eo exarato, omnibus in monasterijs diuulgabat. Quæ cum ab Episcopo Dorileno exponerentur; Flauianum, & qui assidebant Episcopos vehementer perturbarunt. vocatus fuit ad Synodum Euthiches, ibique suas aperuit hæreses: quamobrem Patres eum à sacerdotio & monasteriorum gubernaculo remouerunt, & insuper anathematis mucrone vulnerauerunt.

Euthiches, vt hæc accepit, Leoni Papæ scripsit, vt suas partes susciperet. at Leo de veritate certus per literas Flauiani Episcopi, eum anathematizauit. quamobrem Euthiches ad Imperatoris, & Dioscori Alexandrini Episcopi patroci-

trocinium confugit. Dioscorus autem Flauiano inuidens ob Constantinopolitanæ sedis amplitudinem, partes Eutichetis suscepit, putans eius sententiam esse Cyrilli, qui auctoritate Cælestini Papæ Concilio Ephesino præfuerat: cuius Cyrilli ipse fuerat Diaconus; cumque plenus esset vitijs, vt ex Actis huius Synodi constat; ad huiusmodi tuendas hæreses se promptum exhibuit. itaque cum Imperatore egit; missis ad eum literis, vt generale Concilium indiceret: annuit Imperator, consentiente Leone Papa; idcircò Leo suos legatos misit. adfuit Dioscorus cum Euthiche: Flauianus vna cum centum triginta Episcopis. Iuuenalis Episcopus Hierosolimitanus: Domnus Antiochenus, & Synodus Ephesi congregata fuit. A

At Dioscorus, nec Legatis Papæ locum dare, nec Episcopos audire voluit: imò super Flauianum irruit, eumque atrociter sic percussit, vt post triduum obierit. multos Episcopos in carcerem coniecit, & à cæteris Episcopis consensum in scriptis extorsit in alba charta, nec sciebant quid in ea scribere voluisset. tandem hæresis Euthichetis, vt vera proclamata fuit, ac Leonem Papam temerariè anathematizauit, & sic vt victor redijt Alexandriam. B

Leo Papa vt audiuit Flauiani necem, Episcoporum terrorem ac fugam, diuulsas Ecclesias, prostratam fidem, & exultantem hæresim: coacta Synodo Romæ: quidquid Ephesi factum fuerat damnauit ac rescidit, scripsitque Theodosio vt aliam Synodum cogi permitteret, vt Ephesina nuper absoluta, damnaretur. renuit Imperator. imò Flauianum publico edicto damnauit, iussitque Ephesinam hanc Synodum Nicenæ æquari, deceptus fabulis Euthichianorum. At neque leues, neque feras tanti facinoris pœnas dedit: siquidem non multò post, dum equitaret, collapso equo, grauiter elisus, exanimatus est, nullo hærede relicto. C

Eius soror Pulcheria Martiano clarissimo Senatori, & Orientis Imperium & seipsam in matrimonium dedit, suffragante Senatu. Instante igitur Leone Papa, indictum est Concilium generale in Nicæa Bithiniæ congregandum, assentiente Martiano, quapropter Leo Papa suos Legatos misit, qui cum permagni interesse existimarent ad res componendas tumultusque Euthichianorum sedandos, si Synodo Martianus interesset, obnixè illum rogarunt, vt illuc Concilium transferret, quò & ipse non incommodè posset accedere. quamobrem Chalcedone translata fuit Synodus, ibique cæpta & absoluta fuit, multis Comitibus in Concilio præsentibus, vt Imperatoris auctoritate strepitus ac turbæ comprimerentur. D

In huius Synodi Actione prima, Paschasinus Legatus Leonis Papæ sic fari cæpit. [Beatissimi atque Apostolici viri Papæ vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum præcepta habemus præ manibus, quibus censuit interloquendum, vt præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. hoc nos obseruare necesse est. Si ergo præcipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur aut nos eximus. quibus Grecè translatis, Iudices, & Senatus dixerunt: Quid obijcitur Dioscoro? respondit Legatus: Quia cum personam iudicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est. Senatus Legato ait. Si Iudicis obtines personam, non vt accusator debes prosequi &c.]

Acta

Digitized by Google

A Acta Conciliabuli Ephesini lecta, & examinata fuerunt, conuictus fuit Dioscorus, in hac præcipuè culpa, quia malitiosè epistolam Leonis Papæ impediuit ne legeretur, in qua eius Legati aperiebantur, qui Synodo præsidere debuerant.

Actione secunda, Senatus Imperialis Synodum hortatus est, vt absque vllo timore, vllaque inimicitia rectam fidem exponeret, quia ad illos spectat cura animarum, quapropter omnes doceri volunt ab eis sanctam fidei veritatem. Sancta Synodus sexcentorum triginta Episcoporum sic respondit. *Super ijs forma data est à sanctissimo Archiepiscopo Romanæ Vrbis: & sequimur eum: & omnes Epistolæ eius subscripsimus.*

Et quia deinceps lecta fuit epistola Leonis Papæ, quam sanctæ Synodo
B scripsit, quæ à Flauiano collecta fuerat Constantinopoli contra Euthichen. Patres dixerunt. *Petrus per Leonem loquutus est. Apostoli ita docuerunt. hæc vera fides. hæc Patrum fides.*

Actione tertia, Paschasinus Legatus Apostolicæ sedis, præsentibus omnibus Synodi Patribus latinè, & per interpretem sic locutus est. [Notum est sanctæ Synodo, Beatissimum Leonem nostram paruitatem huic sancto Concilio pro se præsidere præcepisse, ideoque necessarium est hæc quæ in medium proferuntur per nostram interlocutionem disceptari: quapropter recitetur libellus porrectus à Religiosiss. fratre nostro & coepisc. Eusebio &c.]

Et cum multi libelli aduersus Dioscorum coram Legatis, & sancta Synodo darentur; omnium hæc erat inscriptio. [Sanctissimo & Dei amatis-
C simo, & vniuersali Archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sanctæ & vniuersali Synodo Chalcedonensi &c.]

Tandem damnatus est Dioscorus, & Episcopatu, ac sacerdotio priuatus fuit, & sententia ab eodem Legato his verbis proferebatur. [Sanctissimus, & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos, & per præsentem sanctam Synodum, vna cum ter beatissimo, & omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra & crepido catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudauit eum, tam Episcopatus dignitate, quam etiam & ab omni sacerdotali alienauit ministerio.] & subscripserunt omnes Episcopi.

Et in subscriptionibus, sic primò Paschasinus Legatus Leonis Papæ scripsit. [Paschasinus Episcopus Ecclesiæ Lilibetanæ Prouinciæ Siciliæ, vice bea-
D tissimi atque Apostolici vniuersalis Ecclesiæ Papæ Vrbis Romæ Leonis, sanctæ Synodo Præsidens, in Dioscori damnatione, consensu vniuersalis Concilij subscripsi.

Deinde duo alij Legati subscripserunt. postea Episcopus Constantinopolis sic. *Anatholius archiepiscopus Constantinopolis noua Roma definiens subscripsi.* & deinceps omnes Episcopi.

Actione decimasexta, & vltima huius Synodi, legitur fraus Anatolij Constantinopolitani Episcopi. nam cum Legati Papæ è Synodo egressi essent, quidam canones Patribus Concilij propositi fuerunt ad subscribendum. primus est: Quod Patres primatum dederunt Episcopo Romano, eo quòd Roma sit Regina vrbium, & quia Constantinopolis est noua Roma, dantur Episcopo Constantinopolitano æquales honores, & eadem priuilegia. & quòd ab Episc. Constantinop. ordinetur Metropolit. Asiæ, Thraciæ, & Ponti.

Quod vt audierunt Papæ Legati Senatui denunciauerunt: post eorum discessum, Episc. quædã decreuisse circa priuilegia Episc. Constantinop. nempè quòd ipse omnes Episc. Põti Asię, & Thracię instituere debeat, & æquales honores cũ Rom. Pontif. habeat. & quia ipsis absentibus iniustè sancitũ fuerat Iudices hęc acta relegi iusserũt & relecta sũt. Quapropter Legati Papæ mandatũ in scriptis à Leone acceptũ in mediũ protulerunt, quod sic dicebat. [Sanctorũ quoq; Patrũ cõstitutionem prolatã, nulla patiamini temeritate violari, vel imminui, seruantes omnimodis personæ nostræ in vobis, quos vice nostra transmisimus, dignitatem. ac si qui fortè, ciuitatum suarum splendore confisi, aliquid sibi tentauerint vsurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis.] A

At quia Senatus, & Episcopi æquũ ac decorum esse dicebant, vt Constant. Episcopus illos habeat honores. Legati sic dixerunt. *Sedes Apostolica, quæ nobis præcepit, præsentibus humiliari non debet. & ideo quæcunq. in præiudicium canonum vel regularum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus vt circumduci iubeatis: sin alias contradictio nostra his gestis inhæreat, vt nouerimus quid Apostolico viro vniuersalis Ecclesiæ Papæ referre debeamus, vt ipse aut de suæ sedis iniuria, aut de canonum euersione possit ferre sententiam.* B

Deinde epistola vniuersæ Synodi Chalcedon. ad Leonem Papam habetur, qua Actorum confirmationẽ petitur: vbi etiam de Rom. Cathedræ primatu, sic disseritur. *Tu quidem nobis sicut membris caput præeras, in his qui tuas vices gerebant beneuolentiam præferens &c.* & de Dioscori iniquitate ratiocinantes, aiũt. *Et post hæc omnia insuper & contra ipsum, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est extendit insaniam; idest contra tuam Apostolicã sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te qui corpus Ecclesiæ vnire festinas &c.* & postea. *eam consuetudinem quę longo tempore permansit, quam habuit S. Constantinop. Ecclesia ad ordinandos Metropolit. Prouinciarum Ponti, Asiæ, & Thraciæ, & nunc Synodali decreto firmauimus, non tam Sedi Constantinop. aliquid præstantes, quàm Metrop. Vrbibus quietem congruam prouidentes: eo quòd frequenter Episcopis vitam finientibus multæ turbę nascuntur, vnde quidã vobis sæpius importuni fuerunt etc. confirmauimus autem et centum quinquaginta sanctorum Patrum regulam, qui in Constantinop. Vrbe congregati sunt sub piæ memoriæ Theodosio, quæ præcepit post vestram sanctissimam, et Apostolicam sedem, honorem habere Constantinopolitanam.* C

Tandem rogant Papam vt hanc ordinationem dignetur complecti, cui eius Legati restiterant. *Rogamus igitur & tuis decretis nostrum honora iudicium, & sicut nos Capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic & summitas tua filijs quod decet adimpleat.* D

Habetur etiam epistola responsalis ad S. Synodũ, in qua omnia Cõcilij Acta à Leone Papa rata habentur, sed canones quibus Legati restiterunt, ab eo irritantur, & cassantur. & in eiusdem Leonis ad Anatolium Episcopũ Constantinop. epistola, Anatolium superbum, elatum, ambitiosum, & contemptorem canonum esse fatetur: & subdit, *volo vt ab his prorsus abstineas &c.*

Demum eiusdẽ Leonis Papæ epistola ad Martianum Augustũ conspicitur: qua de optimo fine S. Synodi in fide firmãda congratulatur. at de Anatolio Episc. Constantinop. sic subdit. [Cum secundùm suæ consecrationis auctores eius initia titubarent, benigniores circa ipsum quàm iustiores esse voluimus, quo perturbationes omnes, quæ operãte diabolo fuerãt excitatę, adhibitis remedijs leniremus, quę illũ modestũ magis quã immoderatũ facere debuerũt.

Qui

A Qui etiam si præcipuis meritis, optimoque iudicio legitime fuisset ac solemniter ordinatus, contra reuerentiam tamen canonum paternorum, contra Sancti Spiritus instituta, contra antiquitatis exempla, nullis posset suffragijs adiuuari. Apud Christianum, & verè religiosum Principem loquor: multùm Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento. Habeat sicut optamus Constantinopolitana ciuitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio: alia tamen est ratio rerum sæcularium, alia Diuinarum. nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio. propria perdit qui indebita concupiscit. satis sit prædicto, quod vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu, Episcopatum tantæ Vrbis obtinuit; nec dedignetur ciuitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem: nec vllo speret modo, quòd per aliorum possit offensiones augeri. Neque sibi æstimet licuisse, quòd Antiochenæ Ecclesiæ, sinè vllo exemplo, contra statuta canonum, Episcopum ordinare præsumpsit: quod nos amore reparandæ fidei, & pacis studio retractare cessauimus. Abstineat ergo ab Ecclesiasticarum iniuria regularum, & illicitos declinet excessus, ne se, ab vniuersali Ecclesia, dum inimica paci tentat, abscindat &c.]

B

Et in epistola eiusdem Leonis ad Pulcheriam Augustam, in eadem Anatolij causa inquit; *tales canones in irritum mittimus, & per auctoritatem Beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus. &c.* Perpendat ergo prudens lector, eximiam super cunctas Christi Ecclesias, his quæ præmittimus, Romanæ Cathedræ potestatem.

C

Testimonium Concilij generalis quinti, quod dicitur Constantinopolitanum secundum.

POST Martiani Imperatoris obitum, magni per omnem Ecclesiam facti sunt motus per Eutichianos, Nestorianos, & Origenistas hæreticos qui viuente Martiano, metu pœnæ, in multis partibus latuerant. Prior autem qui turbines immisit Timotheus Aelurus extitit, qui statim Proterium Episcopum Alexandrinum occidit, ac combussit, & Episcopatum inuasit. Eodemque tempore Seuerus quidam, similiter hæreticus, sedem Antiochenam arripuit, Flauianum pium catholicumque Episcopum eiecit, trecentosque monachos stabiles in fide catholica trucidauit. Itaque multis decursis facinoribus, tandem anno Domini 553. & Iustiniani Imperatoris 27. Constantinopolitana quinta Synodus indicitur. adfuere Euthichius Constantinop. Episcopus, qui Menæ demortuo successerat, Apollinaris Alexandrinus, Domnius Antiochenus, tres qui Eustochij Episcopi Hierusalem vices gerebant. omnesque fuerunt Episcopi centum sexaginta quinque.

D

Vigilius Romanus Pontifex per id tempus Constantinopoli versabatur: qui vt Synodo interesset, etiam atque etiam rogatus est. primùm quidem à tribus Patriarchis, & septemdecim Episcopis, id nomine totius Concilij supplicitet orantibus: deinde à tribus Patricijs cum Episcopis, ab Imperatore missis: nullis tamen præcibus adduci potuit, vt ad Synodum accederet, quippe qui absque Occidentis Episcopis ex Italia, non ad Synodum faciendam, sed ad Imperatorem profectus fuerat. tamē suam voluntatem, & assensū pol-

licitus est rebus omnibus, quæ sacro approbante Concilio legitimè definitæ A fuissent.

At quia nec Papa, nec eius Legati huic Synodo adfuerunt, apud Occidentales nullius erat roboris. tamen vt omnibus esset accepta, Romani Pontifices grauissimis sententijs illam approbauerunt. primùm Vigilius Papa, cuius authoritate coacta fuit: deinde Pelagius, qui insignem epistolam in eius defensionem dedit. tum Gregorius Magnus: Nicolaus primus: Leo nonus: Synodi quoque generales sexta & septima, & reliquæ.

Hinc patet Romani Pontificis auctoritas: nam absque illius consensu, nec ipsa Concilia olim erant accepta. hæc autem quæ narrauimus ex historia & actis præfatæ Synodi sunt manifesta, ibique exarata cernuntur.

B

Testimonium Concilij generalis sexti: quod dicitur Constantinopolitanum tertium.

DAMNATA iam Euthichiana & Acephalorum hæresi: adhuc fides Catholica fluctuabat: nam cum multi Chalcedonensem Synodum oppugnassent, ex eadem Euthichetis impietate, varia scelera nata fuerant. etenim cum Euthichianistæ palam duas in Christo naturas negare tunc temporis non auderent, duas in eo voluntates & operationes negabant, vt saltem occultè homines ad errores Euthichetis reuocarent. quorum dux fuit Theodorus Pharanita Episcopus, à quo manauit error in Sergium Constantinopolitanum Præsulem, hominem Syrum, in Iacobitarum consortio ac disciplina educatum; & in Athanasium Patriarcham Iacobitarum Syrum, genere & animo à Chalcedonensi Concilio alienissimum, qui ad Heraclium Augustum tunc Persarum spolijs exultantem, Hieropolim accessit. quem dum Imperator ab hæresi studet extrahere, in hæresim ipse præceps descendit. hortatur Imperator eundem Athanasium ad Chalcedonensem fidem tenendam, & spondet resipiscenti Patriarchatum Antiochenum. simulat Athanasius esse se eum quem cupiebat Heraclius, duasque Christi naturas confessus, vicissim rogat Imperatorem, vnam ne an duas esse Christi voluntates, & actiones existimet. qua de re nihil statuendum putauit Heraclius, sed Sergium Episcopum Constantinopolitanum absentem de proposita quæstione consuluit: qui Heraclio vnam esse Christi voluntatem respondit: quapropter eam sententiam publico peruulgauit edicto. Quidam autem Cyrus eadem D hæresi fœdatus, interea ad Episcopatum Alexandrinum assumptus fuit, qui vna cum Theodoro Pharanita hanc hæresim acerrimè tuebatur. Sergius etiam Episcopus Constantinopolitanus coacta Synodo Episcoporum, eandem hæresim solemniter peruulgauit. augebatur itaque malum hoc per Constantinopolitanam, & Alexandrinam Diæceses. Hos sacrilegos motus non parum repressit Sophronius optimus monachus; qui deinde ad sedem Hierosolymitanam euectus Concilium coegit, quo præfatam hæresim damnauit.

Id verò Sergius molestè ferens, ad Honorium Romanum Pontificem nomen Sophronij detulit, quod nouis duarum voluntatum actionumque nominibus totum misceret Orientem. Sergio, Cyro, & Sophronio, ita rescripsit Honorius, vt nihil aliud tunc spectasse videretur, quàm vt nouas quæstiones, discordiæ ac seditionis plenas resecaret. Quam Pontificis prouiden-

Digitized by Google

A uidentiam, sui erroris approbationem esse, interpraetati Monothelitæ, in suarum partium patrocinium, Romani Pontificis nomine abutebantur. Sed cum Honorio, Seuerinus: Seuerino, Ioannes Quartus successissent. Hic per literas ab Heraclio de Monothelitarum secta certior factus, indicta Romano Synodo, illorum decreta rescidit, & vt Imperatorem ab eorum communione deduceret, sedulò laborauit. His permotus Heraclius, vt S. Maximus affirmat, edicto se liberauit omni Ecclesiastica censura, & hæc scripsit. *Ecthesis mea non est, nec ego dictaui, aut fieri iussi: sed rogauit me Sergius Patriarcha, qui eam condidit, vt nomine meo promulgaretur: nunc autem quia impugnatur, declaro ad omnes, meam non esse.*

Successerunt autem & Heraclio cæteri Imperatores eiusdem erroris, &
B Episcopo Constantinopolitano cæteri Episcopi eiusdem hæresis, quousque Martinus Primus Papa, coacto Concilio in Laterano, centum & quinque Episcoporum, Monothelitæ anathematizati sunt. duæ Christi Domini voluntates, duæ item Actiones sancitæ fuerunt. reiecti quoque sunt in hæreticorum numerum, Theodorus Pharanita, Cyrus Alexandrinus; Sergius, Pirrus, & Paulus Constantinopolitani Episcopi, ac pariter Heraclij Ectesis damnata fuit.

Tantum ac tam excelsum Pontificis animum ægrè ferens Constans tunc temporis nequissimus Imperator, non solùm Maximum religiosissimum & doctissimum Monachum, & fortissimum Martini in eo certamine adiutorem ac socium, verùm etiam Martinum Pontificem, primò per Olym-
C pium Exarcum, deinde per Theodorum Calliopam capi iussit, & Constantinopolim perduci: eundemque deinceps in Chersonesum relegauit, vbi varijs incommodis vitam finiuit. at non multis decursis mensibus, Imperator soluit sui sceleris dignissimas pœnas: nam in balneo occisus fuit.

Constanti successit Constantinus filius, cognomento Pogonatus, Orthodoxæ religionis amantissimus: qui vt domesticam ac veluti hæreditariam maculam deleret, egit primùm cum Dono summo Pontifice, deinde cum Agathone eius successore de generali Concilio Constantinopoli cogendo, præsidentibus Apostolicis Legatis. annuit Agatho, suamque adhibuit authoritatem. habita igitur Romæ Synodo centum & viginti Episcoporum, quatuor ad Concilium generale citatum misit Legatos, Theodorum & Gregorium presbyteros, Ioannem Diaconum, & Constantium hypodiaconum, da-
D tis & ad Imperatorem & Synodum egregijs eruditissimisque literis. Conuenerunt ad Synodum Ioannes Portuensis, Abundantius Paternensis, & Ioannes Regiensis, Episcopi, nomine Romanæ Synodi sub Agathone, Romæ coacta: & cum ijs Theodorus præsbyter, loco Theodori Rauennatis Episcopi. adfuerunt tres Orientis Patriarchæ; Georgius Constantinop. Macarius Antiochenus, Petrus Alexandrinus, & quamplurimi Episcopi.

In Actis Synodi, Græcè & Latinè exaratis, semper Legati Romanæ Sedis primi loquuntur, primi sedent & iudicant. at dicent Græci huius temporis. concedimus Romanam Sedem primum habere locum: esse autem caput, & Principem Patriarcharum non concedimus.

At si hoc, quod à Græcis recentioribus dicitur, verum esset; Patres tertiæ, & quartæ Synodi in his quæ dixerunt & nos citauimus mentiti essent. Et Patres huius Synodi de qua nunc agimus similiter mentirentur, dum Actione octaua

Digitized by Google

octaua dicunt. *Suggestiones directas à Patre nostro Agathone sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ & principalis Sedis antiquæ Romæ, ad à Deo coronatum, & mansuetissimum nostrum dominum Imperatorem, tamquam ex Spiritu sancto dictatas per os sancti ac beatissimi principis Apostolorum Petri prædico, & digito ter beatissimi Papæ Agathonis scriptas suscipio & amplector &c.* Et cùm Actione vltima in sermone prosphonetico seu acclamatorio ad Imperatorem aiunt. *Proinde inspiratione sancti Spiritus conspirantes, & ad inuicem omnes consonantes atque consentientes, & Agathonis sanctissimi Patris nostri & summi Papæ dogmaticis literis ad vestram fortitudinem missis, consentientes, &c.* & infra. *Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum Princeps: illius enim imitatorem, & Sedis successorem habuimus fautorem & diuini sacramenti mysterium illustrantem per literas, confessionem tibi à Deo inscriptam, illa Romana antiqua ciuitas obtulit, & dogmatum diem à vespertinis partibus extulit. charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur &c.* & postea. A B

In epistola Synodali totius Concilij sic habetur. *Itaque tibi, vt primæ sedis Antistiti vniuersalis Ecclesiæ, quid gerendum sit permittimus, stanti super firmam fidei petram, acquiescentes veræ confessionis literis, à vestra Paterna beatitudine ad piissimum Imperatorem missis: quas vt à summo Apostolorum vertice diuinitus perscriptas agnoscimus: per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus &c.* & deinceps vniuersa Synodus in eadem epistola petens Actorum Concilij confirmationem, ait. *Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem vobiscum clarè prædicauimus: quam etiam vt per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus Paternam sanctitatem, &c.* Non est ergo Romanus Pontifex tantùm primus, ordinis primitate: sed iurisdictione & potestate: quemadmodum Rex in regno primus dicitur in ordine ad Barones & Comites sibi subiectos, vt ex citatis Patrum confessionibus constat. nam vniuersæ Ecclesiæ Antistes dicitur, & Pater Concilij generalis, itaut sua confirmatione & assensu, ipsa Acta Concilij robur accipiant. sicut ergo particularis Episcopus plenam habet in sua diœcesi iurisdictionem, nec tantùm ordine & honore est sibi subiectis prior. sic dum Romanus Pontifex vniuersalis Ecclesiæ dicitur Episcopus vel Antistes, vniuersa Ecclesia pari modo eius supremæ potestati & iurisdictioni subiacet: nec solum ordine est in Ecclesia primus. C

Testimonium Concilijs generalis septimi: quod dicitur Nicænum secundum. D

Ezidum Arabum Regem Iudæus quidam decepit, vt sacras è Templis detraheret imagines quia Imperium diuturnum à Deo obtineret. quo ab eo patrato facinore oppositum accidit, nam Rex, sex elapsis annis, ex hac vita migrauit: quamobrem à filio Regis Iudæus ille occiditur. Leo tamen Isauricus Orientis Imperator hunc amplexus errorem, annuente Theophilo Episcopo Nacoliæ, detestabile bellum sacris indixit Imaginibus. at quia Imperatori Germanus Episcopus Constantinop. vir doctrina, & sanctitate conspicuus fortiter obstitit, ipsum Imperator à Regia Vrbe eiecit. Nec pepercit Ioanni Damasceno humanarũ Diuinarumq. rerum eruditione florentissimo: etenim ei, quia de religioso imaginum cultu non minus piè quam doctè

Digitized by Google

A doctè ſcripſerat, manus dextera eiuſdem Leonis opere & fraude, à Saraceno Principe præciſa fuit: quam tamen eidem diuinitus reſtituit Clementiſſima Dei Mater, ad cuius Imaginem pijs fletibus & ſupplici fide confugerat.

Gregorius Secundus Romanus Pontifex, cum ea quæ Conſtantinopoli gerebantur, acerbiſſimè ferret, coacta Romæ Synodo, per literas Imperatorem commonefacit, vt Eccleſiam perſequi deſinat; nec eſſe Imperatoris partes de diuinis ſacriſque rebus iudicare. quibus omnibus reſtitit Leo: Germanum Epiſcopum Conſtant. penitus eijcit, & Anaſtaſium hominem ſceleſtiſsimum, Epiſcopum intrudit. Quapropter Gregorius Papa Leonem anathematizat, & Romano Imperio ſpoliat: interceptiſque Italorum annuis vectigalibus, quæ ad id tempus Principibus Conſtantinopolitanis ſoluebantur.
B Leo autem ingentem claſſem, qua & Gregorium Papam, & Italiam diuexaret, inſtruxit: ſed vltor tot facinorum Deus, claſſem magnis iactatam procellis, ad litus Adriatici maris obrruit.

Gregorio Secundo tertius ſuccedit, qui Imperatorem cum ſequacibus ab Eccleſiæ communione ſeparauit. tandem Imperator, multis à Deo acceptis tribulationibus, iniquam exhalauit animam. Leoni præfato ſucceſſit Conſtantinus filius, quem Copronymum nominarunt, eo quòd cum infans baptizaretur, Sacrum lauachrũ inquinauerit: quo portento perterritus Germanus Patriarcha, Remp. & Eccleſiam huius aliquando flagitijs polluendam, prædixit, vt euenit. nam hæreticus fuit contra ſanctorum venerationem & Imaginum, conciliabulum adunauit 338. Epiſcoporum, abſque conſenſu Apo-
C ſtolicæ Sedis & cæterorum Patriarcharum, vtque ei placita erant ſtatueret. tandem immenſis cruciatus doloribus, vitam finiuit. ſucceſſit Leo Quartus qui ex Irene coniuge Conſtantinum ſuſcepit, at nec diu imperauit, cum eſſet à pietate alienus & Sacrarum Imaginum hoſtis, breui itaque functus Imperio, infeliciter obijt. Tunc igitur Irene pia mulier ac religioſa vna cum filio Conſtantino imperandi onus ſuſcepit, ſtatimque Catholicam Religionem, quam dilapſam & extinctam nouerat, excitare parabatur, vt Regiam Vrbem multiplici ictam anathemate, & à cęteris ſeiunctam Eccleſijs ad reliqui corporis concordiam reuocaret. interim Paulus adulter Patriarcha epiſcoparum Conſtantinopolitanum reliquit, ad monaſteriumque acceſſit pœnitentiam facturus; & Taraſius legitimè electus eſt. qui ſtatim Adriano Papæ literas dedit, vt Generale Concilium indiceret. quod etiam fecit Con-
D ſtantinus Imperator, nam in Diuali epiſtola, quam ad Adrianum Papam miſit, ſic ait. vt ante huius Concilij Acta cernitur.

Qui à Domino noſtro Ieſu Chriſto verò Deo noſtro ſuſcipiunt ſiue Imperij dignitatem, ſiue principalis ſacerdotij honorem, debent quæ illis placita ſunt & cogitare & curare, & creditos ſibi ab illo populos, ſecundum eius voluntatem regere, & gubernare. Ergo debitum Nobis & Vobis, ò Sanctiſsimum Caput, hoc eſt, vt irreprahenſibiliter quæ eius ſunt ſapiamus, & in ſuis verſemur. vtpotè ab ipſo Nos quidem imperium, Vos verò principalis Sacerdotij dignitatem ſuſcipientes. Incipimus ergo hinc ſermonem. Scit veſtra beatitudo quæ pridem facta ſunt in hac noſtra regia ciuitate propter venerabiles imagines, qualiter qui ante nos regnauerunt eas deſtruxerunt, & in dehoneſtatem atque iniuriam poſuerunt, &c. vnde nunc conſtanter cum mundo corde, & verò cultu, quæ ad Deum pertinent, vna cum om-

nibus subditis nostris & his sacerdotibus doctissimis locuti sumus, & cum A
consilio decreuimus, vt fieret vniuersale Concilium. Et rogamus vestram paternam beatitudinem, imò verò Dominus rogat, qui vult omnes saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire vt det se ipsum, nec tarditatem faciat, &c. Et tamquam verus primus Sacerdos & is qui in loco & sede sancti & superlaudabilis Apostoli Petri præsidet, ascendat simul, & cum omnibus sacerdotibus qui hìc sunt inueniatur, &c.]

Quapropter Romanus Pontifex qui eo tempore caput Ecclesiæ militantis habebatur, vt ex dictis patet, Legatos misit qui Synodo præsiderent, & celebrata est Synodus trecentorum quinquaginta Episcoporum, & fides Catholica apud orientales instaurata fuit.

Actione secunda Synodi lecta fuit epistola Adriani Papæ ad Tharasium B
Constantinopolitanum Episcopum directa; in qua sic ait Adrianus.

[Pastoralibus curis & subtilissima consideratione animaduertentes, &c. In primis autem sanctitas vestra pijssimis & triumphatoribus nostris Imperatoribus sine trepidatione inducat in animum, vt falsam congregationem illam sine consensu ac præsentia Apostolicæ sedis, contra omnem Patrum venerabilium traditionem, contra venerandas Imagines, sine ordine & debita cõuocatione factam execretur, & anathematizatam præsentibus apocrisarijs nostris cognoscat: quo omne zizanium ab Ecclesia eradicetur, & Iesu Christi Domini nostri verbum impleatur, cùm ait. Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. & alibi. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & dabo tibi claues Regni cælorum, & quæcunque C
in terra ligaueris, ligata erunt in cælis: & quæcunque solueris in terra, soluta erunt in Cælis. cuius etiam sedes per totum terrarum Orbem primatum obtinens, lucet; omniumque Ecclesiarum Dei caput existit. Vnde & ipse beatus Petrus Apostolus, Dei iussu Ecclesiam pascens, nihil omnino prætermisit, sed vbique principatum obtinuit, & obtinet: cui etiam & nostræ beatæ & Apostolicæ sedi, quæ est omnium Ecclesiarum Dei caput, velim, vt beata vestra sanctitas ex sincera mente, & toto corde agglutinetur, vt potè quæ reuerà sit rectè sentiens, & pietatis incorruptà conseruatrix. hoc sacrificium primùm omnipotenti Deo exhibeatur, &c.]

[Petrus & Petrus pijssimi presbyteri, & locum tenentes sanctissimi Papæ veteris Romæ Adriani, dixerunt: Dicat nobis beatissimus Patriarcha regiæ vrbis Tharasius, cõsentit ne literis sanctissimi Papæ veteris Romæ, an minus?] D

[Tharasius sanctissimus Patriarcha respondit: Cui Christi lumen circumfulsit, quique nos per Euangelium generauit Paulus verè diuinus Apostolus, Romanis scribens, & studium sinceræ fidei eorum erga verum Deum nostrum exosculatus, sic inquit. Fides vestra prædicatur in vniuerso Orbe hoc. hoc testimonium & nos insequi par est, temerariumque repugnare arbitramur. Quamobrem Adrianus veteris Romæ primas & testatorum principum successor, clarè, & verè, tum ad Imperatores nostros, tum ad nostram mediocritatem, mihi scripsisse videtur, constabiliusque & rectam esse declarauit Catholicæ Ecclesiæ antiquam traditionem, &c.]

[Petrus & Petrus Legati Apostolicæ Cathedræ dixerunt. Dicat nobis sacra Synodus, num recipiat sanctissimi Papæ veteris Romæ literas an minus?]

[Sancta Synodus respondit: sequimur, recipimus, & probamus.]

Quis

A Quis ergo ex his quæ in hac Synodo dicta sunt, non videt, quomodo suprema Papæ, & Romanæ Cathedræ potestas splendet, & lucet? nam eam contestantibus Romanis Legatis: Tharasius Patriarcha, & vniuersa Synodus solemniter venerantur & probant. Oh vtinam huius temporis Græci velamen ab oculis eorum auferre vellent, flagella iracundiæ proculdubio etiam Deus eriperet. quia scriptum est Eccli. 2. *Quoniam pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* eos autem seruare ac meminisse oportet quæ scriptura diuina testatur Eccli. 4. *Non contradicas verba veritatis vllo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.*

B *Testimonium Concilij generalis octaui: quod dicitur Constantinopolitanum quartum.*

SVCCESSIT Methodio Constantinopolitano Patriarchæ Ignatius, qui cum esset Michaelis Imperatoris filius, inuidiæ detestandæ causa Eunuchus violenter factus est. quamobrem monachorum institutum assumpsit: cumque esset doctrina & moribus egregius, electus est Patriarcha. Erat autem tunc temporis in eadem vrbe Senator quidam nomine Photius, à secretis Imperatoris: hic Patriarchatum exoptans, Ignatio insidias parare cœpit, eumque falsi criminis accusauit, quasi vitam & acta Methodij Patriarchæ redargueret. quod quam falsum esset, inde constat, quia inter sanctos C Patriarchas eum numerabat. & insuper apud Imperatorem læsæ maiestatis criminis eundem accusauit; eo quod illum vita & Imperio spoliare tentaret, vt alium eligeret Imperatorem, matri vel sorori illius nubendum. Huic leui rumori credulus Imperator, matrem cum sororibus tonsam palatio pepulit, & Ignatium schismaticorum suggestione à regimine Patriarchatus remouit, Photium subrogauit, & loco Ignatij Episcopum substituit: prohibentibus sacris canonibus & venerandis legibus, aliquem ex laicali militia subitò ad sacerdotium promoueri. Ignatius verò dum pelleretur, Ecclesiam ligauit, ne quisquam absque se, in ea, sacra celebrare tentaret officia. quo audito Bardas patritius Photij familiaris, adeo eum in Insula, in qua erat relegatus, diuersis tormentis affecit, vt dentes illius fregerit, & continuis lacerarit colaphis, vsquequo se refutare suæ Ecclesiæ regimen profiteretur, qua videlicet iniustè D priuatus fuerat, inaudita parte.

Photius verò Synodum congregauit aliquorum Episcoporum, & Ignatium anathematizauit. at populus iratus super huiusmodi rem, priorem, & proprium Pastorem quærebat & exoptabat. quare Photius timore perterritus nuncios ad Apostolicam sedem misit, cui tunc Nicolaus præsidebat: vt Papa approbante quæ facta fuerant, sileret populus, & quiesceret. cuius legationem Nicolaus Pontifex suscipiens, de retroactis iam certus, non Ignatium, sed ipsum Photium repulit. quamobrem misit Constantinop. Episc. Portuensem, & Anagninum, vt concertationem examinarent. at congregato Constantinopoli Concilio, Græci qui Photij partes tuebantur, epistolas Legatorum suscipientes, quidquid in illis erat, pro Ignatio, vel contra Photium inuerterunt, subtraxerunt, & in Concilio legi minimè permiserunt. Romani autem Legati quid Græci legerent, quidue non legerent, non intelligentes, præ vi

ac timore iam defecerant. quapropter Ignatius in medium trahitur iam senio A
confectus coram Apostolicæ sedis Legatis, & denuò damnationi submittitur:
quin & sacerdotalibus infulis expoliatur, quasi validior esset depositio, vbi
sedis Apostolicæ per Vicarios suos auctoritas adfuisset: cum in his nec illius
interfuetit auctoritas, nec missi Vicariorum more, vt epistolæ monent, fuerint
destinati. At summus Pontifex certior factus, Photio comminatus est,
illumque velle anathemate ferire pronunciauit. verùm ille nihilo melior factus,
contra omnes insultare cœpit, totamque ciuitatem minis vel muneribus
corrupit, vt sibi assentiri non desisteret. Interim Bardas quia Imperium
affectabat, ab Imperatore occisus fuit. at quia deinceps Michael Imperator
occiditur, remansit singularis in Imperio Basilius; qui à sede Apostolica super
rei veritatem edoceri voluit; ad eamque nuncios misit, vt cum ea de adunando B
Concilio tractatent, vt factum est anno tertio Imperij eiusdem.

Actione prima Synodi conuenerunt omnes in Templo S. Sophiæ; scilicet
Donatus, & Stephanus Episcopi, & Marinus venerabilis diaconus, Legati
Adriani Papæ: Ignatius Archiepiscopus Constantinop. Vicarij Patriarcharum
Orientis, cæterique Episcopi: nec non multi senatores & officiales Imperatoris:
& libellus ab Adriano Papa ad Synodum missus cotam Patribus lectus
fuit, in quo suprema authoritas Romanæ Cathedræ expenditur, omnesque
Ecclesias & etiam Constantinopolitanam esse illi subiectas promulgatur.

Actione secunda habetur, quosdam Episcopos, qui Ignatio Patriarchæ
fuerant rebelles, ad Synodum accessisse, quos Legati Romanę sedis interrogauerunt,
à quo ordinati essent Episcopi, & an pœnitetet ettoris: & an pœ- C
nitentiam quam voce proferebant, etiam in scriptis tulissent? illis autem
affirmantibus, libellus in quo venia petebatur, lectus fuit. *Legati Papę dixerunt,
Cuius estis consecratio. Episcopi responderunt, Beati Methodij, & sanctissimi
Ignatij. Tunc Legati: Suscipimus vos secundum præceptionem sanctissimi
Papæ nostri Adriani, propter confessionem libelli pænitentiæ vestræ. Reuerendissimi
Episcopi dixerunt. & nos adoramus vos, & suscipimus vos Iudices, &
iudicium vestrum tanquam ex Persona Filij Dei habemus. Legati Papæ dixerunt.
Quot estis numero? responderunt, nescimus. tunc Legati. Sancta Romana Ecclesia
non claudit viscera sua omnibus vobis, si offertis libellum ex toto corde
vestro &c.*

Actione tertia, epistola Basilij Imperatoris ad Nicolaum Papam ditecta
legitur, in qua illum *Caput, & summum Pastorem Ecclesiæ* appellat, eum- D
que rogat vt sanitatem Ecclesiæ Orientis tribuat. secundò epistola Ignatij
Patriarchæ ad Nicolaum Papam lecta fuit, in qua summum Pontificatum
Petri Apostolorum principis, & successorum eius super omnes Ecclesias exposuit.
tertiò epistola Adriani Papæ ad Ignatium Patriarcham, in qua de
Romanæ Cathedræ suprema potestate multa dicuntur.

Actione quarta, Legati Papæ, auctoritate Romani Pontificis, sedem
Ignatio restituerunt, & Photium contra sacros Canones electum, deposuerunt.

Actione sexta adfuit Synodo Imperator, & coram omnibus sic fatus est.
[Cum Nicolaus Papa anathema dederit contra impedientes sedem Cōstantinop.
Ignatio, tale anathema pertimesco.] Deinde Photio, & schismaticis
Episc. vt pœnitentiam agerent & veniam coram omnibus peterent suasit: eo
quia

A quia nisi pœnitentiam agerent, sententiam Synodi exequi paratus erat.

Actione septima, Photius, mandante Imperatore, S. Synodo adfuit, & quia baculũ tenebat, quod est signum Pastoris seu Episcopi, iubente Legato Papæ Marino diacono, à Photio ablatus fuit. dicebat autem Legatus, Photium lupum esse, non autem Pastorem.

Lecta fuit deinceps Nicolai Papæ epistola ad clerum Constantinop. directa, qua eum monet & hortatur ad obedientiam omni tempore Romanæ Cathedræ exhibendam, eo quòd præceptum Domini sit, vt Petro omnis Christi Ecclesia obediat.

Actione octaua. iubente sancta Synodo ac Imperatore consentiente, omnia scripta Photij, conciliabulum ab eo coactum, & quæcunque aduer-
B sus Nicolaum Pontificem scripserat, cremata sunt.

Actione nona. Vicarij Patriarchæ Alexandrini recipiuntur, qui tunc ex Alexandrina vrbe Constantinopolim peruenerant, & in Acta consenserunt.

Actione decima interfuerunt Apocrisarij Ludouici Imperatoris Italiæ & Franciæ, quorum prior fuit Anastasius Romæ bibliothecarius; & canones viginti septem conditi fuere. Tandem habetur epistola totius Synodi ad Romanum Pontificem directa, in qua eum vniuersalem Papam vocant; illumque vt acta Synodi confirmet, enixè rogant.

In calce huius Octauæ Synodi duæ adhuc habentur epistolæ ad Romanum Pontificem missæ, quarũ altera Imperatoris est & Ignatij Patriarchę altera: quibus illum rogant, vt super quosdam Photij sequaces, eo quod essent val-
C de vtiles, leges soluere dignaretur. Quibus, se id nolle, Respondit Pontifex. hæ tamen duæ epistolæ, non Græcè, sed Latinè tantùm ibi leguntur.

Notat autem Anastasius bibliothecarius, qui huic Synodo, vt diximus, adfuit: Græcos, cùm quæ narrauimus exequebantur, primatum Romanæ Cathedræ non libenter sustinere, & carnali æmulatione exardescere aduersus eam. Hoc autem, quàm verum sit, ipsa Synodorum series exponit & aperit. nam in secunda Synodo primum locum super Alexandrinam Ecclesiam obtinuerunt, & in quarta Synodo æquales honores cum Romano Pontifice furtim tentauerunt adipisci. & quod peius est primatum Cathedræ Petri ad ius gentium redigere minimè dubitant: cum dicant Romanam Sedem obtinuisse primatum quia Roma erat Regina Vrbium, quod dictum sine hæresis nota esse non potest. nam præcipuum Christianæ fidei dogma
D est, Petrum esse totius Catholicæ Ecclesiæ caput, Principem, & Pastorem: qui semper in suis successoribus viuit vsq. ad consummationem sæculi, quousque permanebit Ecclesia, vt Euangelium apertissimè docet. Perpendat ergo amicus Lector quàm dirè cor hominis excæcat ambitio. de qua legitur Eccli. 10. *Initium omnis peccati superbia est, qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem: propterea exhonorauit Dominus conuentus malorum, & destruxit eos vsque in finem.* Oh vtinam Græcorum Nationis exitium & exterminium non adesset: quia nec culpa præcessisset: illud autem quàm verum sit, quod citatus sermo diuinus testatur, satis aperit.

Dicebat Græcus Demostenes aduersus Philippum Macedonum Regem, qui ab Atheniensium Rep. centum petierat Oratores, vt orandi artem facilè appræhenderet, vt scribit Isidorus lib. 1. Ethym. Lupi ouium Pastores olim adierunt, vt pacem ab eis perpetuam obtinerent: spoponderunt autem se

nunquam oues amplius rapturos, si canes sibi valde molestos, ac odiosos à A
gregibus tollerent. Pastores incauti annuerunt. verùm cùm Lupi greges cognouerunt sine canibus esse, super armenta sic irruerunt, vt oues omnes occiderint & comederint. Philippus Rex, aiebat Demostenes, huius Reip. hostis occultus sic operari paratus est: ex Oratoribus non vnum, vt orandi artem percipiat, sed omnes expostulat, quia his ablatis qui Atheniensium populum de patriæ libertate monent & instruunt, nullo negotio, nec vllo labore Reipublicæ potietur & dominabitur. Hoc Demostenis documentum quod Athenienses liberos reddidit, Græcorum Natio non animaduertit. Etenim Satanas humani generis hostis acerrimus, Græcis vt à Petri ouili se iungerentur sensim persuasit, tamquam illis magni honoris pondus allaturus: quod vt incauti Græci exequuntur, in Lupum tartareum præcipites se dederunt: qui eos sic dilacerauit, vt fidem, mores, temporalia bona, bonarum artium disciplinam, & libertatem pœnitus amiserint. Deus, qui errantes oues in vnum ouile cogit, & dispersiones Israelis congregat, illi Nationi præsto sit, vt ad pristinam reuocetur felicitatem. B

At ne ab eo quod propositum est, longiùs aberret oratio: quæ supra diximus memorare oportet. principiò propositæ Conclusionis probandum suscepimus, Romanum Episcopum esse vniuersæ Ecclesiæ supremum Pastorem; vnde ex necessario consequenti, ad eum cunctarum Ecclesiarum fieri debere Appellationes deducitur. quod sic apertè citatis Synodis, quas etiam huius temporis Græcos venerari necesse est, patefactum fuit, vt nemo sanæ mentis, subterfugere valeat: vt legenti patet. sequitur ergo à primo ad vltimum omnium Ecclesiarum appellationes, Romanæ Cathedræ sancti Petri iure diuino obtingere. C

Secundò sic eadem Conclusio probatur. Si per canones concilij Sardicensis, quod dicitur Appendix Concilij Nicæni, omnium Ecclesiarum appellationes Romanæ Cathedræ conuenirent, sequeretur ius Romani Pontificis non esse aliud quàm potestatem lites, & ciuiles controuersias Episcoporum decidendi & dirimendi, vt per illos canones constat, qui nihil aliud ei concedunt. at oppositum patet, ergo tale ius Romanæ Cathedræ non per Nicænos canones conuenit, sed alio iure, diuino scilicet; cum in præsenti materia aliud Ius ad rem non faciat.

Minor probatur, nempè quòd constet oppositum, Romana Cathedra Imperatores, Clerum, cæterosque laicos Orientales, excommunicauit; eisque D
plures censuras comminabatur & inferebat: ergo tunc alio iure vtebatur. etenim laici Episcopo Romano vt Patriarchæ Occidentis subiecti, si non adunato Generali Concilio à Patriarchis Orientis excommunicati fuissent, censura non tenuisset, quia tunc posuissent falcem in alienam messem, & oues pascerent, quæ non sunt sibi subiectæ, vt patet. at è cōtra Romana sedes Imperatores, clerum, cæterosque Orientales laicos, Patriarchis immediate subiectis, extra Concilia generalia censurabant, vt ex his quæ supra narrauimus luculenter constat & ipsimet Patriarchæ ad id faciendum Romanam Cathedram prouocabant, ergo etiam in sententia ipsorum, Romanam Cathedram iure diuino esse iudicem vniuersæ Ecclesiæ, liquidò constat. Præterea in rebus fidei decidendis, pro Synodis adunandis, vt dictum est, & infra clarius patebit, Orientalium Nationes Romanam Cathedram appellabant, quod
per

A per Sardicenses canones ei datum non fuit, vt ex illorum textu constat: ergo alio iure, nempè diuino, hoc Romanæ Cathedræ conuenire, veteres Patres cognouerunt.

Tertiò probatur conclusio. Priusquam Concilia generalia celebrarentur, hoc ius omnium Ecclesiarum appellationes suscipiendi habuit Romana Cathedra, tempore scilicet Ethnicorum Principum, ergo non ecclesiastico, sed diuino iure hoc illi competit. conseq. tenet. nam non per sacros canones; quia tunc non erant: non per Imperatorum statuta, quia Ecclesiam persequebantur: quæ etiam si adfuissent, nullius roboris essent, quia Imperator ouis est, non Pastor, filius est, non Princeps Ecclesiæ. idcircò Athanasius contra Constantium Imperatorem Arrianum in epist. ad solitariam vitam agentes,
B inquit. *Quando à condito æuo auditum est, quòd iudicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab Imperatore accepit?* & Gregorius Nazianz. orat. 17. ad populum timore perculsum. ait. [Quid autem vos Principes & Præfecti? ad vos enim nostra se conuertit oratio: an me liberè loquentem æquo animo feretis? nam vos quoque lex Christi Imperio meo ac throno subijcit: Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius ac perfectius: nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cædere?] & Ambrosius orat. 1. contra Auxentium ait. *Imperator bonus intra Ecclesiam, non suprà Ecclesiam est. bonus enim Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat. Hæc vt humiliter dicimus, ita constanter exponimus.*

Antecedens autem, vbi vis est argumenti, scilicet ante omnia Concilia,
C hoc ius appellationum quod habet Romana Cathedra, manifestum, & vsu receptum fuisse, sic probatur.

Anacletus natione Græcus, Romanæ Cathedræ Episcopus, anno Domini 104. vt ex libro pontificali Damasi Papæ habetur, in priori sua epistola ad omnes Episcopos directa inquit. [Quod si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum aut maiorum iudicia, aut maiores causæ fuerint, ad sedem Apostolicam si appellatum fuerit referantur: quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione Saluatoris, vt maiores, & difficiliores quæstiones semper ad sedem deferantur Apostolicam, super quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad beatum Principem Apostolorum Petrum, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.

Hoc idem habetur in epistola secunda decretali Sixti Papæ primi, qui Ec-
D clesiæ clauum tenuit anno Domini 132. estq. in libro pontificali Damasi Papæ. & in Epistola decretali Pij Papæ primi ex eodem loco anno Domini 158.

Et in epistola prima decretali Victoris Papæ anno Domini 194. ad Theophilum Alexandriæ Episcopum sic habetur. [Victor Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ Archiepiscopus Theophilo Episcopo, & cunctis fratribus in Alexandria Domino famulantibus, in Domino salutem, &c. Similiter ea vos iudicare ad Apostolicam delatum est sedem, quæ præter nostram vobis definire non licet auctoritatem, idest Episcoporum causas. Vnde ita constitutum liquet à tempore Apostolorum, & deinceps placuit vt accusatus vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua causa Episcopus, licenter appellet, & adeat Apostolicæ sedis Pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos eius retractari negotium procuret. & dum iterato iudicio, Pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur Episcopus: quoniam quan-

quanquàm à comprouincialibus Epiſcopis accuſati,cauſam Pontificis ſcrutari liceat:non tamen diffiniri inconſulto Romano Pontifice permiſſum eſt, cum beato Petro Apoſtolo,non ab alio quàm ab ipſo dictum ſit Domino, quodcunq; ligaueris &c. Et alibi in inſtitutis legitur Apoſtolicis. Si quis putauerit ſe à proprio Metropolitano grauari apud Patriarcham vel primatem diœceſeos,aut penes vniuerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ iudicetur ſedem. Nihil aliud eſt fratres talis præſumptio, niſi Apoſtolorum,ſuorumque ſucceſſorum terminos tranſgredi, eorumque decreta violare &c.] A

Et ne Lectorem verborum longitudine grauemus, omittimus ſequentium Pontificum conſimilia decreta ad cunctas Orbis Eccleſias directa. Vnde conſtat hæc iura Romanæ ſedi ab initio à Domino tradita fuiſſe.

Verùm ſi quiſpiam affirmare voluerit, huiuſmodi primorum Pontificum epiſtolas decretales ficticias eſſe; ei cum Apoſtolo 1. Cor. 11. dicemus. *ſi quis videtur inter vos contentioſus eſſe,nos hanc conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*. Enimuèro Romana Cathedra, nunquam fuit in hoc compræhenſa vitio. vtinam Orientis Eccleſiæ hanc etiam veritatis viam tenuiſſent. Qui verò circa Conciliorum lectionem verſatus eſt, quæ dicimus non ignorat. B

Hanc vltimam rationem, qua noſtram concluſionem probamus, ſi quis aſſumere noluerit, priores accipiat; & quæ loquimur vera eſſe percipiet: dummodo voluntate nobiſcum diſceptare non ſit paratus: cum huiuſmodi enim hominibus differere non licet,nec decet. quia ſcriptum eſt. Prou. 9. *Qui erudit deriſorem, ipſe iniuriam ſibi facit, & qui arguit impium,ſibi maculam generat. noli arguere deriſorem, ne oderit te. argue ſapientem & diliget te.* C

Contra hanc noſtram præmiſſam concluſionem arguunt Græci huius temporis,(eos tamen excipimus qui fidem catholicam retinent,) & præcipuè Nilus Epiſcopus Theſſalonicenſis Græcus ſchiſmaticus in libello quem contra primatum Papæ dedit. [Romanus Epiſcopus dicitur primus, quia ſecundus ab ipſo eſt Conſtantinopolitanus, tertius Alexandrinus, quartus Antiochenus, quintus Hieroſolymitanus: at non dicitur primus & ſecundus de ſuperiore & inferiore, ſed de his tantùm qui ſunt eiuſdem ordinis, & dignitatis. non enim Romanus Epiſcopus dicitur primus ratione Tuſculani, aut Tiburtini, qui ei ſubiecti ſunt.] Ex hoc Nili argumento duæ ſequelæ contra noſtram præmiſſam concluſionem oriuntur. prima eſt, ergo Papa non eſt Iudex & Paſtor vniuerſæ Eccleſiæ. ergo nullus Patriarcha debet Papam appellare, nec licet Papę ſuſcipere illorum appellationes,nec eorum Epiſcoporum vel laicorum qui Patriarchis ſunt ſubiecti. Hæc eſt tota vis argumenti. D

Reſpondeo, aſſumptum Nili eſſe falſiſſimum: nam nunquam Romanus Epiſcopus dictus eſt primus, quia ſecundus ab ipſo eſt Conſtantinopolitanus, ſed abſolutè primus. Conſtantinopolitanus autem dictus eſt primus inter Patriarchas: patet hoc ex canone tertio Concilij Conſtantinopolitani primi vbi ſic dicitur. *Conſtantinopolitanę ciuitatis Epiſcopum habere oportet primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propterea quod ſit noua Roma*. quod factum eſt quia poſt Romanam ſedem, Eccleſia Alexandrina cæteras antecedebat. Patres in præfato Concilio decreuerunt, vt Epiſcopus Conſtantinop. poſt Romanum Pontificem primum locum haberet,nempe ſuper Patriarcham Alexandrinum. nulla ergo erat comparatio cum Romano Pontifice,vt ex verbis illius

A illius canonis constat. aliter dixissent Patres: Constantinopolitanum Episcopum secundum locum obtinere debuisse: hoc autem non asseruerunt, sed primum locum nominarunt, quia in re huiusmodi, nemo Romano Pontifici comparari potest. quamobrem ab initio quatuor dicti sunt Patriarchæ, scilicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus.

Cum autem in quinta Synodo, quæ solius Græcę nationis fuit, Romanum Pontificem Patriarcham nominarunt, tunc illum, vt curam habet immediatam super Occidentis Prouincias, considerabant. Nam Romanus Pontifex tripliciter sumi potest: vt Romanus Episcopus: vt Patriarcha Occidentalium Prouinciarum: & vt summus Pontifex, vniuersalis Ecclesiæ caput, *cui vinea*
B *custodia commissa est à Saluatore*. vt Patres quartæ Synodi generalis fatentur. Vt Episcopus & Patriarcha, iurisdictionem aliquam in diœcesibus Orientis, quatuor prædictis Patriarchis immediatè subiectis, non exercet: benè autem vt Ecclesiæ vniuersalis Pastor, & caput.

Canon igitur secundi Concilij generalis nuper citati (de cuius veritate, & valore suo loco differemus.) falsum Nili suppositum deijcit & refellit. quamobrem sequælæ, quæ ab hostibus fidei elici possunt, nullius sunt roboris, cum mendacissimo supposito innitantur: Quia igitur cæteri Patriarchæ Romano Pontifici non comparantur; sequitur illorum caput & Pastorem existere. cui ex necessario consequenti, tanquam supremo Iudici, fieri debere Appellationes, fatendum est.

C Secunda Obiectio. *Sexta Synodus Can. 36. renouat constitutiones secundæ, et quartæ Synodi, quæ Episcopo Constantinopolitano paria tribuerunt priuilegia cum Romano Episcopo. non est ergo Romanus Episcopus maior auctoritate, et dignitate Episcopo Constantinopolitano*. ex quo sequitur Orientalium appellationes Rom. Episcopo fieri non debere, cum non sit supremus illorũ Iudex.

Resp. præmissam obiectionem tria mendacia includere. primum est, canonem tertium primæ Synodi Constantinopolitanæ eadem priuilegia dedisse Episcopo Constantinopolitano, quæ Romana sedes habebat. hoc quã falsum sit, ex eodem canone supra citato, patet. nulla quippe ibi refertur similitudo & æqualitas inter vtrumque: sed tantùm ab Alexandrino Episcopo aufertur primatus, & Constantinopolitano Episcopo tribuitur: eo quòd, inquiunt Patres, Constantinop. facta sit noua Roma. sic enim à Patribus dictum
D atque sancitum fuit. *Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit noua Roma*. quis ergo non videt, nullam hìc fieri comparationem inter Constantinopolitanum Episcopum & Romanam cathedram? falsissimum est ergo hoc, quòd primùm ad schisma tuendum Nilus assumit.

Secundum mendacium est; quartam Synodum Constantinopolit. Episcopo, æqualia priuilegia cum Romano Episcopo tribuisse. quod quàm falsum sit, qui quartam Synodum euoluit, edicat. nam quarta Synodus primò constabat ex Legatis Romanæ sedis qui Concilio vt Iudices præsidebant, & Occidentalem Ecclesiam repræsentabant, qui autem talem canonem spurium fecerant, Anatolius Constantinop. Episcopus fuit consentientibus non vniuersis Concilij Patribus qui sexcenti erant, sed tantum circiter ducentis, nec talis canon sancitus fuit inter legitimas Concilij sessiones, sed in conuenticulo

ticulo furtim habito absentibus legatis Apostolicæ sedis & deinde redarguentibus: & tandem Romana Cathedra illum vehementer improbante: quomodo ergo quartæ Synodi canon dici potest? A

Monstruosam autem, & hæreticam hanc Anatolij ambitionem, de duplici capite militantis Ecclesiæ statuendo, Leo Papa in epistolis, quas eidem Anatolio, Vniuersæ Synodo, & Martiano Imperatori dedit, iure optimo suprema Petri potestate cassauit, & improbauit. Quæ autem Imperatori scripsit, hæc sunt. & habentur in calce eiusdem Concilij Chalcedonensis. *Cum secundum sua consecrationis auctores, eius initia titubarent, &c.* breuitatis gratia Lectorem monemus, vt quæ de Chalcedonensi Synodo supra retulimus, percurrat.

Nili ergo iniquitas sit manifesta, dum in re tam graui, ad animarum salutem, & Christianæ fidei integritatem spectante, canonem spurium, è ambitionis caueis eductum, in medium affert. B

Quod autem Canon ille furtiuus, non vniuersæ Synodi Patrum sit, sed solius Anatolij episcopi, Probo sic. Canon enim ille spurius hic est. *Episcopo Romano dederunt Patres primatum, eo quòd Roma sit Regina Vrbium: Constantinopolis autem cum sit noua Roma, dantur episcopo Constantinopolitano æquales honores & eadem priuilegia: & ab ipso ordinari debent episcopi Asiæ, Thraciæ, et Ponti.*

At si huius Synodi Patres, Romanam sedem, suam quam habet iurisdictionem, à Patribus accepisse opinati sunt: quomodo Patres in epistola quam eodem tempore Leoni Papæ dederunt, vt Acta Synodi rata habere & confirmare dignaretur, aiunt. Romano episcopo: *vineæ, scilicet Ecclesiæ, custodiam ei demandatam esse à Saluatore*? hæc verba sunt illis supra citatis contradicentia. prudens Lector discernat. C

Præterea Patres eiusdem Synodi dum vnanimiter Leoni pro Synodi confirmatione scribunt, de æqualitate honoris & priuilegiorum non loquuntur: sed tantùm de potestate ordinandi Episcopos Asiæ, Thraciæ & Ponti, quod cum subordinatione ad supremum militantis Ecclesiæ caput, eiusdem potestati non contradicit; ergo canon ille à Solo Anatolio, ad Clerum à laico ordine nouiter assumpto, emanauit. Patres enim Synodi sic Leoni scripserunt. [Hæc sunt quæ tecum, qui spiritu præsens eras, & complacere tamquam fratribus deliberasti, & qui penè per tuorum vicariorum sapientiam videbaris à nobis, effecimus. Indicauimus verò quia & alia quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete & propter Ecclesiasticorum statutorum definiuimus firmitatem, scientes quia & vestra sanctitas addiscens, & probatura, & confirmatura est eadem. Eam namque consuetudinem quæ ex longo iam tempore permansit, quam habuit Constantinopolitanorum sancta Dei Ecclesia ad ordinandum metropolitanos prouinciarum tam Asianæ quam Ponticæ vel Thraciæ, & nunc Synodali decreto non tantùm firmauimus, sed aliquid Constantinopolitanæ præstantes, quantum metropolitanis vrbibus ad quietem congruere visum est: eoquod frequenter Episcopis vitam finientibus, multæ turbæ nascuntur, absque Rectore clericis ac populis remanentibus, qui per easdem sunt ciuitates, & Ecclesiasticum confundentes ordinem, quod nec vestram latuit sanctitatem, quam maximè propter Ephesios, vnde quidam vobis sæpius importuni fuerunt. Confirmaui- D

A mauimus autem,& centum quinquaginta ſanctorum Patrum, qui in Conſtantinopoli congregati ſunt, regulam; ſub piæ memoriæ maiore Theodoſio, quæ præcepit poſt veſtram ſanctiſsimam & Apoſtolicam ſedem, honorem habere Conſtantinopolitanam, quæ ſecunda eſt ordinata, confidentes, quia lucente apud vos Apoſtolico radio, vſque ad Conſtantinopolitanorum Eccleſiam conſuetè gubernando illum ſpargentes, hunc ſæpius expanditis, eo quod abſque inuidia conſueueritis veſtrorum bonorum participatione ditare domeſticos. Quæ igitur definiuimus, ad interemptionem quidem totius confuſionis, confirmationem verò Eccleſiaſticæ ordinationis definiuimus. Hæc ſicut propria, & amica, & ad decorem conuenientiſſima, dignare complecti ſanctiſſime, & beatiſſime Pater. Qui enim locum veſtræ
B ſanctitatis obtinent ſanctiſſimi Epiſcopi Paſchaſinus,& Lucentius,& qui cum eis eſt Reuerendiſſimus præsbyter Bonifacius, ijs ita conſtitutis vehementer reſiſtere tentauerunt &c.]

Igitur de poteſtatis, & dignitatis æqualitate, Patres apertè ſcribere auſi non fuerunt. ſenſus ergo Patrum fuit, vt Epiſcopo Conſtantinopolitano metropolitarum Aſiæ, Thraciæ, & Ponti ordinationes, & appellariones communicarent: non autem vt Epiſcopum Conſtantinopolitanum ab obedientia Apoſtolicæ ſedis eximerent. quia ſupra Saluatorem, qui Petro, & ſucceſſoribus, vineæ, nempe vniuerſæ Eccleſiæ cuſtodia à Domino demandata eſt, Eccleſiæ Synodi nullum ius definiendi obtinent; vel ergo hic eſt Patrum ſenſus, vel in eadem epiſtola ſibi ipſis contradicunt: quod affirmare æquum
C eſſe non videtur. ſequitur ergo à primo ad vltimum, huiuſmodi canonem ſpurium, Epiſcopum Conſtantinopolitanum ab obedientia Romanæ ſedis non eximere, niſi extra vineam Domini fieri, vel eſſe, profiteatur.

Dices, poterat Leo Papa Anatolio Epiſcopo, & petentibus Patribus ea tribuere priuilegia ad Orientalium clericorum confuſionem euitandam, vt Patres in eadem epiſtola annuunt.

Reſpondeo, vtique Leonem Anatolio potuiſſe concedere ius Metropolitas Aſiæ, Ponti, & Trhaciæ ordinandi, & iudicandi, vt de facto à ſede Apoſtolica ei datum eſt:& patet in Concilio Lateranenſi ſub Innocent. 3. c. 5. ſed eo modo, & forma quo loco citato habetur, & non aliter. ſic enim ibi dicitur. [Antiqua Patriarchalium ſedium priuilegia renouantes, ſacra vniuerſali Synodo approbanre ſancimus, vt poſt Romanam Eccleſiam quæ
D diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, vtpote mater vniuerſorum Chriſti fidelium & magiſtra. Conſtantinop. primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Hieroſolymitana quartum locum obtineat, ſeruata cuilibet propria dignitate. ita quod poſtquam eorum Antiſtites à Romano Pontifice receperinr pallium, quod eſt plenitudinis officij Pontificalis inſigne, præſtito ſibi fideliratis, & obedientiæ iuramento, licenter & ipſi ſuis ſuffraganeis pallium largiantur, recipientes pro ſe profeſſionem canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem. Dominicæ verò crucis vexillum ante ſe faciant vbique deferri, niſi in Vrbe Romana, & vbicunque Summus Pontifex præſens extiterit, vel eius Legatus vtens inſignijs Apoſtolicæ dignitatis. In omnibus autem Prouincijs eorum iuriſdictioni ſubiectis, ad eos cum neceſſe fuerit, prouocetur, ſaluis appellationibus ad ſedem Apoſtolicam interpoſi-

tis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum &c.] at remota subordinatione ad Romanam sedem, Leo Papa non poterat. nam sicut in vinea Domini non potest non esse catholicus, nec ouis Christi non esse in grege Christi: sic ipse qui mandato Saluatoris est vineæ custos, & christiani gregis Pastor, non potest à sui cura, & custodia fidelem eximere. etenim Papa non est supra ius diuinum, adeò quòd aliquid possit contra statuta Saluatoris. A

Sed dices secundò: quomodo omnes Græcorum Episcopi sexcenti æquales honores cum Romana sede, Constantinopolitano Episcopo sancire cogitauerunt, si hoc iuri diuino repugnat? & quomodo in hunc exploratum errorem se præcipites dederunt? ergo non cognouerunt primatum Papæ à Iure diuino descendere. B

Respondeo manifestum, & in confesso semper apud Ecclesiæ Patres, fuisse, Romanum Episcopum esse Petri successorem, cui à Domino, vt Euangelium testatur, commissæ sunt oues suæ. nam in eadem epistola hoc Patres luculenter testantur, dum Leoni dicunt. [Cui vineæ custodia demandata est à Saluatore. ergo vnum è duobus affirmandum erit. vel Patres prædicto canone, Episcopum Constantinopolitanum ab obedientia Romanæ cathedræ eximere noluisse nec intellexisse; sed tantùm ei Episcopos Ponti, Asiæ, & Thraciæ subordinasse: quod rationi consonum mihi videtur. vel contradictoria affirmasse, & in impium ac prauum dogma se præcipites dedisse. videant huius temporis Græci quid sibi eligant. Leo Pontifex vt vniuersalis Ecclesiæ Pastor & caput, vtrumque decretum improbare poterat: cum Synodorum statuta absque Petri Cathedræ consensu & confirmatione nullius sint roboris: vt Tomo primo, libro secundo & tertio satis demonstratum est. C

Præterea Constantinopolitanum Episcopum ab obedientia & subordinatione Romanæ Cathedræ eximere, Patres non intellexisse, sic probo.

Dicunt enim in ea Synodali Epistola sic. [Quia lucente apud vos Apostolico radio, vsque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam consuetè gubernando illum spargentes, hunc sæpius expanditis, eo quod absque inuidia consueueritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos.

Petunt ergo Patres vt ditare velit priuilegijs Constantinopolitanum Episcopum sicut domesticos ditauerat: nempe Romanum Clerum, vt patet de Cardinalium ampla dignitate. at Cardinales ab obedientia Pontificis non eximuntur, ergo nec Patriarchæ sunt exempti. & sicut Patres optimè nouerant, domesticos priuilegijs ditatos, à Romanæ Cathedræ subiectione exemptos non esse, sic nec dicendum est, eos, Episcopum Constantinopolitanum Papæ non esse subiectum petijsse. hoc Græci perpendant. D

Tertium mendacium, quod in Nili obiectione continetur, est; sextam Synodum hunc furtiuum canonem confirmasse: at quia sexta Synodus legitimè congregata fuit, præsentibus Papæ legatis, & ab eodem Papa confirmata: cum ibi monothelitarum hæresis damnata sit. colligit Nilus Orientis Ecclesias Romanæ Cathedræ non esse subordinatas neque subiectas. sed Nilus incidit in foueam quam fecit. nam canon ille furtiuus fuit in quarta Synodo. & in sexta Synodo suppositus extitit. nam sexta Synodus nullos edidit canones, sed tantum monothelitarum errorem damnauit. quod, &

Lati-

A Latini, & Græci pariter fatentur. qui verò eius nomine circumferuntur canones, neque ab ipsa sunt editi, neque omnes à sede Apostolica comprobati, nam post sextam Synodum conditi fuerunt à Græcæ Nationis concilio sub Iustiniano iuniore, vt ipsimet Episcopi, qui illos scripsere canones, in prosphonetico ad præfatum Iustinianum testantur: dicentes ideo ad illos sacros canones stabiliendos, esse collectos, eoquod duo generalia concilia, alterum quidem sub maiore Iustiniano, alterum verò sub Constantino Iustiniani secundi patre, fidei mysteria plenissimè explanantia, nequaquam sacros canones edidissent. propria eorum verba quæ ibi leguntur, hæc sunt.

[Quoniam autem sanctæ & vniuersales duæ Synodi, in hac imperante B & Dei obseruatrice ciuitate congregatæ, vna quidem temporibus diuinæ recordationis Iustiniani, altera verò sub piæ memoriæ Imperatore Cōstantino, tuæ mansuetudinis patre, ad paternè declarandum fidei mysterium, sacros canones nequaquam conscripserunt, sicut reliquæ quatuor vniuersales Synodi, per quos populi quidem à deteriore & abiectiore viuendi ratione recedant, ad meliorem autem & altiorem vitam se traducant, &c.] hinc est quòd apud Græcos conuentus hic sub Iustiniano iuniore, non propriè sexta Synodus, sed quinisexta vocatur, vt inquit Theodorus Balsamon, quippe qui condendis canonibus suppleuerit, quod à duabus Synodis fuerit prætermissum. quod autem Balsamon asserat legatos Romanæ Sedis ibi adfuisse, adeò falsum est, & historicis ignotum, vt mera appareat impostura. nec Apostolica

C sedes ob condendos Græcorum canones legatos mittere consueuit, sed tantum ad fidei mysteria aduersus hæreticos aperienda ac explicanda: & ad Patriarcharum lites decidendas: in præfata autem quinisexta Synodo huiusmodi non adfuit occasio.

Nunc ad rem nostram; cum Nilus ait, in hac Synodo canonem spurium quartę Synodi firmatum fuisse, à laqueo quem parauit capitur: nam nil aliud probat, quàm hanc Græcæ Nationis Synodum errasse, sicut omnis Synodus, nec à Rom. Cathedra coacta, nec ab eadem confirmata, errare potest. quid si etiam de dignitate Rom. sedis penitus cassanda tunc Græci decreuissent, nunquid cassanda esset? O' Græcorum natio, quæ olim doctrina & sanctitate fulgebas cur sic paulatim tibimet ruinam & pręcipitiū præparasti? tuum Episc. Petro æquare cōtra Dei euangelicum statutum & supremas claues Regni cæ-

D lorum Petro commissas arripere tentasti. at nec Petri claues obtinere potuisti, sed orthodoxam quam habebas fidem perdidisti, & in varios errores & in tetrum schisma prorupisti. sic his contingit, qui à Petri ouili tamquam alta sapientes seipsos subtrahere conantur. nam *qui se exaltat humiliabitur* inquit Saluator, Lucæ 18. & Prou. 17. *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam.* vtinam ad Petri ouile iterum reducantur, hæc enim vota pro illius nationis felicitate nuncupamus.

Tertia obiectio. *In nouella Iustiniani 131. sic habetur. Statuimus iuxta constitutionem sanctarum Synodorum sanctiss. senioris Romæ Episc. esse primum omnium sacerdotum. si ergo statutum est Synodorum, ergo non à Saluatore, non à Petro.*

Respondeo, vocem illam, *Statuimus*, non significare nouum statutum, quò Papæ data sit suprema potestas, sed diuinæ institutionis declarationem, & confessionem. Etenim beatus Cyrillus ad Ioannem Antiochenum sic

scribebat. *Nullo modo patimur à quibusdam conuelli definitam fidem, siue fidei symbolum à sanctis nostris Patribus, qui olim Niceæ conuenerunt; memores eius qui dixit, ne transferas terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* at vir iste doctrina, & sanctitate celebris, nomine termini, statuti, & decreti, fidem & fidei symbolum appellat. posset ergo nunc quis sic arguere. Decretum est sanctorum Patrum, filium esse Patri consubstantialem. & etiam decretum est sanctorum Patrum, Papam esse omnium sacerdotum primum. sed Patres non dederunt consubstantialitatem Filio Dei, illam non habenti: ergo nec dederunt Papæ primatum, illum non habenti. manifestum ergo est, Synodorum decreta esse dogmatum declaratiua, non autem dogmatum primùm constitutiua, cum à Diuina sanctione descendant. A

Præterea, si primatus Papæ est Patrum statutum, ergo falsò, vel illusoriè, vel adulatoriè Patres quartæ Synodi Papæ dicebant. *Tibi vineæ custodia demandata est à Saluatore.* cognoscat Nilus & qui cum eo sunt, in quas ineptias prorumpant necesse est, qui Romanæ Cathedræ detrahere parati sunt. Adde quod Euangelium testatur Matth. 16. super Petrum ædificatam esse Ecclesiam. sic Simoni filio Ionæ dixit. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Si ergo Saluator super Petrum ædificauit Ecclesiam suam, quomodo erit tantum Patrum statutum? B

Adde insuper quòd canon sextus primi Concilij generalis testatur, Romanam Ecclesiam semper habuisse primatum. sic enim Romæ habetur ille canon, & sic eum legati Papæ coram Chalcedonensi Synodo citauerunt: vt Act. vltima patet. [Ecclesia Romana semper habuit primatum. habuit igitur & Aegyptus vt Episcopus Alexandrinus Aegyptiorum omnium habeat potestatem: quandoquidem, & Romano Episcopo hoc in more positum est.] Apud Orientales verò ita se habet. *Antiquæ consuetudines seruentur, quę in Aegypto, Libia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem hoc & Romano Episcopo in more positum est.* Græci autem aiunt huiusmodi canonem hunc sensum habere. quòd Episcopo Romano Occidentis cura data fuerit, cæteris autem Orientis sollicitudo. sed à quibus? & quo tempore? etenim illud erat primum generale Concilium. quomodo ergo hoc fieri potuit? nam Synodus id prius factum esse testatur. nec ibi cura Occidentis traditur Romano Pontifici, vt ex textu patet: quando igitur Romano Pontifici Occidentis regimen adscriptum fuit? sensus ergo Patrum fuit, morem illum antiquum Romani Episcopi, à Petro Apostolorum Principe fuisse inductum. induxit igitur hunc morem primò Antiochiæ, vbi Euodium constituit Episcopum. secundò induxit morem Alexandriæ, constituto eius Episcopo Marco Euangelista. Prima igitur Synodus præcipit vt hi mores seruentur, ne diœceses confundantur; cum sedes Romana semper indefinitè habuerit primatum, itaut mores particulares, ex more Romanæ Ecclesiæ pendeant. hic est sensus catholicorum: ille autem schismaticorum, vt in sequentibus Synodis Patres confessi sunt. C D

Quarta obiectio. [Si Romanus Pontifex, quia primus Patriarcharum est, imperium habet in secundum, idest Constantinopolitanum; igitur pari ratione Constantinopolitanus quia est secundus, imperium habet in Alexandrinum, qui est tertius; & Alexandrinus in Antiochenum; & Antioche-

A chenus in Hierosolymitanum: at nulla consuetudo hoc admittit. ergo nullam habet Papa iurisdictionem in Patriarchas, licèt primus sit inter illos.

Respondeo, ab initio nunquam Romanum Pontificem in serie Patriarcharum positum fuisse, nec aliquando factam fuisse comparationem inter Papam & Patriarchas. quod ex Canone tertio secundæ Synodi liquidò colligitur, quia dicitur, *Constantinopolitanum Episcopum obtinere debere primum locum post Romanum Episcopum*, ergo si ordo tunc poneretur inter primas sedes, & Romana sedes ibi includeretur, Episcopo Constantinopolitano non primus locus, sed secundus tribueretur: at primus ei datur, quia Alexandrinum tantùm antecedere exoptabat. at deinceps ob duritiam cordis Græcorum, quia etiam inuita Apostolica sede Episcopus Constantinopoli-
B tanus diœceses Ponti, Asiæ, & Thraciæ occupauit, & Romanus Pontifex solius Occidentis Ecclesias, nullo medio Patriarcha, immediatè regebat, dictus fuit Patriarcha Occidentis, & sic in ordine Patriarcharum primus est habitus, & secundus Constantinopolitanus, tertius Alex. &c. & hoc cæpit in quinta Synodo anno Domini 553.

Quia verò ratione immediatæ gubernationis Occidentalium Ecclesiarum Papa dicitur etiam Patriarcha, non sequitur tamen eum dimisisse, vel potuisse dimittere munus capitis & vniuersalis Pastoris Ecclesiæ, quod diuina sanctione Petrus à Saluatore accepit. quamobrem ex consequenti, in Romanæ Cathedræ munere hæc oritur distinctio: Papam scilicet tripliciter spectari posse, vel vt Christi vicarius & vniuersalis Ecclesiæ Pastor: vel vt Occidentis
C Patriarcha, vel vt Romanæ Vrbis Episcopus. Cum Nilus ait, Papa est primus inter Patriarchas, & vt primus Patriarcha imperium non habet in secundum: quia nec secundus in tertium. Dico, Romanum Pontificem, vt est Patriarcha, nullam super Orientales Ecclesias iurisdictionem exercere: sed vt est caput & Pastor vniuersalis Ecclesiæ: iuxta quem sensum in ordine Patriarcharum poni non potest: sicut de facto illum Patres secundæ Synodi non posuerunt; cum dixerunt, Constantinopolitanum Episcopum decere primum locum obtinere post Romanum Episcopum. Nili itaque obiecto nihil concludit, vt legenti patet.

Quinta obiectio. *Romanus Episcopus non ordinat Patriarchas, quemadmodum Patriarchę suos ordinant Metropolitanos & Metropolitani suos Episcopos: ergo non ita præest Patriarchis, vt illi Metropolitanis, & Metropolitani Episcopis.*

D Respondeo hanc Nili obiectionem nullius esse momenti: nam nec Græci negant Papam esse omnium Occidentalium Prouinciarum Patriarcham: & tamen Africæ Episcopos ipse non ordinabat, licèt illorum appellationes, vt proprius Iudex susciperet. & Actione septima tertiæ Synodi legimus, Episcopos Cypri à S. Synodo obtinuisse, vt Episcopus Antiochenus nullum ius eligendi, vel confirmandi Episcopos Insulæ obtineret, eo quod nunquam à tempore Apostolorum sic factum fuisset: sed consuetudinem seruari petebant, vt metropolitanus à Synodo Insulæ, & Episcopi à Metropolitano eligerentur: & sancta Synodus, vt talis consuetudo semper maneret, decreuit; attamen non est asserendum sub aliquo Patriarcha talem Metropolitanum non degere, licèt ab illo Patriarcha non ordinetur. sic in casu nobis obiecto, dicendum est. Romanus Pontifex Orientis Patriarchas non ordinat, licèt hoc verum fuerit, non tamen sequitur, eos Romano Pontifici

non subesse; nam ipsimet hoc fatebantur, cum illum sæpe sæpius appellauerint. vt ex actis Synodorum constat. A

Præterea Patriarcharum ordinatio à Romano Pontifice ab initio confirmabatur, vt patet ex Epistola Leonis Papæ ad Martianum Imperatorem, quę habetur in calce Conc. Chalcedonensis. in qua sic legitur. *Satis sit prædicto, quòd vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu Episcopatum tantæ Vrbis obtinuit, non dedignetur Ciuitatem quam Apostolicam non potest facere sedem. nec vllo speret modo quòd per aliorum possit offensiones augeri, neque sibi æstimet licuisse quod Antiochenę Ecclesiæ, sine vllo exemplo, contra statuta canonum, Episcopum ordinare præsumpsit, quod nos amore reparandæ fidei & pacis studio, retractare cessauimus.* Itaque olim à sede Petri omnia rata fiebant. & hoc idem in Generali Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio, etiam statutum & confirmatum fuit. B

Porrò si ordinare Episcopum, iurisdictionē primatus necessario inferret, sequeretur Antiochenum Patriarcham subesse Episcopo Constantinopolitano, quia tunc vt Leo conqueritur, ab Anatholio ordinatus fuerat. hoc autem nulla consuetudo admittit, vt idem Nilus in obiectione testatur: ordinare itaque vel non ordinare, nullam ponit vel aufert iurisdictionem. Adde quod summus Pontifex tales ordinationes, pro maiore commoditate, vicinioribus Archiepiscopis poterat commisisse.

Sexta obiectio. *Nicęna Synodus can. 6. assignauit omnibus Patriarchis suas regiones. Romano tradidit Occidentem: Alexandrino Aegyptum, Lybiam & Pentapolim: Antiocheno Syriam & Mesopotamiam, ergo Romanus Pontifex non debet cæteris Patriarchis imperare.* C

Responsio supra habetur in solutione tertiæ obiectionis. nam nihil ibi Romano Pontifici traditur gubernandum & regendum, quia a Diuino Iure hoc ipse habet.

Septima obiectio. Episcopus Constantinopolitanus dicitur Oecumenicus seu vniuersalis Patriarcha, sicut Romanus. ergo euidens est illum Romano Episcopo non esse subiectum.

Respondeo huiusmodi titulum originem duxisse ex furtiuo illo canone, quem Patres Synodi Chalcedonensis in fine, absentibus Papæ Legatis, condiderunt: qui deinceps à Leone Papa cassatus & improbatus est, vt supra dictum fuit: quamobrem & ipse titulus furtiuus & incongruus dicendus est.

Nam etsi Constantinopolitanus Episcopus esset Patriarcha Asiæ, Thraciæ, & Ponti, independenter à Romana Cathedra sancti Petri, hunc tamen titulum ei competere, non est affirmandum: quia nullam habet iurisdictionem super Occidentem, cæterasque orbis Prouincias: quomodo ergo iurè dici potest vniuersalis Patriarcha? Ratio autem cur Constantinop. Episcopus hunc voluerit aliquando assumere titulum, est: quia in furtiuo illo Canone, ipsi æquales cum Romano Pontifice honores, Græcorum Episcopi dare rētauerunt: Romanus autem Episcopus semper in Synodis vniuersalis Ecclesiæ Episcopus dicebatur. hoc itaque prætensæ æqualitatis motiuo, titulum vniuersalis Patriarchæ assumpserunt. sed furtum est, rapina est. quia vt Leo Papa in Epistola ad Martianum Augustum, quæ in calce eiusdem Synodi Chalcedonensis habetur: *Alia est ratio rerum sæcularium, alia Diuinarum: nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio.* D

A *Oratio*. hoc eſt, quia Petrus diuina ſanctione vniuerſæ Eccleſiæ claues accepit, vt patet Matth. 16. & Ioann. cap. vlt. idcirco qui eas claues aſſumere præſumit, furti reus erit.

Et hunc titulum, Adrianus Papa in epiſtola ad Tharaſium Conſtantinopolitanum Patriarcham, quæ Actione ſecunda ſeptimæ Synodi lecta & approbata fuit, optimè improbauit, & redarguit. nam de pleniſsima poteſtate Romanæ Cathedræ ſuper omnes Eccleſias, ſic ibi ait. [In primis autem veſtra ſanctitas pijſſimis, & triumphatoribus noſtris Imperatoribus, ſine trepidatione inducat in animum, vt falſam congregationem illam ſinè conſenſu ac præſentia Apoſtolicæ ſedis, contra omnem Patrum venerabilium traditionem, contra venerandas imagines, ſine ordine, & debita
B conuocatione factam execretur, & anathematizatam præſentibus apocriſarijs noſtris cognoſcat: quo omne zizanium ab Eccleſia eradicetur: & Ieſu Chriſti Domini noſtri verbum impleatur: cum ait. Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et alibi: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & dabo tibi claues regni cælorum: & quæcumque in terra ligaueris, ligata erunt in cælis: & quæcunque ſolueris in terra, ſoluta erunt in cælis. Cuius etiam ſedes per totum terrarum orbem primatum obtinens, lucet: omniumque Eccleſiarum Dei caput exiſtit. Vnde & ipſe beatus Petrus Apoſtolus, Dei iuſſu Eccleſiam paſcens, nihil omnino prætermiſit: ſed vbiq. principatum obtinuit & obtinet: cui etiam, & noſtræ beatæ & Apoſtolicæ ſedi, quæ eſt omnium
C Eccleſiarum Dei Caput, velim beata veſtra ſanctitas ex ſincera mente & toto corde agglutinetur &c.]

[Petrus & Petrus pijſsimi præsbyteri & locum tenentes ſanctiſsimi Papæ veteris Romæ Adriani, dixerunt. Dicat nobis beatiſsimus Patriarcha regiæ vrbis Tharaſius, conſentit ne literis ſanctiſsimi Papæ veteris Romæ, an minus?]

Tharaſius ſanctiſsimus Patriarcha reſpondit: Cui Chriſti lumen circumfulſit, quique nos per Euangelium generauit Paulus verè diuinus Apoſtolus, Romanis ſcribens, & ſtudium ſinceræ fidei eorum erga verum Deum noſtrum exoſculatus, ſic inquit. Fides veſtra prædicatur in vniuerſo Orbe hoc. hoc teſtimonium & nos inſequi par eſt: temerariumque repugnare arbitramur. &c.

D Cum ergo ipſe Conſtantinopolitanus Patriarcha coram tota vniuerſali Synodo fateatur, Romanum Pontificem eſſe vniuerſæ Eccleſiæ Chriſti Patrem & Epiſcopum, quomodo titulus vniuerſalis Patriarchæ Conſtantinopolitano Epiſcopo obtingere poteſt? verba ſunt contradicentia. nam *Regnum non capit duos* & 12. Meth. *Pluralitas principiorum & principatuum mala, vnus ergo Princeps: entia enim nolunt malè diſponi*. Et ipſa naturalis ratio hoc demonſtat, vt ſenſatis patet.

Octaua obiectio. Actione vndecima ſextæ Synodi, Conſtantinopolitana Eccleſia dicitur Apoſtolica, ergo æquales honores habet cum Romana, quæ etiam Apoſtolica dicitur.

Reſpondeo, vtiq. Eccleſiam Conſtantinop. aliquando dictam fuiſſe Apoſtolicam, at non ſedem Apoſt. quod nullibi legitur. imò Leo Papa in epiſtola ad Martianum Auguſtum, & habetur in fine Concilij Chalcedonenſis ſcri-

ſcribens de Anatolio Conſtantinop. Epiſcopo, cuius de ſuæ diœceſis augendæ immoderatum ſtudium redarguebat. inquit. *Satis ſit prædicto quod veſtræ pietatis auxilio, & mei fauoris aſſenſu Epiſcopatum tantæ Vrbis obtinuit. non dedignetur regiam ciuitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere ſedem.* Præterea non negamus, ſedem Hieroſolymorum eſſe etiam Apoſtolicam, quatenus à Iacobo Apoſtolo gubernata fuit, dum illius vrbis Epiſcopatum à Petro accepit. at hoc non facit ad rem, quia Petrus eſt Apoſtolorum princeps: & ſedes Papæ Apoſtolica dicitur, ratione excellentiæ, & ſupremæ poteſtatis ſuper quaſcunque Eccleſias, vt ſæpiſsimè demonſtratum eſt. nam Romanus Pontifex dicitur etiam Epiſcopus; & Paſtor Eccleſiæ Epheſi, exempli gratia, dicitur, eſtque Epiſcopus. ergo omnibus in rebus erunt ſimiles: ſophiſma eſt, & fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter: quia in iuriſdictione differunt. ſic in caſu in obiectione propoſito.

A

B

DISPVTATIO TERTIA.

An appellationes ad Romanam Cathedram S. Petri, fuerint, & fieri debeant ad ciuiles Eccleſiæ controuerſias dirimendas, an verò etiam ad fidei veritatem decernendam ac aperiendam.



CVM in antecedenti diſputatione ſatis demonſtratum ſit, Romanam Cathedram diuina ſanctione, totius Eccleſiæ militantis ſupremum tribunal exiſtere: & conſequenter ei omnium particularium Eccleſiarum appellationes iure diuino obtingere. nunc diſcutiendum remanet, cuius generis appellationes ei ſint exhibendæ: an in ciuilibus Eccleſiæ litibus dirimendis, an etiam in doctrina fidei, & morum explicanda, ac aperienda. Nec de Romana Cathedra loquimur, cum ſecum habet in Concilijs vniuerſam Eccleſiam: etenim apud Græcos nulla eſt difficultas, ipſam hoc modo ſpectatam, eſſe infallibile tribunal fidei & veritatis: ſed quærimus an non adunato generali Concilio, quod vniuerſam repræſentet Eccleſiam, ipſa hoc ius poſſideat, vt meritò omnes Eccleſiæ in fidei & morum dubijs & litibus ſuperuenientibus, ipſam appellare teneantur, ad iudicij veritatem indubitanter obtinendam. C D

Quid autem de iure in re huiuſmodi affirmandum ſit, Tomo primo lib. 2 diſp. 3. & lib. 3. diſput. prima diſcuſſum fuit. verùm quia cum Græcis in præſenti volumine certamen aſſumpſimus, de facto probare intendo per Patrum Græcorum in Synodis generalibus congregatis teſtimonia, & per ea quæ extra tale tempus inter Latinos & Græcos vſque ad annum Domini octingenteſimum, & ſeptuageſimum euenerunt, omnes Chriſtiani orbis Nationes in fidei & morum litibus decidendis Romanam Cathedram appellaſſe.

Vt autem, pro veritate ſtabilienda & patefacienda, firmum ponamus fundamentum, conſiderandum proponimus, Sinagogam Iudæorum, quæ olim populus & hæreditas Domini erat, tribunal habuiſſe ſacerdotum, quod legis veteris controuerſias dirimebat. vt patet Deut. 17. [Si difficile, & ambiguũ

apud

A apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & Iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniensque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum. non declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrabit Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.]

Hæc autem iudicandi potestas sacerdotum, super omnes controuersias,
B quæ ex diuina lege oriebantur, ferebatur; vt constat etiam ex 2. Paralip. 19. Et in re huiusmodi duplicis generis tribunal obtinebant Iudæi; alterum maius, quod in vrbe Hierosolyma tantùm congregabatur, vbi maiores controuersiæ definiebantur, cui tantum summus sacerdos cum septuaginta viris præsidebat: alterum minus, quod in singulis ciuitatibus colligebatur, vbi faciliores difficultates resoluebantur: nec summus sacerdos præsidebat, sed solum viri viginti tres vna simul conueniebant. Quis autem Catholicus, summum Iudæorum Sacerdotem in tali exercendo iudicio errare potuisse, affirmare audebit? nam & contra scripturæ diuinæ textum doceret, quæ inquit. [Quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.] Et contra rationem ratiocinaretur. enimuero si summus sacerdos errasset
C aliquando, Iudæi falsas credidissent decisiones conrouersiarum diuinæ legis, & necessariò falsitati assensum dare debuissent, stante firmo mandato Domini, etiam pęnam mortis aduersus rebellantes & inobedientes comminante: hoc autem quàm sit Diuinæ maiestati ac bonitati contumeliosum, pius & prudens Lector edicat: valde enim rationi dissonum est, Deum ad falsum tenendum homines obstringere. Consequens ergo est, vt qui Iudæos ad illas seruandas decisiones obligauerat: & sacerdoti decisiones exhibenti sic præsto esset, vt in errorem labere nequiret. Hoc itaque Synagoga olim gaudere priuilegio, necessariò asserendum est.

Apostolus autem de Synagogæ & Ecclesiæ conditionibus in Epistola ad Galatas differens, illam Agar ancillæ, & hanc Saræ illustri & liberæ assimi-
D lat. *Non enim sumus ancillæ filij sed liberæ.* Gal. 4. differunt autem Ecclesia & Synagoga, vt nox & dies. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Heb. 10. Vt seruus, & filius. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Rom. 8. Vt pedagogus, & Princeps doctissimus. *Itaque lex pedagogus fuit in Christo, vt ex fide iustificemur.* Gal. 3. & 2. Cor. 3. inquit Apostolus. [Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria: itaut non possent filij Israel intendere in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? nam si ministratio mortis gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria.] Qualis ergo & quanta sit super Iudæorum Synagogam Ecclesiæ excellentia in Scripturis sanctis conspicuum est. qui autem Petri Cathedram, quæ militantis Ecclesiæ est tribunal, errare posse, cùm ei in fidei & mo-

Digitized by Google

rum controuersijs decidendis appellationes fiunt, opinari voluerit; sciat se A
Ecclesiam Synagogæ subijcere: imò Synagogam magnificare, & Ecclesiam deijcere ac deprimere, cum maiora ac præstantiora Synagogæ quàm Ecclesiæ priuilegia fuisse, fateatur,

Enimuerò, qui talia sentiunt, in Petri Cathedram turpem immittunt iniuriam, & magni ponderis contumeliam. Quid est enim affirmare, Petri Cathedram, non coacto vniuersæ Ecclesiæ generali Concilio, errare posse in fidei & morum Appellationibus resoluendis, nisi Petrum cum successoribus, Doctorem esse sine doctrina. Magisterium sine potestate docendi: Iudicem sine auctoritate iudicandi; & Cathedram sine sufficienti doctore?

Adde, quòd Petro Saluator inquit, Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, & in cælis: & quodcumque solueris, &c. Si ergo Saluator B
vniuersaliter & genericè rerum omnium potestatem ei dedit, vt ex citatis verbis constat: *quis ergo es tu homo qui respondeas Deo?* Rom. cap. 9. Quis enim auctoritatem à Deo datam Petro, & eius successoribus in genere, specialem & coarctatam statuere audebit? Itaque qui Petri cathedram impugnat, cum Deo pugnare probatur,

Sed occurrent aduersarijs dicentes, summum Synagogæ sacerdotem in controuersijs legis definiendis, se cum multos sacerdotes habuisse, etsi omnem sacerdotalem Tribum non conuocabat. At ego. nec summus Pontifex in tali munere hanc partem excludit: nam in huiusmodi appellationibus resoluendis, & Cardinalium, & Prælatorum habet assistentiam. Si ergo summo Synagogæ sacerdoti hoc datum fuit priuilegium, ab Ecclesia Chri- C
sti auferendum erit? videant oppositum opinantes in quam foueam incidere parati sunt.

Cum enim Conciliabula fiunt, & cum in ipsis Concilijs ritè congregatis seditiones oriuntur: vt factum fuit Act. vltima Conc. Calced. Si Petri Cathedra ius omnia dirimendi non haberet, quis litibus terminum infigeret? remoto capite, & Iudice cunctis in disceptationibus manifesta est omnibus in rebus confusio. Quapropter Hieron. lib. 1. contra Iouin. inquit. *Inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio*. Quæ ergo Lutheranis, & Caluinistis obijcimus, ad necessitatem supremi Pastoris Petri successoris demonstrandam: & his cum quibus disputamus proponere opus est. igitur sic opinantes, Luthero, & Caluino in re hac adhærere oportet. idcircò, qui Petri Cathedram aliquo modo lædere desiderant, non D
sapere hæresim, & in sectariorum agmen eos non descendere, est penitus impossibile. his ergo præmissis.

Dicimus. [Appellationes ad Romanam Cathedram S. Petri à cunctis Nationibus fieri debere, non tantùm ad ciuiles Ecclesiarum controuersias dirimendas, verùm etiam ad fidei, & morum veritatem decernendam, ac aperiendam.] Conclusio probatur via facti: cum in antecedenti disputatione hoc Romanæ Cathedræ de iure contingere, demonstratum fuerit.

Cæpit Nestorius Constantinopolitanus Episcopus hæreses quas mente conceperat, tandem euomere. asserens Beatam Mariam virginem non esse Dei genitricem, sed Christi matrem, eo quia sicut in Christo duæ sunt naturæ, diuina scilicet, & humana, sic duas esse Persona, opinabatur. Quod vt audiuit, Cyrillus Alexandrinorum Patriarcha, fraternam correptionem apud

A apud Nestorium adhibuit, verum quia nihil proficiebat, Romanam Cathedram appellauit, vt super huiusmodi magni ponderis negotium decisiuam ferret sententiam, quamobrem per literas hanc dedit Cælestino Romano Pontifici appellationem. Habetur autem hæc Cyrilli epistola & appellatio, ante Acta Concilij generalis Ephesini.

Sanctissimo Deoque amantissimo Patri Celestino, Cyrillus in Domino salutem dicit.

SI in rebus vsque adeo serijs ac necessarijs, vbi recta fides malè à quibusdam deprauata distortaque periclitatur, citra notam silere, & cun-
B cta, quæ hactenus mota agitataque sunt, citra morositatis vitium pietatem tuam celare licuisset: dixissem vtique mihi: Bona ac periculi expers res est Silentium, & illud rursum. Præstat quietam vitam agere, quam turbis operam dare. Quoniam verò Deus hisce in rebus prudentiam à nobis exigit longaque Ecclesiarum consuetudo suadet, vt istiuscemodi sanctitati tuæ communicentur: non possum equidem quod apertum est (nempe satanam pessimam illam infrenemque bestiam, quæ ab impietatis studio nunquam desistit, in præsentia omnia miscere, contraque Dei Ecclesias magna vi insanire, necnon in omnium vbique populorum, qui in recta fidei semita ambulabant subuersionem studiosè eniti) ad pietatem tuam non perscribere. (Notet lector antiquam orbis consuetudinem in rebus fidei Ro-
C manum Pontificem appellandi.) Sanè hactenus altum tacui: Neque enim quicquam omnino de illo qui Constantinopolitanam Ecclesiã hoc tempore administrat, vel ad Religionem tuam vel ad vllum alium consacerdotum nostrorum scripsi, non ignorans præcipitem celeritatem in eiusmodi rebus, cum vitio plerumque coniunctam esse solere. At quia nunc ad extremum propemodum malorum deuenisse videmur, operæ pretium existimaui, rupto silentio, ordine omnia quæ acciderunt exponere. Is igitur, cuius paulo ante mentionem feci, vbi primum Episcopus creatus est, &c.]

[At quamuis res ita habeat, non prius tamen illius communionem confidenter deferere ausi fuimus, quam hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias declarare: quo liquidò nobis constet communicare ne nos cum illo oporteat, an verò libere eidem denunciare, nemi-
D nem cum eo communicare, qui eiusmodi erroneam doctrinam fouet, & prædicat. Porrò tuæ integritatis mens, & super hac re sententia; non modo pijssimis, Deoque deuotissimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoque Orientis Antistibus perspicuè per literas exponi debet, &c.]

Manifestum ergo est Romano Pontifici ab initio, & semper etiam in controuersijs fidei cognoscendis, ab omnibus cuiuscunque Nationis viris appellationes exhibitas fuisse, præfata enim appellatio non alicuius particularis episcopi extitit, sed Alexandrini Patriarchæ aduersus alterum Patriarcham nempe Constantinopolitanum, & in re seria: vt citata verba demonstrant. Hæc igitur sit prior Apellatio inter eas quas hic ad nostram probandam Conclusionem allaturi sumus.

In prima parte concilij generalis Chalcedonensis, vbi quæ Acta Synodi præcesserunt, enarrantur & exprimuntur. manifesta adest Flauiani Con-

Digitized by Google

stantinopolitani Episcopi ad Romanam Cathedram S. Petri, quam tunc Leo A
primus possidebat, alia appellatio. Nam cum nouas Euthichetis opiniones de Saluatoris nostri incarnatione percepisset Flauianus, coacta quorundam Episcoporum Synodo, eundem Euthichetem damnauit. Euthiches autem Leonem Romanum Pontificem appellauit. Leo adhuc inscius eorum quæ acciderant, cum literas Flauiani iam ad illum missas, nondum accepisset, de Flauiano conqueritur. Interea tamen Flauiani literæ Leoni datæ sunt huius tenoris.

Sanctissimo & Beatissimo Patri & consacerdoti Leoni Flauianus in Domino salutem.

B

Pietate & recta prædicatione verbi veritatis nihil honorabilius sacerdotibus, sicut nosti Deo amantissime, &c. Necessarium itaque fuit nunc, & iam videntes nos lædi orthodoxam fidem, & renouari Appollinaris & Valentini hæreses ab Euthiche monacho, non hoc despicere, sed in aperto hoc pro cautela populi reuelare, &c. Accusatum verò eum à Reuerendissimo Eusebio, & occurrentem in sanctum concilium, & voce sua sectam propriam retegentem, alienumque existentem à recta fide, damnauimus; Sicut docebunt vestram sanctitatem omnia quæ super eo sunt gesta, quæque diximus cum nostris his literis, &c. Sed his ita gestis, literæ nobis datæ sunt vestræ sanctitatis per admirabilem Comitem Pansophium, per quas sumus edocti, quia idem Euthiches libellos direxit vobis plenos C
omni fallacia atque calliditate, dicens: Iudicij tempore, libellos se dedisse appellationis, & nobis & hic conuenienti sancto Concilio, & appellasse vestram sanctitatem: quod nequaquam ab eodem factum est. Sed etiam in hac parte mentitus est, tamquam per fallaciam mendacij subrepere se sanctis vestris auribus putans. Commotus itaque sanctissime Pater in his omnibus, quæ ab eo præsumpta sunt, & ob ea quæ in nos & in sanctissimam Ecclesiam facta sunt atque fiunt, pro consueta fiducia fiducialiter age, secundum quod sacerdotio competit, propriamque faciens communem causam, & sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem aduersus eum regulariter factam, & per propria scripta dignare, confortare autem, & pijssimi & Christo deditissimi nostri Imperatoris fidem. Causa enim eget solummodo vestro solatio atque defensione, D
qua debeatis consensu proprio, ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. sic enim hæresis quæ surrexit, & turbæ quæ propter eam factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per vestras sacratissimas literas. &c.]

Huic Appellationi Leo Romanus Pontifex hanc dedit responsionem & diffinitiuam sententiam. & est Epistola Leonis decima, vel vt alijs placuit duodecima, quæ deinceps Actione secunda Concilij Calced. lecta, & pro regula fidei recepta fuit. nam illa coram omnibus perlecta, omnes Episcopi dixerunt. *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides, omnes ita credimus orthodoxi ita credimus, anathema qui sic non credit. Petrus per Leonem ita loquutus est. Apostoli ita docuerunt &c.*

Leo

A

Leo Episcopus dilectissimo fratri Flauiano Constantinopolitano Episcopo.

LEctis dilectionis tuæ literis, quas miramur fuisse tam seras, & gestorum Episcopalium ordine recensito, tandem quid apud vos scandali contigerit, atque contra integritatem fidei exortum fuisset, agnouimus: & quæ prius videbantur occulta, nunc nobis reserata patuerunt. Quibus Euthiches qui presbyterij nomine honorabilis videbatur, multùm impudens, & nimis imperitus ostenditur, vt etiam de ipso dictum sit à Propheta: Noluit intelligere vt benè ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo.
B quid autem iniquius quam impia sapere, & sapientioribus doctioribusque non credere? sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognescendam aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad Apostolicas literas, nec ad Euangelicas authoritates, sed ad semetipsos recurrunt. Sed ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere. Quam enim eruditionem de sacris noui & veteris testamenti paginis accquisiuit, qui nec ipsius quidem Symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur.]

[Nesciens igitur quid deberet de Verbi Dei incarnatione sentire, nec volens ad promerendum intelligentiæ lumen, in sanctarum scriptura-
C rum latitudine laborare, illam saltem communem, & indiscretam confessionem solicito appræhendisset auditu, qua vniuersitas fidelium profitetur, credere se in Deum patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Quibus tribus sententijs, omnium ferè hæreticorum machinæ destruuntur, &c.]

[Quum autem ad interlocutionem examinis vestri Euthiches responderit, dicens. Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem verò vnam naturam confiteor: miror tam absurdam, tamque peruersam eius professionem, nulla iudicantium increpatione reprehensam, & sermonem nimis insipientem, nimisque blasphemum, ita omissum, quasi nihil quod offenderet esset auditum, quum
D tam impiè duarum naturarum ante incarnationem, vnigenitus Dei filius fuisse dicatur quam nefariè postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur. Quod ne Euthiches ideo vel rectè, vel tolerabiliter æstimet dictum, quia nulla vestra est sententia confutatum: dilectionis tuæ diligentiam commonemus, frater charissime, vt si per inspirationem misericordiæ Dei ad satisfactionem causa perducitur, imprudentia hominis imperiti etiam ab hac sensus sui macula per te purgetur. Qui quidem (sicut gestorum ordo patefecit) benè cæperat à sua persuasione discedere, quum vestra sententia coarctatus profiteretur, se dicere, quod ante non dixerat, & ei fidei accquiescere, cuius prius fuisset alienus. Sed quum anathematizando impio dogmati noluisset præbere consensum, intellexit eum fraternitas vestra in sua manere perfidia, dignumq. esse, qui iudicium condemnationis exciperet. De quo si fideliter atque vtiliter dolet, & quam re-

cte

ctè mota sit Episcopalis authoritas, vel serò cognoscit, vel si ad satisfactionis A
plenitudinem omnia quæ ab eo malè sunt sensa, viua voce & præsenti subscriptione damnauerit, non erit repræhensibilis erga correptum quantacunque miseratio: quia Dominus noster verus, & bonus pastor, qui animam suam posuit pro ouibus suis, & qui venit animas hominum saluare, non perdere, imitatores nos suæ vult esse pietatis, vt peccantes quidem iustitia coerceat, conuersos autem misericordia non repellat. Tunc enim demum fructuosissimè fides vera defenditur, quando etiam à sectatoribus suis opinio falsa damnatur. Ad omnem verò causam piè ac fideliter exequendam fratres nostros Iulianum Episcopum & Renatum presbyterum tituli sancti Clementis, sed & filium meum Hilarium diaconum vice nostra direximus.
Quibus Dulcitium notarium nostrum, cuius fides nobis est sæpè probata, sociauimus, confidentes affuturum diuinitatis auxilium, vt is qui errauerat, B
damnata sensus sui prauitate saluetur. Deus te incolumem custodiat frater charissime. Data idibus Iunij, Asterio, & Protogene Consulibus; æra 486.]

Nec ad præmissæ nostræ conclusionis probationem aliæ desunt Appellationes, verum quia omnium particularium Ecclesiarum particulares appellationes, vt principio huius tractatus proposuimus, recensere debemus, ne idem pluries repetamus, satis sit, pro hac demonstranda veritate, has duas in medium protulisse, quæ in Actis synodalibus, & manifestè cernuntur, & solemniter fuerunt exhibitæ, in Ecclesiæ Catholicæ regulis dogmaticis reperiuntur, & à sanis viris proculdubio reuerentur.

Superest nunc, vt quæ contra nostram Conclusionem, qui inter Græcos C
fidem Catholicam non retinent, obijciunt, vel obijcere valent, in medium afferamus & soluamus. Notum autem facimus amico Lectori, huius temporis Græcos non eiusdem esse opinionis in Romanæ Cathedræ sancti Petri potestate, & iurisdictione abijcienda & contemnenda. Permulti enim Romanum Pontificem non esse vniuersalis Ecclesiæ Episcopum, sed tantùm Occidentalium Prouinciarum Patriarcham, & in serie Patriarcharum primum temporis prioritate affirmant: quorum inanes rationes & obiectiones in superiore disputatione recensuimus & redarguimus, & hæc hæretica opinio hac nostra ætate apud illos magis præualet, estque penè communis. Plerique tamen Acta Synodorum, & Patrum suorum doctrinam perpendentes, Romanum Pontificem esse vniuersæ Ecclesiæ Episcopum & pastorem fatentur, cum hanc apertam veritatem negare erubescant; sed vt pro- D
priam à Petri Cathedra apostasiam stibio circumlinire valeant, Romanum Pontificem cum omnibus nationibus illi subiectis, ob particulam Filioque, in fidei Symbolo positam excommunicatum esse proclamant. & hi Photianistæ & Dioscoritæ dicendi sunt, vt infra probabimus. etenim Græci qui aliqua pollent doctrina, primatum Petri, & successorum eius negare nunquam ausi sunt: & quandocumque cum Latinis olim in Synodis conuenerunt, hanc non abiecerunt veritatem, vt in Florentina Synodo clarè patuit: Hi ergo animaduertant, quòd qui Petri Cathedram venerantur, & ius illius recognoscunt; doctrinam, quam illa exhibet, suscipere debent, enimuerò Cathedræ significatum, doctrinæ exhibitionem præsefert; vt Saluator monuit, de Moysi Cathedra, Petri, Cathedræ valde inferiori disserens Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi*

omnia

A *omnia ergo quacunque dixerint vobis seruate & facite, &c.* non enim Cathedra primò & per se ad ciuiles tantùm Ecclesiæ lites dirimendas posita est: licèt & hoc ius ipsa possideat; sed à doctrina dicitur cathedra, & ad docendum instituta fuit, nec ad falsa docendum ipsa est posita, sed ad veram tribuendam doctrinam; nisi delirantes, Christum Dominum, qui eam sanciuit, insipientem Architectum esse, affirmare velimus. Hinc est eos Doctores, qui cum generale Concilium super Petri Cathedram ponere opinati sunt, cum Græcorum erroneis opinionibus communicare, & similes errores, augendi materiam præbere. Nec Concilij Constantiensis decretum huic veritati reluctari quisquam opinetur, quia Concilium de tempore schismatis solum disserit, & decernit, vt loco nuper citato demonstratum fuit.

B Qui ergo de Petri Cathedræ iurisdictione sanam & rectam profitetur se habere doctrinam, vniuersæ Ecclesiæ magisterium ipsam possidere, firmiter credere debet, & qui ab hac veritate quouis prætextu recedere paratur, & à fide Catholica & à Christi Ecclesia exeundi præparat sibi viam; sic Græcæ Nationi accidit, vt experientia omnes instruit.

Prima obiectio. Non defuerunt Romani Episcopi super Petri Cathedram sedentes, qui in Appellationibus acceptis resoluendis errauerunt: ergo Romana Cathedra non coacto generali Concilio doctrinæ fidei & morum tribunal dici non debet. Antecedens probatur nam Honorius Romanus Pontifex à Sergio Constantinopolitano Episcopo appellationem accipiens & interrogatus an in Christo Domino duæ essent voluntates, vel C tantùm vna, diuina scilicet. Respondit & ipsi Sergio, & cæteris Græcorum Patriarchis, vnam esse Christi voluntatem; quamobrem à sexta Synodo vt hæreticus anathematizatus fuit, eiusque epistola Act. 13. eiusdem Synodi publicè concremata est. & Act. 16. sancta Synodus dixit. anathema Honorio hæretico qui fuit Papa, anathema Pyrro, Sergio, Cyro, Paulo, Theodoro, Machario, Stephano, Policronio, &c. ergo cum Episcopi Romani super Petri Cathedram sedentes, vt fuit Honorius, in fidei appellationibus resoluendis errauerint, ipsis huiusmodi appellationes exhiberi non debent.

Respondeo, obiectionem falsò innixam esse supposito, cum Honorius Pontifex errorem Monothelitarum minimè approbauerit, vt ex Epistolis eius, quas hic recensebo, luculenter constat. scripserat enim Sergius Con-D stantinopolitanus Episcopus ipsi Honorio super quæstionem de duplici voluntate Christi Dei Saluatoris nostri, diuina scilicet & humana, nuper exortam; ob quam totus Oriens nouis super huiusmodi dogma disputationibus tumultuabat; cum præcipuè Hierosolymitanus Episcopus eidem Sergio & cæteris Orientis Patriarchis de duplici Christi Domini voluntate malè sentientibus, strenuè resisteret. Honorius itaquè vt has nouas quæstiones discordiæ ac seditionis plenas resecaret, ita rescripsit, vt vtriusque partis sententias simul conciliaret, vt infra patebit, monens vtrosque, ne vel in Nestorianos errores, vel in Euthichetis insanias laberentur. hanc autem Pontificis prouidentiam, Monothelitæ primùm, & Romanæ Cathedræ æmuli secundò, abusi fuerunt, vt & Honorij orthodoxam fidem, & Romanæ Cathedræ indeuiabile iudicandi munus, calumnijs & contumelijs inficerent. Sed *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum: ipsi quoque contra sanguinem*

suum

Digitized by Google

suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas. Prou. 1. A

Vt autem liquidò constet, vera esse quæ ad Honorij defensionem asserimus, Sergij primùm, & Honorij deinceps, referam Epistolas, quæ Actione duodecima sextæ Synodi propositæ & examinatæ fuerunt. vt omnibus veritatem, super hoc magni ponderis negotium, apertam præbeam.

Actio duodecima Concilij generalis sexti. [In nomine Domini & dominatoris nostri Iesu Christi Dei & Saluatoris nostri, imperantibus à Deo coronatis serenissimis nostris Dominis Flauijs, Constantino quidem pijssimo & à Deo decreto magno Principe, perpetuo Augusto, & Imperatore anno vigesimo octauo, & post Consulatum eius à Deo instructæ mansuetudinis anno decimo tertio, Heraclio verò atque Tiberio à Deo conseruandis eius fratribus anno vigesimo secundo, vigesimo die mensis Martij B indictione nona, &c. Conueniente quoque etiam & sancto ac vniuersali Concilio, quod per Imperialem sanctionem congregatum est in hac à Deo conseruanda vrbe Regia, idest Theodoro ac Georgio venerabilibus Presbyteris, & Ioanne venerabili diacono, locum repræsentantibus sanctissimi ac beatissimi Papæ antiquæ Romæ Agathonis: & Georgio venerabili atque sanctissimo Archiepiscopo magnisonæ Constantinopoleos nouæ Romæ, & Petro Deo amabili presbytero & loci seruatore sedis Alexandriæ magnæ ciuitatis: & Georgio Deo amabili presbytero, monacho & apocrisario Theodori venerabilis loci seruatoris sedis Hierosolymorum. Ioanne Episcopo ciuitatis Portuensis, Abundantio Episcopo ciuitatis Paternæ, Ioanne Episcopo ciuitatis Rhegitanæ locum præsentantibus sancti Conc.centum C vigintiquinque venerabilium Episcoporum antiquæ Romæ, &c. & Theodoro religioso presbytero, & loci seruatore Theodori Deo amabilis Archiepiscopi Rauennæ. Ioanne Episcopo Thessalonicensi. Basilio Episcopo, &c.

Et post finem lectionis epistolæ Sergij, quondam Patriarchæ Constantinopoleos ad Cyrum Episcopum Phasidis, religiosus Antiochus relegit ex eodem codice sermonem quasi Mennæ quondam Patriarchæ Constantinopoleos ad Vigilium Papam Romanum. Et dum hic relegeretur, gloriosissimi Iudices & sanctum Concilium dixerunt. Superflua etiam præsens lectio sermonis exiltit, quia penitus fictus & falsus est, eoquod neque in repositis gestis hic siti venerabilis Patriarchij epistolarum Mennæ sanctæ memoriæ huius regiæ vrbis antistitis, sermo qui dicitur Mennæ ad Vigilium inuenitur. Sed & in superius posita tertia Actione, dum relegeretur primus liber D gestorum sancti quinti Concilij, inuenti sunt additi tres falsi quaterniones, hunc sermonem adstruentes, reliqua verò eiusdem codicis relegantur.]

[Item relegit idem religiosissimus Antiochus exemplaria septimæ & octauæ Actionis sancti & vniuersalis quinti Concilij transcripta, actis principalibus reiacentibus in venerabili Patriarchio. Dum hæc igitur relegerentur, gloriosissimi Iudices, & sanctum Concilium dixerunt. iamdudum & præsentes septima & octaua Actiones, dum relegerentur sancti quinti Concilij, declaratæ sunt nobis: sed & in memoria habemus, quod tunc prosecuti sunt ex parte Apostolicæ sedis antiquæ Romæ, falsatam fuisse prædictam septimam Actionem, eoquod non sint veraces duo libelli, qui in ea continentur, quasi porrecti à Vigilio Iustiniano & Theodoræ piæ memoriæ: & ergo superflua existit etiam præfatarum duarum actionum lectio.]

Per-

A Perpendat Amicus Lector, quot librorum falsarios Græcorum Natio habuerit, qui cæteros eorum codices omnibus suspectos reddunt.

[Item quoque porrectus est à suprascripto religiosissimo Anthioco alter codex, quem & relegit, continens ita: Exemplar epistolæ Sergij Constantinopolitani ad Honorium Papam Romanum.]

[In tantum vobis sanctissimis in omnibus vnanimitate spiritus constringimur, vt studeamus omnium consiliorum nostrorum, & actionum vos sacratissimos habere præsidentes: & nisi plurimùm locorum distantia seiungeret, hoc vtique quotidie gereremus, vestræ honorandæ vnanimisque fraternitatis munito, murato que nosmetipsos circumsepientes consultu: attamen quoniam nobis etiam sermo, atque absque labore litera, quod B studemus, impartit, confestim ea pro quibus hæc scribimus, enarramus.]

[Ante aliquod certum tempus cum aduersus Persas à Deo confirmatus dominus noster & magnus victor Imperator promouebat exercitum, propter certamina à Deo sibi creditæ Christo amabilis Reipub. & ad partes Armeniæ prouinciæ peruenisset, vnus ex principibus impiæ partis Seueri execrabilis, nomine Paulus, in illis locis apparens ad eius pietatem accessit, sermonem pro sua errabunda hæresi proferens, &c. pijssima eius regalis magnanimitas, vt verus Ecclesiæ propugnator recta atque immaculata è diuerso protulit dogmata, inter quæ & vnius operationis Christi veri Dei nostri mentionem effecit. Post aliquod verò tempus idem à Deo confirmatus Imperator in Prouincia Lazorum adueniens recordatus est disputa-C tionis, quam sicut diximus fecerat ad Paulum illum hæreticum cum præsentia Cyri sanctissimi, tunc quidem eiusdem Christo amabilis Lazorum prouinciæ Metropolitanam sedem tenentis, nunc autem magnam Alexandriam regentis: Prædictus igitur sanctissimus vir, his auditis, eius serenitati respondit nescire subtiliter, vtrum vnam an duas operationes Christi veri Dei nostri adstruere necesse sit. Ergo per iussionem eius pietatis per literas proprias interrogauit nos prædictus sanctissimus vir, vtrum vnam operationem an duas in Saluatore nostro Christo necesse sit dicere: etsi quosdam noscamus sanctorum ac beatissimorum Patrum vnam dicentes operationem. vnde nos, quæ nostræ erant scientiæ, per nostra rescripta ei significauimus, dirigentes etiam sermonem acclamatorium Mennæ sanctissimi quondam Patriarchæ huius à Deo conseruandæ regiæ vrbis, por-D rectum ab eo hic præsenti Vigilio sanctæ memoriæ prædecessori sanctitatis vestræ, habentem, & diuersa testimonia paterna de vna operatione, & vna voluntate Saluatoris nostri Christi veri Dei nostri: nihil tamen proprium penitus in huiusmodi nostris rescriptis promulgauims, sicut suppetit nosse vos sacratissimos, & vnanimes, relegentes eorum quæ missa sunt exemplaria. & silentium quidem ex illo tempore huiusmodi suscepit capitulum. Quia igitur ante paruum tempus cooperante gratia Dei, &c. pio zelo fortissimi ac inuictissimi magni Imperatoris excitatus Cyrus sanctissimus Alexandrinæ magnæ ciuitatis Patriarcha, &c. modestè adhortatus est eos qui in magna ciuitate Alexandrina, quod Euthichetis & Dioscori, Seueri quoque & Iuliani sunt Deo odibilium hæresi languentes ad catholicam Ecclesiam accedere. Et post multas disputationes & labores, quos cum nimia prudentia & saluberrima dispensatione in hac causa impendit, hoc quod

festinabat per supernam gratiam ordinauit, &c. ex his autem quæ dicta sunt, atque stabilita, vnum existit capitulum de vna operatione Christi magni Dei & Saluatoris nostri. His itaque prouenientibus, Sophronius venerabilis monachus, qui vt ex nunc auditu didicimus, Hierosolymorum præsul est ordinatus, nec dum enim hactenus eius ex more Synodica suscepimus, apud Alexandriam tunc temporis positus cum præfato sanctissimo Papa &c. aduersatus est & contradixit ad vnius operationis capitulum, duas omnino operationes Christi Dei nostri dignum inquiens censeri, prænominato autem sanctissimo Papa præsertim testimonia ei quorundam sanctorum Patrum proferente dispersis in quibusdam opusculis suis, vnam operationem asserentium, adhæc quoque & ex abundanti inquiente, quod multoties sancti Patres nostri, vt lucrarentur plurimam animarum salutem, dum talia emergerent capitula Deo placitis dispensationibus, ac placitis vsi fuisse videntur, nihil de subtilitate rectorum Ecclesiæ dogmatum exagitantes, & dicentes, quod oporteat vtique etiam in præsenti, dum tantorum millium populorum salus præ manibus ponitur nihil de hoc per contentionem altercari, idcirco quod, sicut dictum est, etiam à quibusdam sacris patribus vox huiusmodi dicta est, nihilque de hoc lædatur rectæ fidei ratio, memoratus Deo amabilis Sophronius talem dispensationem nullatenus accepto tulit &c. B

Nos verò considerantes, incipientem ex hoc inter quosdam hic contentionem exardescere, & scientes quod semper ex huiusmodi decertationibus illæ hæresum dissentiones effectæ sunt, necessarium iudicauimus omne studium ponere ad sedandum atque amputandum talem superfluum verborum conflictum, & ad sæpedictum sanctissimum Alexandriæ Patriarcham scripsimus, vt postquam vnitatem cum his, qui pridem reparabuntur, Deo auxiliante composuit, de cætero nullum permitteret vnam aut duas proferre operationes in Christo Deo nostro, magis autem, sicut sancta, & vniuersalia tradiderunt Concilia vnum eundemque filium vnigenitum Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum operatum confiteri, tam diuinam, quamque humanam, & omnem Deo decibilem & homine dignam operationem ex vno eodemque incarnato Deo verbo indiuisè procedere, & ad vnum eundemque redigere, eoquod vnius quidem operationis vox quamquam à quibusdam sanctis dicta est Patribus, tamen peregrina videretur, & perturbare aures quorundam suspicantium ad peremptionem hanc proferri inconfusè atque secundum subsistentiam vnitarum in Christo Deo nostro duarum naturarum, quod non est vnquam nec fuit. Similiter autem, & duarum operationum dictio multos scandalizet, vt pote à nullo sanctorum & probabilium Ecclesiæ institutorum edita. Insuper & consequens ei est prædicare duas voluntates, contrarietates circa inuicem habentes, tamquam Deo quidem verbo salutarem volenti adimpleri passionem humanitate verò eius obsistente eius voluntati & resistente, & perinde duo contraria volentes introduci, quod impium est. impossibile quippe est in vno eodemque subiacenti duas simul & erga hoc ipsum contrarias subsistere voluntates. nam salutaris Deum gerentium patrum doctrina opere pretium instruit, quod nunquã intellectualiter animata Domini caro separatim, & ex appetitu proprio cõtrario nutui vniti sibi secundum subsistentiam Dei verbi

A (top right margin), C, D

natura-

A naturalem motum ſuum effecit, ſed quando & qualem, & quantam ipſe Deus verbum volebat: & vt planiùs dicatur, quemadmodum corpus noſtrum regitur & ornatur & diſponitur ab intellectuali & rationali anima noſtra, ita & in Domino Chriſto tota humana eius conſperſio ab ipſius verbi deitate ſemper in omnibus mota, Dei mobilis erat, ſecundum Niſſenum Gregorium dicentem contra Eunomium ita: ſecundum quod Deus erat filius, impaſſibilis vtique eſt & immortalis. ſi qua autem paſsio de eo in Euangelio dicitur, per humanitatem profectò, quæ ſuſcipiebat paſsionem, huiuſmodi operatus eſt. operatur quippe verè deitas per corpus, quod circa ipſum eſt omnium, vt ſit carnis quidem paſsio, Dei autem operatio, &c.]

B [His igitur omnibus à principio ita prouenientibus rationabile ſimul & neceſſarium iudicauimus de his quæ partim memorata ſunt, cognitionem dare veſtræ fraternæ atque vnanimi beatitudini per exemplaria quæ à nobis directa ſunt, & adhortamur vos ſacratiſsimi hæc omnia legere, & Deo placitam ac pleniſsimam charitatem, quæ in vobis eſt, nunc quoque ſequentes, ſi quid amplius minuſue inueneritis, hoc per datam vobis à Deo gratiam adimplere, atque per ſanctas Syllabas veſtras vna cum veſtra optabili ſoſpitate, quæque ſuper his vobis fuerint placita, ſignificare.]

¶ [Item relectum eſt ex eodem codice reſcriptum Epiſtolæ Honorij Papæ Romani ad eundem Sergium continens ita.]

[Scripta fraternitatis veſtræ ſuſcepimus, perquæ inuentiones quaſdam &
C nouas vocum quæſtiones cognouimus introductas per Sophronium quendam tunc Monachum, nunc verò ex auditu Epiſcopum Hieroſolymitanæ vrbis conſtitutum, aduerſus fratrem noſtrum Cyrum Alexandriæ antiſtitem, vnam operationem Domini noſtri Ieſu Chriſti conuerſis ex hæreſi prædicantem. Qui denique ad veſtram fraternitatem Sophronius veniens querelamque huiuſmodi deponens, multiformiter eruditus, petijt de his, quæ à vobis fuerat inſtructus paginalibus ſibi ſyllabis referari: quarum literarum ad eundem Sophronium directarum ſuſcipientes exemplar, & intuentes ſatis prouidè circumſpecteque fraternitatem veſtram ſcripſiſſe, laudamus nouitatem vocabuli auferentem, quod poſſet ſcandalum ſimplicibus generare. Nos enim in quo peruenimus, oportet ambulare. Enimuerò duce Deo, peruenimus vſque ad menſuram rectæ fidei, quam Apoſtoli
D veritatis ſcripturarum ſanctarum funiculo extenderunt, confitentes Dominum Ieſum Chriſtum, mediatorem Dei & hominum, operatum diuina, media humanitate verbo Dei naturaliter vnita, eundemque operatum humana ineffabiliter atque ſingulariter adſumpta carne diſcretè inconfusè atque inconuertibiliter plena diuinitate: & qui coruſcauit in carne plena diuinis miraculis, ipſe eſt & carneus effectus plenè Deus & homo: paſsiones & opprobria patitur vnus mediator Dei & hominum in vtriſque naturis, verbum caro factum, & habitauit in nobis, ipſe filius hominis, de cælo deſcendens, vnus atque idem, ſicut ſcriptum eſt crucifixus Dominus maieſtatis, dum conſtet diuinitatem nullas poſſe perpeti humanas paſsiones, & non de cælo, ſed de ſancta eſt aſſumpta caro Dei genitrice. Nam per ſe veritas in Euangelio ita inquit. Nullus aſcendit in cælum, &c. Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia profectò à

diuinitate assumpta est nostri natura, non culpa, illa profectò quæ ante peccatum creata est, non quæ post præuaricationem vitiata, &c. Non est itaque assumpta à Saluatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis eius, sed venit quærere & saluare quod perierat, idest vitiatam humani generis naturam. nam lex alia in membris, aut voluntas diuersa non fuit vel contraria Saluatori, quia super legem natus est humanæ conditionis. Et sicut scriptum est, non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris, Et; non quod ego volo, sed quod tu vis Pater: & alia huiusmodi, non sunt hæc diuersæ voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ. Ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, vt assequamur vestigia eius pius magister discipulos imbuens, vt non suam vnusquisque nostrum, sed potius Domini in omnibus præferat voluntatem, &c. non oportet ad dogmata hæc Ecclesiastica retorquere, quæ neque Synodales apices super hoc examinantes, ne p a ıthoritates canonicæ nisæ sunt explanasse, vt vnam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare, quas neq; euangelicæ vel Apostolicæ literæ, neq; Synodalis examinatio super hos habita, visæ sunt terminasse, nisi fortassis, sicut præfati fun us quidam aliqua balbutiendo docuerunt, condescendentes ad informandas mentes atque intelligentias paruulorum, quæ ad Ecclesiastica dogmata trahi non debent, quæ vnusquisque in sensu suo abundans, videtur secundum propriam sententiam explicare. Nam quia Dominus Iesus Christus, filius ac verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit vnus operator diuinitatis atque humanitatis, plenæ sunt sacræ literæ luculentius demonstrantes. Vtrum autem propter opera diuinitatis & humanitatis, geminæ o erationes debent deriuatæ dici vel intelligi, ad nos ista peruenire non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent paruulis exquisita deriuando nomina vendicare. Nos enim nō vnam operationem vel duas Dominum Iesum Christum eiusq; sanctum Spiritum, sacris literis percepimus, sed multiformiter cognouimus operatum, &c. Et nos quidem secundum sanctiones diuinorum eloquiorum oportet sapere, vel sperare, illa videlicet refutantes, quæ quidem nouæ voces noscuntur sanctis Dei Ecclesijs scandala generare, ne aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos, nos vesana sapere arbitrentur; aut certè si rursus vnam operationem Domini nostri Iesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Euthychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur, præcauentes ne quorum inania arma combusta sunt, eorum cineres & rediuiuos ignes flammiuomarum denuò renouent quæstionem, simpliciter atque veraciter confitentes Dominum Iesum Christum vnum operatorem diuinæ atque humanæ naturæ, electius arbitrantes, vt vani naturam ponderatores, ociosè negotiantes, & turgidi aduersus nos insonent vocibus ranarum philosophi, quàm vt simplices & humiles spiritu populi Christiani possint remanere ieiuni, &c. Hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet, sicut & nos ea vobiscum vnanimiter prædicamus, hortantes vos vt vnius vel geminæ nouæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, vnum nobiscum Dominum Iesum Christum filium Dei viui, Deum verissimum in duabus naturis operatum diuinitus atque humanitus fide ortodoxa & vnitate catholica prædicetis. Et superscriptio. Deus te incolumem custodiat dilectissime atque sanctissime frater.]

Simi-

A [Similiter prolata est à Gregorio Deo amabili diacono & chartophilace epistola authentica latina Honorij quondam Papæ Rom. ad Sergium quondam Patriarcham Constantinopoleos, vna cum eius interpretatione: & collata est eadem latina epistola per Ioannem reuerēdissimum Episcopum ciuitatis Portuensis, qui vnus extitit de Concilio antiquæ Romæ. Et constitit.]

Actio decimatertia sextæ generalis Synodi. [In nomine Domini & dominatoris, &c. Et paululum egressus Gregorius Deo amabilis diaconus & chartophilax, & post modicum regrediens, chartasque diuersas differens dixit: secundum quod placuit vestro sancto Concilio, omnes libellos, professoresque & cæteras chartas, quæ factæ sunt, ad præsentem dogmaticam notionem pertinentes, quæque inuentæ sunt in chartophilacio venerabilis
B Patriarchij, protuli: in quibus & alteram latinam epistolam Honorij, qui fuit Papa Romanus, præter illam epistolam eius quæ iam prolata est, cum eius interpretatione, &c. Et prolata est huiusmodi Honorij latina epistola cum interpretatione sua, habens in superscriptione ita. Dilectissimo fratri Sergio Honorius. cuius initium fuit. Scripta dilectissimi filij nostri Syricij diaconi, &c. Habet autem eadem epistola post pauca hæc: Nec non & Cyro fratri nostro Alexandriæ ciuitatis præsuli, quatenus nouæ adinuentionis vnius vel duarum operationum vocabulo refutato, claro Dei Ecclesiarum præconio nebulosarum concertationum caligines effundi non debeant vel adspergi, vt profectò vnius vel geminæ operationis vocabulum nouiter introductum, à prædicatione fidei eximatur. Nam qui hæc dicunt,
C quid aliud nisi iuxta vnius vel geminæ naturæ Christi Dei vocabulum, ita & operationem vnam vel geminam suspicantur? super quod clara sunt diuina testimonia. Vnius autem operationis vel duarum esse vel fuisse mediatorem Dei & hominum dominum Iesum Christum, sentire, & promere satis ineptum est.]

[Habet autem & circa finem eadem epistola sic: Et hæc quidem quantum ad instruendam notitiam ambigentium, sanctissimæ fraternitati vestræ per eam insinuandum præuidimus. Cæterum quantum ad dogma Ecclesiasticum pertinet, quæ tenere vel prædicare debemus propter simplicitatem hominum, & amputandas inextricabiles quæstionum ambages, sicut superius diximus, non vnam vel duas operationes in mediatore Dei & hominum definire, sed vtrasque naturas in vno Christo vnitate naturali copu-
D latas, cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus: & diuinam quidem, quæ Dei sunt operantem: & humanam quæ carnis sunt exequentem, non diuisè, neque confusè aut inconuertibiliter Dei naturam in hominem, & nec humanam in Deum conuersam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes, vnus atque idem, humilis & sublimis, æqualis Patri, & minor Patre, ipse ante tempora, natus in tempore est: per quem facta sunt sæcula, factus in sæculo est: & qui legem dedit, factus sub lege est, vt eos qui sub lege erant redimeret: ipse crucifixus, ipse chirographum, quod erat contra nos, euacuans in cruce, de potestatibus & principatibus triumphauit. Auferentes ergo, sicut diximus scandalum nouellæ adinuentionis, non nos oportet vnam, vel duas operationes definientes prædicare, sed pro vna, quam quidam dicunt operatione oportet nos vnum operatorem Christum Dominum

in

in vtriusque naturis veridicè confiteri: & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potiùs duas naturas ideſt diuinitatis, & carnis aſſumptæ in vna perſona vnigeniti Dei patris, inconfusè, indiuisè, atque inconuertibiliter nobiſcum prædicare propria operantes. Et hoc quidem beatiſsimæ fraternitati veſtræ inſinuandum præuidimus, quatenus vnius confeſſionis propoſitum, vnanimitati veſtræ ſanctitatis monſtraremus, vt profectò in vno ſpiritu anhelantes, pari fidei documento inſpiremus. Scribentes etiam communibus fratribus Cyro & Sophronio antiſtibus, ne nouæ vocis, ideſt vnius vel geminæ operationis vocabulo inſiſtere vel immorari videantur: ſed abraſa huiuſmodi nouæ vocis appellatione, vnum Christum Dominum nobiſcum in vtriſq; naturis diuina vel humana prædicent operantem: quamquam hos, quos ad nos prædictus frater & coepiſcopus noſter Sophronius miſit, inſtruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps prædicare innitantur, quod inſtantiſſimè promiſerunt prædictum virum eſſe facturum, ſi etiam Cyrus frater & coepiſcopus noſter ab vnius operationis vocabulo diſceſſerit.] A B

[Similiter prolati & lecti ſunt libelli qui ſuperius memorantur, & cæteræ chartæ. Sanctum Concilium dixit: Cognitionem accipiens prolatorum nobis à Gregorio Deo amabili diacono & chartophilace huius ſanctæ magnæ Dei Eccleſiæ libellorum atque chartarum ſiue aliorum Opuſculorum, comperimus in vnam eandemque impietatem concurrere. Et præuidimus hæc tamquam prophana & animæ pernicioſa, continuò ob perfectum exterminium igne concremari. & combuſta ſunt. Glorioſiſſimi Iudices, & ſanctum Concilium dixerunt; ſatis habet & quæ hodierna die peracta ſunt.] C

Has Honorij epiſtolas, ſicut in ipſa Synodo habentur, volui amice lector hic extendere, vt cognoſcas illas legendo, & examinando, quam falſum ſit & à veritate diſſonum, Honorium errorem Monothelitarum habuiſſe & docuiſſe. Quod ſi reuera reperiſſem, fateor me paratum eſſe illorum opinionem tueri, qui per Petri cathedram, quæ errare docendo non valet, Romanum Pontificem cum vniuerſa Eccleſia in Concilijs generalibus congregatam ſolùm intelligunt: & hoc audacter rationibus confirmare niterer, quia præcipuè in huiuſmodi rebus illud exequendum eſt, quod à probis viris dicitur. *Amicus Plato, amicus ſortes, ſed magis amica veritas.* Pro fide enim pugnamus, & hanc propugnamus. Verùm quia tantùm abeſt quod Honorius Monothelitarum errorem defenderit & docuerit, vt ſolum Græcorum erroribus, æmulatione, & calumnia id ineptiſſimè proclamatum fuerit, vt infra oſtendam: ſupereſt itaque vt hæc omnia perpendamus, & vnde huiuſmodi error ortus fuerit, aperiamus. D

Enimuerò affirmātes Honorium ex Cathedra errorem Monothelitarum docuiſſe, in Petri Cathedram iniquam immittūt infamiam. Ergo cùm dixit. *Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini noſtri Ieſu Chriſti.* de vnica Saluatoris humana voluntate intellexit, vt is qui hanc ſcripſit epiſtolam expoſuit ſcilicet ſecretarius Honorij, in illa celebri diſputatione inter Maximum, & Pyrrum habita, qui ſic ait. *Cum Sergius ſcripſiſſet prædicare quoſdam eſſe duas Chriſti voluntates contrarias, nos reſcripſimus, Chriſtum duas voluntates contrarias, vnam ſpiritus, alteram carnis, non habere: ſed vnam tantum voluntatem*

ſpiritus

A *spiritus, quia caro in Christo nihil contra rationem potuit.* quam expositionem ipsa Honorij verba sequentia confirmant, dum ait. *Quia profectò à Diuinitate assumpta est nostri natura, non culpa.* quæ ratio nulla est, si adferatur ad probandum in Christo Deo, & homine vnam tantùm esse voluntatem: est autem efficacissima, si inde probetur non fuisse in Christo homine duas contrarias voluntates, carnis & spiritus.

Præterea ipse Sergio scribit, (quem æstimauit Catholicum, quia Honorij censuræ suam supponebat opinionem & simul epistolam stylo simulato exaratam) de vna aut duabus operationibus tacendum esse,& ad Personam operantem omnia esse referenda, quæ vna & Verbi diuini est, ad euitandum scandalum,quod imminere Sergius monuerat, & contentionis mate-
B riam auferendam; metuebat enim ne ista contentio in graue aliquod schisma excresceret, simulque videret sine his vocibus fidem saluam esse posse, vtramque voluit conciliare opinionem, & scandali materiam auferre. scribens ergo ad Sergium, abstinendum esse à vocabulo vnius operationis suadet, ne cum Euthichete vnam in Christo ponere naturam videamur: & à duarum operationum vocabulo abstinendum esse iubet, ne cum Nestorio duas ponere Personas in Christo dicamur.

Quis enim non videt Honorium Monothelitarum opinionem non approbare? Monothelitæ enim vnam in Christo voluntatem & operationem ponebant, qui error Euthichetis fuerat. ipse Euthichetis opinionem improbat, ergo, & Monothelitarum errorem reprobauit. Cum autem & dua-
C rum operationum silentium imponit, hanc de duplici operatione sententiam non damnauit, sed monuit, ne sic sentientes in Nestorij damnatas hæreses inciderent. innuens, sic de hac veritate loquendum ac prædicandum, vt vnitas Personæ Christi semper spectaretur, qui nunc secundum diuinam, nunc secundum humanam operabatur naturam. igitur nec vnam docuit Christum habere voluntatem, nec tenentes Christum duas habere voluntates damnauit. Patet hoc perspicuo exemplo. Petrus verbi gratia, duos habet oculos, si quis Petrum aliquod facinus videntem, dubitare vellet an oculo dextro vel sinistro id spectauerit, & quispiam dicat silentium super huiusmodi dubitationem esse imponendum, sed dicendum esse, Petrum & non oculum dextrum vel sinistrum id vidisse, non negabit autem tunc Petrum duos habere vel habuisse oculos. sic in re hac dicendum est.
D Sergius, & qui cum eo erant, vnam esse Christi operationem opinabatur. ex opposito Sophronius duas operationes prædicabat. Honorius autem sic ait: *Non oportet vnam vel duas operationes definientes prædicare, sed pro vna quam quidam dicunt operatione, oportet nos vnum operatorem Christum Dominum in vtrisque naturis veridicè confiteri.* non est ergo asserendum, Honorium Christum Dominum duas habere operationes negasse.

Idem sensit cum Honorio Sophronius Hierosolymitanus Episcopus, vt constat ex epistola Sergij ad Honorium: sicut itaque Sophronius Monothelitarum hæresis accusari non debet, cum consenserit de hac controuersia tacendum esse ad seditiones euitandas, sic nec Honorius errorem Monothelitarum habuisse, affirmandum est, eo quòd de noua controuersia, nec dum ab Ecclesia definita, ad tollendum scandalum, silentium imposuerit.

Enimuerò sic sillogizare, nempè. Honorius præcipit ne controuersia de

de vna vel duplici Christi operatione examinetur, sed vna vel duplex operatione taceatur & Christus Dominus in vtrisque naturis agens dicatur, ergo Honorius vnam esse Christi operationem docuit. quid ineptius? neque scholares qui scientiarum initia apprehendere quærunt, sic ineptè differunt. Pudeat ergo eos, qui Honorium hæresis accusarunt, vel accusant. A

Insuper, Martinus primus Romanus Pontifex qui deinceps Christi martyr obijt, coacto Romæ Concilio centum & quinque Episcoporum, Paulum tunc temporis Constantinop. Patriarcham, & Constantium Imperatorem & omnes Monothelitas damnauit. numerans omnes qui olim eam hæresim fuerant patrocinati, Honorij cum suis epistolis, qui iam præcesserat, non meminit. quia scilicet sensum Epistolarum Honorij optimè nouerat: & Honorium talem non habuisse errorem benè sciebat, & hoc idem fecit B Agatho Pontifex, qui hanc sextam Synodum indixit, vt in eius epistolis in actis Synodi insertis, patet. imò ad hanc calumniam ab hæreticis Monothelitis Honorio impositam, Romanam Cathedram nunquam à fide deuiasse monet, vt infra dicemus. sequitur ergo à primo ad vltimum, Honorium opinionis Monothelitarum non fuisse.

Dices cur Honorius dogma hoc tunc exponere noluit, sed silentium vtrique parti indixit?

Respondeo, Honorium sic præcepisse, quia à Sergio, & Cyro deceptus fuit. Hi duo erant hæretici quorum prior Constantinopolis, posterior Alexandriæ episcopi erant, & vt suas hæreses sensim superseminare valerent, Romano Pontifici suaserunt non esse hoc dogma examinandum, licèt So- C phronius eis contradiceret, ne pax Ecclesiarum tolleretur, eo quod Cyrus vniuersas Aegypti Prouincias iam hæresi labefactatas ad fidem Catholicam reuocasset, easque pacificè tunc regeret: vt ex epistola Sergij, quam suprà consultò, & dedita opera hìc inserere volui, apertè colligitur. Honorius sollicitus Ecclesiæ Pastor, cum periculum animarum, ex hac noua concertatione instans percepisset; illicò silentium super re huiusmodi indixit, errores Sergij, & Cyri minimè approbans, nec veritatem, quam Sophronius prædicabat damnans. & hoc in Sergio & Cyro commendauit, nempè circa animarum salutem diligentiam adhibitam, licèt falsò expositam; & præterea nihil. quamobrem leuitatis, & carnalis æmulationis notam effugere qui Honorium damnare voluerunt, minimè valent.

Nec affirmare poterit quisquam, nisi petulanti irreuerentia erga Pe- D tri Cathedram plenius, non licuisse Honorio super huiusmodi nouiter exortam controuersiam silentium imponere. nam Petro, & successoribus eius Christiani gregis commissa est cura, Ioann. cap. vltimo, & ipse optimus Sophronius Hierosolymitanus antistes hanc redarguit obiectionem: nam vt Honorius in calce Epistolæ suæ testatur, id exequi paratus erat Sophronius dummodo Cyrus vnam operationem non prædicaret, & pari modo Cathedræ Petri in qua Honorius sedebat obedientiam præberet.

Dicet quispiam, expediebat Honorium ad id declarandum generale Concilium indixisse.

Respondeo, Honorium hoc non fecisse, quia Sergius plures hoc modo tumultus futuros Pontifici prænunciauit; qui tollerentur si silentium super huius-

A huiusmodi disputationem imponeret; vt ex epistola Sergij ad Honorium superius posita constat.

Secundò respondeo. Romanos Pontifices generalia Concilia non libenter tunc temporis indixisse, propter Græcorum immoderatum desiderium, Episcopum Constantinopolitanum exaltandi. quod probo per Epistolam Leonis Papæ primi ad Flauianum Episcopum Constantinopolitanum, quæ est decima sexta, hæc habentem.

[Flauiano charissimo fratri, Leo Episcopus Romæ. Literas tuæ dilectionis accepi, cum gestis, quæ apud vos super fidei quæstione confecta sunt. Et quia Clementissimus Imperator pio Ecclesiæ pace solicitus, Synodum voluit congregari, quamuis euidenter appareat, rem de qua agitur, nequa-
B quam Synodali indigere tractatu: tamen frater charissime, subsequutos esse significo, quos in hac re placuit destinare. &c.]

Quod autem Leo Papa hac de causa Synodum fieri noluisset, probo per instructionem quam suis Legatis pro Synodo Chalcedonensi celebranda tradidit. quam instructionem in lite iam super huiusmodi rem orta, Legati palam legi præceperunt: quæ huius tenoris extitit.

Actione 16. Conc. Chalced. [Aetius Archidiaconus sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ, dixit. si de hoc capitulo aliquod mandatum acceperunt proferant. Bonifacius presbyter Sedis Apostolicæ vicarius, dixit. Beatissimus & Apostolicus vir Papa inter cætera hoc nobis mandauit, & ex chartula recitauit. Sanctorum quoque Patrum constitutionem prolatam,
C nulla patiamini temeritate violari, seruantes omnimodis personæ nostræ in vobis quos vice nostra transmisimus, dignitatem: Ac si qui fortè ciuitatum suarum splendore confisi, aliquid sibi tentauerint vsurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis.]

Sed quid opus est huiusmodi rem reddere dubiam, cum ipsa experientia id verum esse testetur? nam Græcorum Episcopi, Legatis Papæ absentibus, sessionem habuerunt, in qua, vt ibidem legitur, sic decreuerunt.

[Diffinitiones Sanctorum Patrum sequentes vbique & regulam, & quæ nunc relecta sunt centum quinquaginta Deo amantissimorum Episcoporum, qui congregati sunt sub piæ memoriæ Imperatore maiore Theodosio, in regia ciuitate Constantinopoli noua Roma, cognoscentes & nos, eadem definiuimus de priuilegijs eiusdem sanctissimæ Constantinopolitanæ
D Ecclesiæ nouæ Romæ. Etenim sedi senioris Romæ, propter imperium ciuitatis illius, Patres consequenter priuilegia reddiderunt. Et eadem intentione permoti centum quinquaginta Deo amantissimi Episcopi æqua sanctissimæ Sedi nouæ Romæ priuilegia tribuerunt, rationabiliter iudicantes, imperio, & Senatu Vrbem ornatam, æquis senioris regiæ Romæ priuilegijs frui: & in Ecclesiasticis sicut illa maiestatem habere negotijs & secundam post illam existere &c.]

[Lucentius reuerendiss. Episcopus sedis Apostolicæ Vicarius dixit &c. Si ergo his temporibus hoc beneficio vsi sunt, quid nunc requirunt? si nunquam vsi sunt, quare requirunt? &c.]

Perspicuum ergo est Græcorum extollentiam tunc Romano Pontifici manifestam esse, quamobrem iure, nisi necessitas cogeret, Concilia generalia celebrari non libenter decernebant. præsertim quia Honorij tempore

Turres Romanorum à Barbaris deiectæ fuerant, & dignitas Romanæ Vrbis, sicut olim extulserat, amplius non radiabat: & è contra Turres Constantinopoleos altiores erant, & Imperiali sede & senatu præfata Vrbs fulgebat: facilè hac occasione Constantinopolitanam Sedem, quæ prius Parecia fuerat Heracleensis Metropolitæ, vt Gelasius Papa primus epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ monet. super Romanam Cathedram sancti Petri exaltassent. Ratio in promptu est. dixerant enim vt supra dictum fuit, ideo Romanam Cathedram super cunctas Christi Ecclesias habuisse primatum, quia Roma fuerat regina Vrbium, at eo tempore, Constantinopolis erat huiusmodi, ergo eo tempore Constantinopolitana sedes super cunctas Christi Ecclesias debuerat obtinere primatum. itaque qui primùm dictus est Episcopus Archiepiscopo Heracleensis ciuitatis subordinatus, supra Sedem Petri poterat sensim obtinuisse locum, eo quòd Turres Bizantij altiores erant, & valdè creuerant, & Ciuitas maiorem adepta esset situm. O' Græcorum Natio olim doctrina & sanctitate celebris, cur hæc ascenderunt in corde tuo? igitur dogma de Militantis Ecclesiæ capite ad Turres altas, & altiores reducendum erit? & illuc transferendum erit, vbi laicorum Imperium obtinet sedem: cum & ipsi Imperatores sedem Piscatoris venerari, & illius doctrinam & præcepta seruare debeant, & seruauerunt? Audiant saltem nunc temporis Græci quod olim Gelasius Papa in hac eadem causa dicebat. [Risimus autem, quod prærogatiuam volunt Acatio comparari, quia Episcopus fuerat regiæ ciuitatis. nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmium apud Treuiros multis temporibus non constitit Imperator? nunquid nam harum Vrbium Sacerdotes vltra mensuram sibimet antiquitus deputatam, quippiam suis dignitatibus vsurparunt?]

Nec quod Leo vniuersæ Christi Ecclesiæ, loco Petri, pastor & Rector eos in hac causa corrigendo docuit, exequi voluerunt. dixerat enim in Epistola ad Martianum Augustum & ad Sanctam generalem Synodum; [Alia est ratio rerum sæcularium, & alia diuinarum: nec præter illam petram quam Dominus in fundamento posuit stabilis erit vlla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit &c.]

Immoderatum ergo desiderium Constantinopolitanum Episcopum extollendi vltra propriam spheram, causa extitit, vt Græcorum Natio in hos errores prorumperet, nempè Romanum Pontificem à Patribus accepisse supremam quam habet potestatem, & Ecclesiam in Synodis congregatam super illius potestatem leges sancire posse, eumque anathematizare, quæ omnia apud bene sentientes catholicos monstra sunt, quæ pias aures offendunt & scandalo afficiunt. hinc ergo, anathematizatio sextæ Synodi contra Honorium Sanctissimum Pontificem originem habuit. (dummodo ita res se habuerit, quia librorum falsarij apud Græcos non defuerunt, vt acta Synodorum luculenter testantur) cur Patres Græci sextæ Synodi eorum non meminerunt quæ in quarta Generali Synodo facta sunt: scilicet Dioscorum Alexandrinum Patriarcham hac præcipua causa, propria excidisse dignitate, ex sententia Leonis Papæ & vniuersæ Synodi, quia excommunicare ausus fuerat Leonem præfatum, super Romanam Cathedram sancti Petri sedentem, & vniuersæ Ecclesiæ Principem & Pastorem. non ne Honorius eiusdem erat potestatis & ordinis sicut Leo?

Dixe-

A Dixerant Patres in Synodali Epistola ad Leonem. [Et post hæc omnia, insuper, & contra ipsum, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam, idest, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ vnire festinas, &c.]

Hæc autem quæ Dioscoro obiecta sunt, & ijs qui Honorium, cui parimodo Vineæ custodia à Saluatore commissa fuit, anathematizare ausi sunt, obijcere possumus, & debemus.

Dicent fortasse, qui Græcorum partes tuentur, Honorium in suis epistolis defecisse. quibus dicimus, nunquam hoc verum esse, vt superius demonstrauimus. carnalis æmulatio quam Græcorum Natio aduersus Romanam B Cathedram habuit, causa extitit, vt Honorij Epistolæ recto & ponderato examini non subiacerent; nec Patres iuris ordinem seruarent in Summo Pontifice damnando. etenim ob damnationem Theodori Mopsuesteni, aliorumque minoris auctoritatis & dignitatis Episcoporum, totum terrarum Orbem commouerunt, Synodumque generalem congregare oportuit, & Sedem Apostolicam, quæ communi antiquissimorum Patrum sententia, omnes iudicat, & à nemine iudicatur, sic præcipiti iudicio condemnare licet? quis sanæ mentis non videt grauem esse iniustitiam sine iusta causa damnare innocentem, cum citra legitimam debitamque processus formam etiam nocentem, & criminis reum condemnare non liceat?

Dices insuper, Generale Concilium legitimè congregatum errare non C potest, sexta Synodus legitima extitit, vt patet, ergo non potuit errare cùm Epistolas Honorij combussit, & eundem Honorium anathematizauit.

Huic instantiæ respondit Card. Baronius, Acta huius Synodi corrupta fuisse à Theodoro Constantinopolitano Episcopo. Nam cum Leo Secundus Pontifex. post Agathonis obitum electus, arbitrio Imperatoris, electionē Papæ tyrannicè confirmātis, Pontificatum administrandum suscepisset, permisit tunc Imperator Sedis Apostolicæ Legatos Romam redire, quos hactenus suadente Theodoro Constantinopolitano Episcopo Constantinopoli diutius detinuerat, vt Acta Synodalia Græcè conscripta interim corrumpere posset, quod vt fecit, ea Legatis tradidit; quæ tamen vera, & incorrupta exemplaria esse Leo, & Legati cogitauerunt. hinc Honorium anathematizatum fuisse Græcorum imposturam esse, Card. Baronius affirmat.

D Verùm quia Græci, Honorium à Sexta Synodo reipsa fuisse damnatum opinantur, ad huiusmodi homines fortiùs conuincendos, gratis hoc factum fuisse etiam admisso, nil tamen pro se in causa hac obtinere, patefaciam.

Dico igitur, estò daremus hanc sextam Synodum damnasse Honorium, cum tamen id fecerit absque consensu, & auctoritate Agathonis, qui illud tantum discutiendum suis Legatis commiserat, quod in Concilio Romano aduersus Monothelitas statutum fuerat, de Honorio autem nec verbum quidem. nec insuper ab alio Romano Pontifice hanc sextam Synodum approbatam scimus, vt præmisimus: igitur quidquid contra Honorium gestum fuit, nullius roboris est, & errori obnoxium.

Nec eidem Synodo suffragatur, quia hæc eadem sententia damnationis Honorij lata fuerit tum in septima, tum in octaua Synodis, quæ extra controuersiam à Sede Apostolica confirmatæ fuerunt: hoc, inquam, nil iuuat

Græcos: quia falsissimum est Honorium ab his duabus Synodis damnatum A fuisse, dolo enim hæreticorum his Synodis damnatio Honorij addita fuit. quare si demus damnatum Honorium in sexta Synodo, dabimus quoque se sola & absque vlla sedis Apostolicæ auctoritate id fecisse, ac proinde errasse.

Sed dices, Concilium generale legitimè congregatum errare non potest, hæc sexta Synodus est huiusmodi, ergo non potuit errare.

Ex communi Catholicorum doctrina respondeo, Concilium in doctrina fidei & morum tradenda errare non posse, at in rebus facti, quæ ab hominum attestatione pendent, errare posse. hac vtitur doctrina Card. de Turrecremata in summa de Ecclesia, cum inquit hanc sextam Synodum in causa Honorij errasse. B

Sed contra Card. de Turrecremata & omnes qui huius sunt sententiæ sic argumentor. Causa Honorij ad rem fidei catholicæ spectat, ergò inanis est responsio. probo antecedens: præcipuum Catholicæ fidei dogma est, Petrum esse Apostolorum principem & vniuersæ Ecclesiæ pastorem, & Romanum Pontificem esse legitimum Petri successorem, & in fidei & morum appellationibus resoluendis errare non posse, vt patet, & ab initio operis hucusque probauimus: at Honorius tanquam ex Cathedra Appellationem Orientalium Patriarcharum resoluit, in rebus catholicæ fidei maximè concernentibus; ergo cùm Concilium damnauit Honorium, docuit Honorium docentem ex cathedra errasse, quod absque hæresis nota dici non potest. vel ergo Honorius, vel Synodus qui eum damnauit, errauerunt: at C secundum veritatem & secundum Card. de Turrecremata Honorius non errauit: ergo in causa hac errauit Synodus, & verè errauit in hac causa quia extra mandatum Papæ Synodum cogentis, Honorij Papæ assumpsit examen, motiuum autem erroris fuisse videtur: quia Græci vt exaltationem Sedis Constantinop. iurè promouere ostenderent, paulatim à digna Petri cathedræ Romanæ æstimatione deficiebant, opinantes Papam Ecclesiastico iure caput esse militantis Ecclesiæ, vt ex vltima Actione Conc. Chalced. furtìm habita, constat.

Respondeo itaque, verissimum esse Concilium generale legitimè congregatum errare non posse, si extra Papæ mandatum & constitutum non operetur, & cùm à Cathedra Petri suam Actorum obtinet confirmationem: tunc enim Concilium non errasse, firmiter credendum est: sic docuit D Gelasius Papa primus, epistola decima tertia ad Episcopos Dardaniæ. Adde quòd hæc Sexta Synodus non fuit à Petri Cathedra tunc confirmata: nam Agatho qui hanc Synodum coegerat, antequam Synodus absolueretur ex hac vita migrauerat. idcirco Synodus Agathoni epistolam misit, qua Actorum, more præcedentium Synodorum, confirmationem petebat, at illam non obtinuit, cum Agatho obijsset. Leo secundus, qui Agathoni successit, suis literis Synodo non respondit, nec talis inuenitur Epistola, vt in Tomis Conciliorum apparet. Præterea vt dictum est, Legati Agathonis limitatum acceperant mandatum, vt in epistola, quam eis dedit, patet; quidquid igitur præter Papæ mandatum factum fuit, irritum est, & nullius valoris, & erroneum esse tenendum est.

Habentur tamen Epistolæ Imperatoris ad Leonem, & Leonis ad Imperatorem

ratorem

Digitized by Google

A ratorem in hac causa, & Leo acta Synodi & damnationem Honorij confirmare videtur. Sed Baronius anno Domini 683. vtrasque epistolas iure reijcit & damnat, tanquam spurias. & Card. Bellar. lib. 4. de Romano Pont. cap. ij. epistolam Leonis corruptam esse iure scribit.

Rationes autem quas adfert Baronius quibus præmissas epistolas spurias esse probat, vt notat Binius Tomo 3. Concil. pag. 115. hæ sunt. Prima, quòd circa finem, mense Maio Indictione decima rescripta ad epistolam Imperatoris ponatur, quam se mense Iulio eiusdem Indictionis accepisse fatetur, quæ nisi mendosa probentur, manifestissimè sibi contradicunt. Secunda, quod nullo mense Iulio Pontifex esse potuerit, qui mense Augusto creatus, decem tantùm mensibus Pontificatum administrauit. Tertia, B quòd profiteatur se hanc Epistolam scripsisse Indictione decima, qua nondum Pontifex creatus erat, Quarta, quòd Honorium in Monothelitarum hæresi defunctum, adeoque iusta anathematis sententia condemnatum esse scribat, quem publico funere inter sanctos Pontifices in Ecclesia sancti Petri Romanus Clerus sepeliuit.

Similiter; epistolam Imperatoris Constantini, Leoni Papæ missam, vt Acta sextæ Synodi confirmaret, & rata haberet, mendosam esse affirmat Baronius anno 683. num. 6. & 8. primùm, quòd Leonem Papam mense Augusto creatum non prius certiorem reddiderit de rebus in Synodo gestis, quàm post menses quatuor, in Decembri nimirum, cui statim statum fidei indicasse oportebat. Secundò quòd initio Epistolæ scribatur ipsam In- C dictione decima ad Leonem esse datam, quo tempore Leo non dum Pontifex erat: nam primus annus Leonis incidit in finem Indictionis vndecimæ & principium Indictionis duodecimæ. Tertiò, quod in ipsa Epistola dicatur de Synodo cogenda scriptas esse literas Imperatoris ad Agathonem, cum certum sit, non ad Agathonem, sed ad Donum Papam hac de causa literas scripsisse.

Quod cum ita sit, firma manet mea sententia quam superius protuli, hanc Synodum in hac Honorij causa errasse; & absque erroris nota id quemlibet asserere posse, cum ipsa Synodus à Petri cathedra confirmationem in causa Honorij nunquam habuerit: & solum vera remanere, quæ in causa fidei sanciuit, Neminem autem silentium huius sextæ Synodi Legatorum conturbet in causa Honorij, quia scilicet Græcis Honorium ana- D thematizantibus legati non restiterunt, nam iurisdictioni & potestati quam gerebant, scientia & rerum intelligentia non consonabat: nec Romana Ecclesia tunc temporis Viros doctrina præstantes obtinebat. Hoc ipse Agatho in epistola quam Imperatori misit & Actione quarta lecta fuit, testatus est his verbis [His itaque mansuetissimi rerum Domini diualibus apicibus animatus, Personas quales secundum temporis huius defectum ac seruilis Prouinciæ qualitatem poterant inueniri pro obedientiæ satisfactione inquisiui &c. & infra. Ideoque Christianissimi Domini filij pro obedientia quam debuimus, non pro confidentia eorum scientiæ quos dirigimus, præsentes consamulos nostros, Abundantium & Ioannem &c. nam apud homines in medio gentium positos, & de labore corporis quotidianum victum cum summa exercitatione conquirentes, quomodo ad plenum poterit inueniri scripturarum scientia, nisi quæ regulariter à sanctis atque Apo-

stolicis

Græcos: quia falsissimum est Honorium ab his duabus Synodis damnatum A fuisse, dolo enim hæreticorum his Synodis damnatio Honorij addita fuit. quare si demus damnatum Honorium in sexta Synodo, dabimus quoque se sola & absque vlla sedis Apostolicæ auctoritate id fecisse, ac proinde errasse.

Sed dices, Concilium generale legitimè congregatum errare non potest, hæc sexta Synodus est huiusmodi, ergo non potuit errare.

Ex communi Catholicorum doctrina respondeo, Concilium in doctrina fidei & morum tradenda errare non posse, at in rebus facti, quæ ab hominum attestatione pendent, errare posse. hac vtitur doctrina Card. de Turrecremata in summa de Ecclesia, cum inquit hanc sextam Synodum in causa Honorij errasse. B

Sed contra Card. de Turrecremata & omnes qui huius sunt sententiæ sic argumentor. Causa Honorij ad rem fidei catholicæ spectat, ergô inanis est responsio. probo antecedens: præcipuum Catholicæ fidei dogma est, Petrum esse Apostolorum principem & vniuersæ Ecclesiæ pastorem, & Romanum Pontificem esse legitimum Petri successorem, & in fidei & morum appellationibus resoluendis errare non posse, vt patet, & ab initio operis hucusque probauimus: at Honorius tanquam ex Cathedra Appellationem Orientalium Patriarcharum resoluit, in rebus catholicæ fidei maximè concernentibus; ergo cùm Concilium damnauit Honorium, docuit Honorium docentem ex cathedra errasse, quod absque hæresis nota dici non potest. vel ergo Honorius, vel Synodus qui eum damnauit, errauerunt: at C secundum veritatem & secundum Card. de Turrecremata Honorius non errauit: ergo in causa hac errauit Synodus, & verè errauit in hac causa quia extra mandatum Papæ Synodum cogentis, Honorij Papæ assumpsit examen, motiuum autem erroris fuisse videtur: quia Græci vt exaltationem Sedis Constantinop. iurè promouere ostenderent, paulatim à digna Petri cathedræ Romanæ æstimatione deficiebant, opinantes Papam Ecclesiastico iure caput esse militantis Ecclesiæ, vt ex vltima Actione Conc. Chalced. furtìm habita, constat.

Respondeo itaque, verissimum esse Concilium generale legitimè congregatum errare non posse, si extra Papæ mandatum & constitutum non operetur, & cùm à Cathedra Petri suam Actorum obtinet confirmationem: tunc enim Concilium non errasse, firmiter credendum est: sic docuit D Gelasius Papa primus, epistola decima tertia ad Episcopos Dardaniæ. Adde quòd hæc Sexta Synodus non fuit à Petri Cathedra tunc confirmata: nam Agatho qui hanc Synodum coegerat, antequam Synodus absolueretur ex hac vita migrauerat. idcirco Synodus Agathoni epistolam misit, qua Actorum, more præcedentium Synodorum, confirmationem petebat, at illam non obtinuit, cum Agatho obijsset. Leo secundus, qui Agathoni successit, suis literis Synodo non respondit, nec talis inuenitur Epistola, vt in Tomis Conciliorum apparet. Præterea vt dictum est, Legati Agathonis limitatum acceperant mandatum, vt in epistola, quam eis dedit, patet; quidquid igitur præter Papæ mandatum factum fuit, irritum est, & nullius valoris, & erroneum esse tenendum est.

Habentur tamen Epistolæ Imperatoris ad Leonem, & Leonis ad Imperatorem

A ratorem in hac causa, & Leo acta Synodi & damnationem Honorij confirmare videtur. Sed Baronius anno Domini 683. vtrasque epistolas iure reijcit & damnat, tanquam spurias. & Card. Bellar. lib. 4. de Romano Pont. cap. ij. epistolam Leonis corruptam esse iurè scribit.

Rationes autem quas adfert Baronius quibus præmissas epistolas spurias esse probat, vt notat Binius Tomo 3. Concil. pag. 115. hæ sunt. Prima, quòd circa finem, mense Maio Indictione decima rescripta ad epistolam Imperatoris ponatur, quam se mense Iulio eiusdem Indictionis accepisse fatetur, quæ nisi mendosa probentur, manifestissimè sibi contradicunt. Secunda, quod nullo mense Iulio Pontifex esse potuerit, qui mense Augusto creatus, decem tantùm mensibus Pontificatum administrauit. Tertia, B quòd profiteatur se hanc Epistolam scripsisse Indictione decima, qua nondum Pontifex creatus erat, Quarta, quòd Honorium in Monothelitarum hæresi defunctum, adeoque iusta anathematis sententia condemnatum esse scribat, quem publico funere inter sanctos Pontifices in Ecclesia sancti Petri Romanus Clerus sepeliuit.

Similiter, epistolam Imperatoris Constantini, Leoni Papæ missam, vt Acta sextæ Synodi confirmaret, & rata haberet, mendosam esse affirmat Baronius anno 683. num. 6. & 8. primùm, quòd Leonem Papam mense Augusto creatum non prius certiorem reddiderit de rebus in Synodo gestis, quàm post menses quatuor, in Decembri nimirum, cui statim statum fidei indicasse oportebat. Secundò quòd initio Epistolæ scribatur ipsam In- C dictione decima ad Leonem esse datam, quo tempore Leo non dum Pontifex erat: nam primus annus Leonis incidit in finem Indictionis vndecimæ & principium Indictionis duodecimæ. Tertiò, quod in ipsa Epistola dicatur de Synodo cogenda scriptas esse literas Imperatoris ad Agathonem, cum certum sit, non ad Agathonem, sed ad Donum Papam hac de causa literas scripsisse.

Quod cum ita sit, firma manet mea sententia quam superius protuli, hanc Synodum in hac Honorij causa errasse; & absque erroris nota id quemlibet asserere posse, cum ipsa Synodus à Petri cathedra confirmationem in causa Honorij nunquam habuerit: & solum vera remanere, quæ in causa fidei sanciuit, Neminem autem silentium huius sextæ Synodi Legatorum conturbet in causa Honorij, quia scilicet Græcis Honorium ana- D thematizantibus legati non restiterunt, nam iurisdictioni & potestati quam gerebant, scientia & rerum intelligentia non consonabat: nec Romana Ecclesia tunc temporis Viros doctrina præstantes obtinebat. Hoc ipse Agatho in epistola quam Imperatori misit & Actione quarta lecta fuit, testatus est his verbis [His itaque mansuetissimi rerum Domini diualibus apicibus animatus, Personas quales secundum temporis huius defectum ac seruilis Prouinciæ qualitatem poterant inueniri pro obedientiæ satisfactione inquisiui &c. & infra. Ideoque Christianissimi Domini filij pro obedientia, quam debuimus, non pro confidentia eorum scientiæ quos dirigimus, præsentes consamulos nostros, Abundantium & Ioannem &c. nam apud homines in medio gentium positos, & de labore corporis quotidianum victum cum summa exercitatione conquirentes, quomodo ad plenum poterit inueniri scripturarum scientia, nisi quæ regulariter à sanctis atque Apostolicis

Digitized by Google

ſtolicis prædeceſſoribus & venerabilibus quinque Concilijs definita ſunt A
cum ſimplicate cordis &c.] & in epiſtola alia Agathonis cum Synodo 125. Epiſcoporum Romæ coacta ad Imperatorem directa ibique perlecta, hoc idem habetur [Omnes nos exigui Eccleſiarum præſules, veſtri Chriſtiani Imperij famuli, in ſeptentrionalibus vel Occiduis partibus conſtituti, licèt parui & ſimplices ſcientia, fide tamen per Dei gratiam ſtabiles &c.] & poſtea [perfecta verò ſcientia ſi ad veræ pietatis ſcientiam redigatur ſolius eſt veritatis cognitio: ſi ad eloquentiam ſæcularem, non æſtimamus quenquam temporibus noſtris reperiri poſſe qui de ſummitate ſcientiæ glorietur: quandoquidem in noſtris regionibus diuerſarum gentium æſtuat furor, nunc confligendo, nunc diſcurrendo ac rapiendo: vnde tota vita noſtra ſolicitudinibus plena eſt, quos gentium manus circundat,& de labore corporis victus eſt. &c. Perſonas autem de noſtræ humilitatis ordine præuidimus dirigere ad veſtræ à Deo protegendæ fortitudinis veſtigia, quæ omnium noſtrum, ideſt vniuerſorum per ſeptentrionales vel occiduas regiones epiſcoporum ſuggeſtionem &c.] B

Quid mirum ſi Græcis Honorium anathematizantibus, Legati Agathonis & Romanæ Synodi non reſtiterunt, & id fieri permiſerunt, cum ſacrorum dogmatum doctrina & diſputandi arte carerent? nec Græci, Romanæ cathedræ æmuli, hanc Apoſtolicam Sedem humiliandi & deprimendi occaſionem dimittere voluerunt. Sed offenderunt in lapidem, & à laqueo quem parauerunt capti ſunt.

Cum itaque, optime Lector, eundem Honorium Sanctiſſimum Pontificem etiam in Epiſtola Synodica ſeptimæ Synodi ad Imperatores directa, & in ſequenti epiſtola ad omnes fideles miſſa, inter hæreticos monothelitas connumeratum inuenies, dic Græcorum æmulas, calumniatrices & ineptas voces fuiſſe, non quæ veritatem propalauerint, ſed quæ Chriſtianis indignam & odibilem inuidiam contra Romanam S. Petri Cathedram propriam ipſorum matrem aperuerint. C

At fortè Amice Lector mihi Auctori obijcies, huiuſmodi verbis potiùs odium in Græcorum Nationem quàm Chriſtianam dilectionem me oſtendere, præcipuè cum contumelioſa verba proferre videar.

Sed Chriſtum Ieſum iudicem viuorum & mortuorum teſtem inuoco, quia Græcorum & omnium Orientalium Nationes præcipua dilectione proſequor; & ſæpe ſæpius cum in eorum Prouincijs degerem, eorumque regiones terra marique pertranſirem, triſtitia & afflictione redundans, preces ad Deum, pro Saluatoris noſtri gloria ibi redintegranda, pro animarum illarum ſalute ſtabilienda, & pro eorum priſtina fælicitate reſtauranda, fundebam, nec à veritatis tramite aberrauero, ſi ferè ſingulis diebus etſi indignè hoc idem me exequi pronunciauero, quomodo ergo eos odire potero, pro quibus recuperandis omnem laborem & induſtriam vſque ad ſanguinis effuſionem prompto animo exhiberem? D

Cum enim fraudes, falſitates, librorum corruptiones, inter eos inueniam, cum cauſa ſit tam ſeria, quæ tot animarum ſalutem concernit, in hæc & ſimilia verba non potui non prorumpere. non enim hæc quæſtio eſt, vt dici ſolet de lana caprina: ſed de fide orthodoxa, de Petri Cathedra, quæ ad Saluatoris noſtri gloriam, ſalutem animarum, Chriſtiani Orbis tranquillitatem

tem

A tem & pacem, multum intereſt. & priuſquam huic cauſæ finem dicendi imponamus id conſiderandum eſt quod in hac ſupra citata Agathonis epiſtola perſpicuè dicitur nempe, Romanam Cathedram nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexam eſſe. ſic enim ait. [Hæc eſt enim veræ fidei regula, quam & in proſperis & in aduerſis viuaciter tenuit ac defendit hæc ſpiritualis mater veſtri tranquilliſſimi, Imperij, Apoſtolica Chriſti Eccleſia: quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit: ſed vt ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus illibata fine tenùs permanet, ſecundum ipſius Domini Saluatoris &c.] & poſtea. [qui fidem Petri non defe-
B cturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt cognitum: quorum & puſillitas mea licèt impar & minima, pro ſuſcepto tamen diuina dignatione miniſterio pediſſequa cupit exiſtere &c.]

Si autem Honorius in fide erraſſet, cùm appellationem Orientalium Patriarcharum iudicauit, hæc Agatho Papa non protuliſset, imò ipſum id affirmare puduiſſet: quia ergo hoc conſtanter docuit & affirmauit, manifeſtum eſt Honorium opinionis Monothelitarum non fuiſſe.

At Græci hanc Agathonis epiſtolam de infallibili iudicandi iure in rebus fidei & morum controuerſijs reſoluendis, quod Petri Cathedra perpe-
C tuò obtinuit, examinare & perpendere noluerunt: ſed epiſtolas Honorij præcipitanter & ipſum Honorium anathemati ſubijcere tanquam paruimomenti facinus, & rem ioco dignam exequentes, decreuerunt. ſed audiant verbum Domini Prou. 14. [Filio doloſo nihil erit boni. & cap. 15. Filius ſapiens lætificat Patrem: & ſtultus homo deſpicit matrem ſuam. & cap. 19. Falſus teſtis non erit impunitus: & qui loquitur mendacia peribit.] Vtinam Græcorum Natio non perijſſet.

Accipe Amice Lector, ex hac Synodo Romana ad ſexta Synodum per Imperatorem directa, aliam Græcorum detectam fraudem. nam in fidei expoſitione ponentes primò fidei Symbolum; de Spiritu Sancto dixerunt; qui ex Patre filioque procedit, vt in eiuſdem Synodi teſtu patet, & nunc reperitur. Græci autem ſchiſma ſuperueniente poſt Photium in octaua Syno-
D do ipſis poſtulantibus à ſede Apoſtolica damnatum; particulam filioque abſtulerunt, de qua re conquæſtus eſt Iulianus Cardinalis in ea diſputatione quam habuit contra Græcos in Concilio Florentino. & hoc ipſum centum & eo amplius annis ante dictum Iulianum animaduertit Emmanuel Chaleca homo Grecus in libro aduerſus errores Græcorum. Ergo dicendum eſt Orientales Nationes Catholicæ fidei candelabrum voluiſſe obſtinatè extinguere, & occaſiones ſemper inueſtigaſſe, fidem Catholicam & Petri cathedræ venerationem dimittendi. quamobrem ad rem noſtram facit quod Prou. 18. dicitur. [Occaſiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis.] Sed qui hæc omnia operati ſunt, vt Conſtantinopolitanum epiſcopum ſuper aſtra Cœli exaltarent, & ſedem Apoſtolicam, Romanam ſcilicet Cathedram S. Petri deprimerent, Deus iuſtus iudex ſic illam deiecit cum omni Natione Sedem, vt Maumethicæ ſectæ

penitus

penitus sit opprobrio, nam penè singulis annis Turcarum tyrannus nunc hunc, nunc virum alterum, maiorem pecuniæ quantitatem offerentem, Patriarcham instituit. Vniuersaque illa Natio, quod valde deplorandum est, suas Ecclesias, monasteria, Gymnasia, cæteraque bona, quæ tanquam Christianæ Reipub. illustris portio olim possidebat prorsus amisit: & quæ loca Christianæ pietatis erant, nunc bestiarum & Iumentorum stabula cernuntur: & qui Redemptori omnium grates olim exhibebant laudes, nunc ad Maumethicam sectam diuertentes, illum negant & blasphemant. & qui sæcularis Imperij splendore potius gloriabantur, quàm Piscatoris cathedræ consociatione & reuerentia, nunc Maumethico imperio, Christiani nominis hosti acerrimo, mancipiorum onus sustinent. Deus, qui diues est in misericordia, omnia mala hæc auferre dignetur, vt catholica fides libertas, pax, & rerum omnium fælicitas, iterum regnent apud eos. A B

Secunda obiectio. Tertia generalis Synodus Ephesina, sub pæna anathematis ipso facto incurrenda nemini licere fidei Symbolo aliquid addere vel detrahere, sanciuit. at Romana cathedra fidei Symbolo particulam Filioque addidit, ergo excommunicationis vinculo est obstricta. & consequenter omne ius in Ecclesiæ rebus resoluendis amisit, quod est excommunicationis effectùs. nec amplius appellationes suscipiendi & resoluendi ius habet: hæc est Græcorum huius temporis obiectio, vt me etiam ipsa experientia docuit.

Quam obiectionem Marcus Ephesius Episcopus, in Generali Florentina Synodo, nomine totius Græcæ Nationis sic exposuit. vt sessione quinta eiusdem Synodi conspicitur. Concilium tertium, vt ipsum Symbolum immutabile perpetuò permaneret, decreuerat. Vos ergo rogamus, tot ac Sanctorum Patrum voces, nostrasque rationes & argumenta, quæ sumus in medio allaturi, benignè ac attentè audiatis. Quandoquidem vobis probare promittimus, Christianorum omnium vnam esse Catholicam fidem, ad quam accessionem aliquam fieri, aut quidquam ab ea non liceat auferri. C

Hic duo nobis, amplissimi Patres, in dubium sunt vocanda: cur tertium Concilium inhibuerit, vt Symbolum Nicænum in Concilio secundo declaratum, & pro eodem habitum, nunquam mutari debeat: duo verò priora Concilia nulla pro seipsis inhibitionem decreuerint. Et cur tertium idem Concilium, nulla de secundo Symbolo mentione facta, primi tantùm meminerit, ac pro eo sanxerit? Ad primam ambiguitatem respondemus, id factum esse, quia arrogantiæ signum esset futuris Patribus præcipere, vt venerationem proprijs decretis habeant: at posterioribus patribus conuenit, honorem & venerationem antiquioribus & præcessoribus Patribus præcipere. quod patet exemplo Apostolorum & Euangelistarum, qui nihil addi vel minui suis quas dederunt scripturis præceperunt: Patres autem Ecclesiæ successores eorum, ad illorum honorem & venerationem id strictissimè sanxerunt. secundò eidem dubio (inquit Ephesius) sic respondemus. Inter namque primum Concilium, à quo diuinum illud Nicænum Symbolum fuerat editum, ac secundum, non parum sanè temporis intercesserat, in quo quidem temporis interuallo ferè triginta alia Symbola à particularibus & priuatis Concilijs prodita fuere. quæ licèt ab illo primo differrent, D

quia

Digitized by Google

A quia tamen verbum, consubstantialem, auferebant, idcircò secundum Concilium, Oecumenica præditum dignitate, particularibus illis concilijs longè excellentius, diuinam Sancti Spiritus rationem accuratiùs explicauit & illustrauit, & ad euertendum hæreticum Apollinarij dogma, verbo huic, incarnatus, illud ex Spiritu sancto & Maria Virgine addidit. sed posterioribus non interdixit, vt Christianum dogma dilucidius explanarent, volens vt eadem ipsa declarandi facultas in Dei Ecclesia perpetuò permaneret. quam opportunitatem assumentes Nestoriani, illud Nicænum Symbolum transformarunt, & ei diuersa impiaque dogmata addiderunt. quo Nestoriano Symbolo multos post annos in tertio Concilio recitato, decretum fuit, vt in futurum mutandi Nicæni Symboli nemo facultatem haberet, eo quod B Nicænum Symbolum à Constantinopolitano minimè discreparet, itaut pro vno ambo haberentur. ergo eam facultatem quam addendi & auferendi habebat, sibi & posterioribus abstulit. vt reipsa statim id declarauit, nam verbum Deiparam, quod tunc aduersus Nestorium sanciuit, Nicæno Symbolo noluit addere, quamuis ad dogma de Saluatoris nostri incarnatione, quàm maximè necessarium fuisset. Nunc venio, subdit Ephesius, ad alteram quæstionem, de secundo Symbolo nulla mentio facta est, quia ab omnibus illa duo pro eodem suscipiebantur: cum Nicænum, fundamentum esset cæterorum, & maiore Patrum numero celebratum fuisset &c. scio equidem vos non ignorare præstantissimi Patres, in hoc de tertio Concilio libro, multas beati Cyrilli literas scriptas esse quippe qui Cælestini C sanctissimi summi Pontificis eidem Concilio legatus ac vicarius præfuit. Pars igitur tantùm literarum earum, quas ad Ioannem Antiochenum præsulem scripsit, quarum inscriptio est pro vnione, quæque incipiunt ita, Gaudeant Angeli, (si lubet) recitetur. Nequaquam, inquit, tolerabimus vt definita præscriptaque fides, aut Nicænum Symbolum ab aliquo immutetur: nullam nobis vel alijs mortalibus facultatem concedentes, vt aliquam eius dictionem mutare, aut vnam syllabam præterire valeant. huius enim sententiæ recordamur, Ne transgrediaris terminos antiquos. quos posuerunt Patres tui, vt potè qui non ex sese, verum Dei Patris spiritu afflati loquerentur, qui ex eo procedit, non autem alienus à filio secundum substantiæ rationem existit &c. Sancti Cyrilli sententiam Amplissimi Patres intellexistis, sibi simul cæterisque mortalibus inhibentis, vt ne literam qui-D dem diuino Symbolo possent addere.

Et ex quarta generali Synodo hæc ad maiorem rei veritatem confirmandam accepimus. cum post fidei catholicæ definitionem hæc ibi legantur. Vt hæc ergo diligentissimè accuratissimèque concludamus ac obsignemus, idcircò sancta generalis Synodus definit, atque determinat, vt aliam fidem conscribere, aut componere, aut sentire, aut docere liceat nemini. Qui verò quippiam tale commiserint, aut aliud commentitium Symbolum ex gentilibus, vel Iudæis, aut hæreticis ad nostram religionem venientibus, tradere fuerint ausi, si clerici, priuentur: laici verò anathemate notentur. & sic sequitur idem ostendens per septem generales Synodos. deinceps subdit Ephesius. Ipsi ergo, qui nostros maiores plurimum veremur, quique eorum decreta colimus, ac ipsorum execrationes timemus, accessionem ad Symbolum factam suscipere nolumus. opportunum

Digitized by Google

autem esse videtur, vt accusationi ac rationibus nostris respondeatis &c. A

Verùm cum hæc, de Romanæ Cathedræ excommunicatione & depositione, Græcorum opinio, nunc temporis apud eosdem plurimum vigeat; omnes quas Græci Patres rationes ad improbandam particulam Filioque Symbolo impositam, nunc coram Synodo protulerunt, hic afferam; vt ex earum solutionibus quas tunc Latini Patres dederunt & per eas quas ego superaddere paratus sum, inanem præfatæ censuræ esse imposturam, ad eorum erga Romanam Cathedram S. Petri inobedientiam & filialem irreuerentiam excusandam, excogitatam, ad excusandas scilicet excusationes in peccatis, pandam & patefaciam.

Obiectio Græcorum ex octaua Sessione. Bessarion sic ait. Licèt clarissimè ostendatis Spiritum Sanctum ex Filio procedere, veram declarationem esse, Symbolo tamen apponere nefas est, quando etiam multa alia vera sunt, quorum nullam factam ad Symbolum fuisse videmus accessionem, vt patet de fidei articulis in quarta, quinta, sexta & septima Synodo declaratis. nisi probare poteritis Romanam Ecclesiam addendi facultatem habere, nihil proderit demonstrasse Sanctum Spiritum ex Filio procedere. at Romana Ecclesia post tertiam Synodum id nequit adstruere, cum ei & omnibus eadem tertia Ephesina Synodus interdicat & ipsamet de re hac exemplũ præbuit, nam Mariam Virginem deiparam esse contra Nestorium definiens, in Symbolo hanc non descripsit veritatem. & si Ecclesia vna eademque semper sit, eandemque facultatem semper habeat, debet tamen sanctorum Patrum decreta seruare, & pro diuinis vocibus ea reputare, quod ergo Maiores nostri prohibuerunt, id posteriores cauere debent. B C

Obiectio Græcorum ex sessione nona. Bessarion ait. De potestate verò Romanæ Ecclesiæ plurimum diceremus, nisi aliud ageremus. Non enim inscij sumus, quæ sit ipsius facultas ac prærogatiua. sciatis tamen velimus, addendi Symbolo facultatem, non solùm Romanæ, verùm etiam vniuersali Ecclesiæ, generalique Synodo interdictam fuisse. siquidem igitur Romana Ecclesia, quamuis facultate prædita sit, vniuersali tamen Ecclesia, quam generalis Synodus præsefert, inferior est. si eiuscemodi facultatem ab Vniuersali Ecclesia tollimus, multo magis ipsam à Romana Ecclesia tollendam putamus: tollimus inquam, non nostra auctoritate, verùm maiorum nostrorum decretis.

Hæc est omnium summa rationum quas Græci in Florentina Synodo in hac causa protulerunt. Quædam alia attamen hic inseremus, quæ in eadem Synodo Latinis Græci obiecerunt, quæ licèt ad primam huius nuper propositæ difficultatis obiectionem corroborandam non conferant, tamen ad hunc de Appellationibus Tractatum exactè tradendum aptè congruunt. D

Sessione sexta, Marcus Ephesius Episcopus cum suam obiectionem per sanctarum Synodorum decreta roborare conatus fuerit, ad Octauam perueniens Synodum, sic inquit. Concilium illud inter generalia connumerandum non est, quandoquidem non modo non susceptum, verumetiam antiquatum fuisse constat. Ioannis enim & Adriani summorum Pontificum tempore conuocatum fuit, ac Photium Constantinopolitanum antistitem condemnauit. Is deinde Ioannes aliud Concilium habuit, quod item appellauit octauum, quod acta ipsius Concilij, quod vos Octauum fuisse

A fuisse dicitis, improbauit, Photiumque restituit. Cuius quidem Ioannis pro Photio literæ memoriæ proditæ sunt, & adhuc extant. In quo planè Concilio inter alia fuerat decretum, vt hæc eadem Symboli additio tolleretur, quod vos non ignorare putamus. Siquidem igitur ipsius Concilij acta reprobata videntur, non est congruum rationi, vt de his aliqua mentio fiat; cum alterum octauum Concilium sequi potius deberemus. Propterea ex eo tempore, Constantinopolitana Ecclesia hucusque solet ita celebrare. Quæcunque in sanctos Patriarchas Ignatium, & Photium scripta vel dicta sint, anathema esto.

Sessione tertia, Marcus Ephesius Episcopus ait. [Scire autem vos Patres amplissimi velimus, nos de Symboli additione verba esse facturos, quod B neque vera, neque prorsus conueniens sit, quam sanè constat nostri schismatis ac dissidij præcipuam causam fuisse.] Hæc enim examinare proponimus, an reuera hæc Symboli explicatio Græcorum schismatis prior causa extiterit. quoniam hæc obiectio in latinorum cadit iniuriam.

Sessione vigesima quinta, cum Ruthenus Episcopus dixisset: Verùm si patet spiritum ex Filio procedere, quemadmodum Græci doctores ac Latini simul testantur, cur non est pium, vt Sanctos nostros sequentes, cum Romana Ecclesia coniungamur? Tunc Ephesius prolixam habuit orationem, & in peroratione protulit Latinos hæreticos, nedum schismaticos esse: idque Orientalem Ecclesiam tolerasse, quòd genus ipsorum maius ac fortius esset: proptereaque Græcos tot annos ab eis disiunctos esse, quòd C hæretici sunt. dicebat igitur se cum Latinis neutiquam debere coniungi, priusquam additionem illam à Symbolo prorsus auferant. Tum Bessarion; Proferentes igitur Sanctum Spiritum ex filioque procedere, hæretici sunt? Ephesio verò, quidni, respondente: Bessarion exclamauit, dicens: Deus misereatur, ergo Sancti qui hanc sententiam tradidere, hæretici fuerant? muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem: nonne clarè vidisti, Occidentales ac Orientales doctores Sanctos in hoc neutiquam discrepare?

Ephesio deinde proferenti, Quis nouit an libri eorum mendosi sint? Bessarion respondit. Quis, obsecro, tam temere dicere audebit, tot Latinorum sermones, tot Euangeliorum expositiones, absolutam denique de Spiritu Sancto Theologiam, simul omnem mendosam & corruptam esse? D quam quidem si veluti mendosam è libris velimus tollere, tantùm papyrus alba in tot voluminibus remanebit.

Nunc itaque hæ Græcorum præmissæ obiectiones & instantiæ soluendæ sunt, vt ex illarum solutionibus Græcorum eorumdem errores detegantur ac refellantur, & Romanæ Cathedræ Sancti Petri supremum magisterium, & ius omnis generis Appellationes resoluendi luculenter patefiat.

Ad primam obiectionem, quæ ordine secunda est, in qua de censura à Romana Cathedra contracta, ob particulam Filioque, Symbolo appositam, fit sermo, Respondeo omnes Græcorum excogitatos Syllogismos in præsenti materia ex eo pendere, quia à Romanæ Cathedræ digna existimatione defecerant: & in hunc descenderunt errorem, vt Constantinopolitanum Episcopum Romano Pontifici æquare, eis licuisse ostenderent, quod in quarta Synodo in sessione quadam, Romanæ Cathedræ Legatis absentibus,

Digitized by Google

decernere voluerunt. Ad hanc autem perperam opinionem tuendam, Patres Græci necessariò affirmare debuerant, primatum Romanæ Cathedræ de iure gentium, Ecclesiastico esse: & de facto primatum illius à Patribus Synodorum & ab Augusto Constantino sancitum, sæpe sæpius affirmauerunt. & in eadem quarta Synodo apertè dixerunt id factum fuisse, quia Roma fuerat Regina Vrbium. idcircò hoc errore decepti, Honorium in sexta Synodo ausi sunt anathematizare. ad cuius examinandam causam nec ipsi, nec Romanæ Cathedræ Legati ius vllum ab Agathone tunc Papa acceperant. & deinceps post Octauam Synodum, in qua Photius, ipsis Græcis petentibus, à Petri Chathedra sacerdotio priuatus fuerat, hac excogitata ratione de Symboli fidei declaratione super particulam [ex Filioque] ipsam Petri Cathedram, non tantùm excommunicationis vinculo innodatam, verùm omni iure expoliatam, pronunciauerunt. A B

Verùm si perpendissent potestatem Romanæ cathedræ Sancti Petri, de iure diuino descendere; & Petrum cum successoribus suis, iuxta Euangelium, ab eisdem Græcis Sanctis Patribus explicatum, esse Patrem patrum, Caput & vniuersalis Ecclesiæ Pastorem, ac Christi Dei Saluatoris nostri in terris Vicarium, in huiusmodi non prorupissent errores: at quia hæc verissima doctrina, viam quam ad Constantinopolitanum Episcopum exaltandum tenere cæperant, destruebat: ideo iter aliud quod modum Romanam Petri cathedram deprimendi & Constantinop. episcopum extollendi ostenderet, aggressi sunt. cognouerant enim Romanos Pontifices huiusmodi eorum immoderato desiderio iurè resistere paratos esse, vt Leonem primum facturum prænouerant; quapropter pessimum semen de principio & radice potestatis Romanæ Cathedræ superseminare voluerunt. C

At cum liquidò constet, vt in superiore disputatione demonstrauimus, Romanam Cathedram diuina sanctione vicariam Christi Dei potestatem in terris gerere, omnibus qui eam exauctorare ausi fuerint, illud quod ad Rom. 9. legitur, obijciam. [O homo tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic?] Deus statuit Petrum cum successoribus suis vniuersæ Ecclesiæ pastorem esse, & tu homo vis aliquam Synodum illũ exauthorare posse: vel ipsum aliquam in Synodis legem facturũ, vt seipsum tali iure priuaret? quis verè catholicus sic opinatus est vnquam? enimuerò Petri cathedra contra eiusdem Petri cathedram nihil potest, quia contra ius diuinum, nullum ius humanum aliquid valet: non poterat ergo aliquam legem Petri cathedra sancire, quæ ipsã Petri Cathedram suo iure spoliare valeret. Hoc saltem huius temporis Græci perpendant. D

Sed dicet quispiam: Si Papa falsum dogma docuerit, suo iure priuatur. Respondeo, ille homo qui tunc est Papa suo iurè vtique priuatur, quia extra cathedram sic falsò docuit. at Petri cathedra tunc suo iure non priuatur; quia ille qui falsò docuit amouetur à cathedra, & qui Catholicus est in illam ascendit. hæc autem instantia Græcis nil prodest; nec eorum patrocinatur errorem, quia non vnus homo super Petri cathedram sedens docuit Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, nec vnus homo solus particulam filioque Symbolo apposuit, sed cathedra id fecit cum longa serie eorum qui super illam sederunt & de consensu fratrum suorum, & aliarum Occidentalium Synodorum, quæ sic errare non potest docendo, & omni-

bus

Digitized by Google

A bus Ecclesiasticis legibus præest, itaut possit semper ligare & soluere; nec
censuris cathedra subiacet.

Dices forsitan. Poterit ergo mutare etiam decreta fidei, nec in anathe-
ma incurrere? Respondeo instantiam inanem esse, nec facere ad rem, quia
Cathedra hoc non operatur, quia supra ius diuinum non potest; fides au-
tem à Deo est reuelata: & quandocunque Ecclesia aliquid fide tenendum
declarauit, tunc ea decreta diuinam reuelationem, vt cæteri fidei articuli,
præseferre, docuit: nempè de natura articulorum fidei id esse, quod declara-
uit, credendum statuit: quo peracto decreto, cum super fidei dogmata seu
contra fidei dogmata nullum ius habeat, nec supra id quod de fidei esse de-
clarauit, aliquid potest. Verùm in casu nostro hoc non facit ad rem: quia
B decernere nullum dogma, etsi verum, in Symbolo esse apponendum sub
pæna depositionis & anathematis non est fidei, sed circa mores decretum;
idcirco, si deinceps, nouis accedentibus causis, aliquid verum apponatur à
Petri Cathedra, cum non sit error in fide, non potest anathemati subiacere,
nec vllam depositionis pænam subire huiusmodi enim leges, quæ ius diui-
num non præseferunt, possunt à Petri cathedra solui, quia ipsa illas instituit:
nam Qui facit legem, nempè huius & similis generis, potest destruere
legem; nec diuino iuri aliqua infertur iniuria: imò ipsi est valdè consonum:
quod genericam soluendi & ligandi potestatem ei præscribit, vt suo loco di-
ctum & probatum fuit.

Nunc verò ad difficultates Ephesij Præsulis, in Florentina Synodo expo-
C sitis, deueniemus, illasque nihil concludere similiter ostendemus. Omnis
autem illius argumentationis vis, hæc est. Sancta Synodus generalis tertia
sanciuit ipso facto depositum esse Antistitem qui fidei Symbolo aliquid ad-
diderit: at Romana Cathedra hoc fecit: ergo à Pontificali munere deposita
est. maiorem aliquibus coniecturis confirmat, quas infra soluemus. vel
sic. Sancta Synodus generalis tertia statuit nihil Symbolo addendum esse
vel ab eo auferendum sub pæna depositionis & anathematis, at Latini addi-
derunt particulam filioque contra Patrum statuta, ergo accessionem factam
Symbolo nos Græci suscipere non debemus, cum Patres nostros venerari
debeamus, eorumque censuras timere.

Huic instantiæ Patres Concilij Florentini primò responderunt particu-
lam Filioque non esse additionem sed declarationem: additio autem à ter-
D tia Synodo prohibetur, non autem declaratio.

Secundò responderunt sessione decima sic. Apud Bonauenturam in
Theologia clarissimum, triplex genus additionis literis traditum est: vnum
cùm id quod additur, ei cui apponitur, oppositum est, Alterum quod non
oppositum, sed tantùm diuersum ab illo cui opponitur, fuerit. Tertium,
cum vtrunque congruum sit; quorum quidem primum genus hæreticum,
ac prorsus alienum existit à fide, vt si quis Deum patrem protulerit genitum
filium verò ingenitum, sanctum autem Spiritum à nullo procedentem.
Altero verò genere inepti homines vti solent. nam summæ ineptitudinis
est, insolita verba & à sacris literis aliena proferre, vt si quispiam Deum
Patrem appellauerit geometram, filium astronomum, Sanctum autem
Spiritum arithmeticum, quæ licèt à veritate non discrepent, quandoqui-
dem quæuis diuina Persona cuncta cognoscit ac potest: tamen quoniam

Digitized by Google

eiusmodi sermo, neque in sacris literis, neque in Sanctorum scripturis legitur, ideo ineptis hominibus adscribi solet. Tertium autem genus, quo Deum patrem omnipotentem, æternum, filium verò consubstantialem, Sanctum autem spiritum, spiratum procedentemque dicimus esse, pium & Catholicum est, nostræque religionis doctrinam declarans: idcircò duo illa additionum genera, pœna grauissima prohibentur, iuxta illud Apoc. [Si quis apposuerit ad hæc, apponet illi Deus plagas scriptas in libro isto.] Genus verò tertium tantùm abest ab interdicto, vt qui eo vtantur à Saluatore nostro præmijs afficiantur amplissimis, vt sententiarum magister in proemio suo testatur. siquidem igitur additio de qua agimus, non ex oppositis diuersisue constant, sequitur ipsam non esse vetitam, cum præsertim illa ex filioque particula, valde conueniens & congrua sit. Apostoli namque sancti, cum Sanctum Spiritum celebrarent, non ipsum ex Patre procedere proferebant; quod cum ab ipso Apostolorum Symbolo potestate contineretur, eique quàm maximè conueniret, Sancti posteriores patres ad euertendos impios hæreticorum errores, id ipsi Symbolo apposuerunt, ac ipsum Spiritum ex Patre procedere, declarauerunt. Quod cùm adhuc modo quodam ambiguum esse videretur, idcircò ex filioque particulam alij posteriores Patres addidere, ipsumque Symbolum clarissimum reddidere, proferentes Sanctum Spiritum ex Patre filioque procedere. A B

Sed Patres Græci mirum in modum obsistebant, dicentes, interdictam esse omnem cuiuscunque generis additionem. & sessione octaua sic Bessarion hoc probabat. Beatus Cyrillus ad Acacium Melitinensem præsulem scribens, inquit. [Sancta Synodus Ephesi celebrata necessariò prouidit, vt alia fidei expositio Dei Ecclesijs neutiquam ingereretur: præter eam, quam beatissimi Patres nostri sancto afflati Spiritu definierant.] In quibus quidem literis, aiebat Bessarion, multa notatu digna videntur. Sed tria tantùm, si lubet, perpendamus. Primùm, tertiam Synodum primam inhibuisse, quod verbum, prouidit, significat: Deinde verbum, necessariò; Postremum aliam fidei expositionem fuisse vetitam. Præterea memoria dignum est ab vniuersali Ecclesia interdictum fuisse, quod hæc verba significant, vt Dei Ecclesijs non ingereretur. Quæ omnia, Patres amplissimi, consideremus oportet, præsertim quòd ex primo sequi videtur. Constat enim tertiam Synodum primum quippiam vetuisse, duas verò priores iampridem interdixisse, ne quis contraria dogmata proderet: ergo sequitur, Synodum ipsam aliud ab eo quod iam vetitum fuerat, prohibuisse. quod ipsi credimus esse ne verborum mutatio vel additio Symbolo fieret. Quod quidem decretum ab vniuersali Ecclesia, vt supradictum est, factum fuerat, quippe quæ, non quid hic vel ille profiteretur, sed ne quod communiter in Ecclesijs celebraretur, & in quo baptizaremur mutaretur, curauit. & non solùm alijs, verùm etiam sibi ipsi interdixit: quod planè patet ex eo quòd verbum, Deiparam, diuino Symbolo noluerit addere. nam & si in ipso includeretur, ac valde necessarium esset, vt eidem apponeretur, tamen posterioribus exemplo se voluit esse, suum decretum reipsa confirmando, quamuis propter impij Nestorij dogmata magna necessitas vrgeret, vt Symbolo nomen illud apponeretur, cum præsertim ab eo potentia contineretur, C D

Sed

A Sed hunc Bessarionis Syllogismum nihil concludere aduersum nos, sic probo. Bessarion ait, ideo tertiam Synodum non de additione falsorum dogmatum intellexisse, sed de omnis generis additione etiam vera & Catholica, quia in prioribus Synodis circa falsi additionem iam interdictum fuerat, ergo interdictum tertiæ Synodi additionem etiam veri interdicit. Contra, cæteræ sequentes Synodi post tertiam Synodum semper simile interdictum promulgare frequentabant, ergo aliquid aliud à tertia Synodo interdicebant, stante ratione Bessarionis: at hoc verum non est, quia idem decretum tertiæ Synodi ratum habere profitebantur, ergo pari modo tertia Synodus suo interdicto, priorum Synodorum interdictum confirmabat. imo retorqueo hoc argumentum contra Bessarionem. sequentes Synodi

B post tertiam Synodum suis consimilibus decretis, nihil in hoc genere amplius interdicebant, sed decretum tertiæ Synodi confirmabant, ergo & tertia Synodus suo interdicto, nihil noui interdicebat, sed interdicta priorum Synodorum confirmabat. at illa priora, vt Græci etiam fatentur, tantùm additionem falsorum dogmatum inhibebant, ergo & hoc idem tertia Synodus tantum inhibuit. & hoc verissimum est.

Ad confirmationem sui Syllogismi Respondeo, coniecturam illam non concludere efficaciter contra nos; nam poterant Patres Symbolo addere B. Mariam esse Dei genitricem contra Nestorij dogma: non addiderunt; non sequitur id fecisse, vt nec verum Symbolo addere amplius licere ostenderent. cum id fecisse, fieri potest, eoquòd fidei Symbolum potiùs dog-

C mata de Deo trino & vno & de Saluatore Iesu Christo, & de redemptionis nostræ causis & effectibus seu fructibus, quàm omnes Beatæ Mariæ Virginis prærogatiuas, includere & exprimere oporteat.

Sensum autem tertiæ Synodi, cum Græci & Latini in dubium reuocent, cuinam illum aperire contingit, nisi Romanæ Cathedræ Sancti Petri? sed de hoc infra plura dicturus sum. sequitur ergo à primo ad vltimum, sensum inhibitionis à tertia Synodo sancitæ, eum non esse quem Patres Græci dederunt. Hinc similiter patet vera esse quæ semper Latini Patres docuerunt, nempe tertiam Synodum contra oppositum & falsum addentes, pœnas & censuras statuisse. & hanc amplector sententiam, nec an sit additio vel declaratio differere aggredi nunc volo: sed duo probanda assumo. primum est, sensum tertiæ Synodi, hunc quem nuper exposuimus fuisse. Se-

D cundum: Ad Romanam Cathedram Sancti Petri id iudicare & addere diuino iure spectare.

Igitur Patres tertiæ Synodi Actione sexta decreuerunt, vt nemini alteram fidem proferre, aut conscribere, aut componere liceat, præter definitam à sanctis Patribus, qui in Vrbe Nicæa in Spiritu Sancto congregati fuerant. qui verò ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre, conuerti volentibus in agnitionem veritatis: hos quidem, si sunt episcopi aut Clerici alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à Clericatu decreuit, si verò laici fuerint anathemati subijci. hoc est tertiæ Synodi interdictum. Nunc ergo ad huius decreti intelligentiam descendamus. Nestorius aliud composuerat fidei Symbolum, vt tertiæ Synodi acta indicant, illudque vbique diuulgabat, illisque qui tempore Episcopatus sui nouiter ad Christianam fidem conuertebantur proponebat & prædicabat.

bat. Sancta Synodus quæ contra Nestorium eiusque acta congregata fuerat, Nestorianum Symbolum damnauit, decreuitque nemini nouum & alterum fidei Symbolum licere componere & promulgare. ergo vel vt diximus falsata fidei Symbola inhibebat: vel vt plurimum particularibus personis & Ecclesiæ Pastoribus id non licere pronunciauit. etenim Episcopos, Clericos & laicos nominat: ergo Episcopis, Clericis, & laicis illud interdixit. at non loquitur de Concilijs generalibus, neque de Romana sancti Petri Cathedra, vt ex textu patet, ergo de his intellexisse non est asserendum. A

Quod autem de Concilijs generalibus non intellexerit, Probatur, Par in parem nullam habet potestatem; ergo alteri generali Concilio hoc inhibere non potuit. & ratio efficacissima est, quia tale tertiæ Synodi decretum non est fidei dogma; quod si fuisset, sententia opposita teneret & seruanda esset; sed fuit morale præceptum, an in futurum hoc expediret nec ne, iuxta Græcorum intelligentiam nunc loquor. sequitur ergo tertiam Synodum alteri generali Concilio id prohibere non potuisse: & aliud generale Concilium illud decretum irritare valere. B

Nec multo magis Petri Cathedræ id potuit prohibere, nec inhibere intellexit: quia ipsius est iudicare approbare, reprobare, indicere & confirmare Concilia, vt in generalium Conciliorum Actis liquidò constat; & tomo primo lib. 2. disp. 4. luculenter demonstraui. nec apud sanæ fidei homines in dubium vertitur, an Petri Romana Cathedra decreta Synodorum moralia huius generis dispēsare iuxta temporum necessitatem & diuersitatem valeat; vt in eodem tomo primo libro 4. disput. 4. demonstratum fuit: imò ipsi Græci Patres hac Romanæ Cathedræ potestate vsi sunt, vt in octaua Synodo legitur, & alibi pluries, vt infra dicemus. Enimuerò cum Saluator rerum huiusmodi agendarum nullas particulares præscripserit leges, suo Vicario plenissimam potestatem ligandi & soluendi commisit, non funibus sed legibus: sic enim Principes ligant & soluunt. Concludendum ergo est tale tertiæ Synodi decretum, vel ad falsam in Symbolo additionem inhibendam solùm extendi: vel vt plurimum ad particulares Episcopos & personas, vel, vt aliquid amplius Græcis concedamus, ad particulares Synodos talem pœnalem legem directam fuisse, iure dicendum & affirmandum sit. C

Præterea, vt Græci in hac materia nullum habeant effugium, hæc adhuc in medium affero. Vos Patres Græci, modo in obiectionibus prolato, hunc tertiæ Synodi Canonem intelligitis & explicatis: Patres Latini alio modo illum exponunt, vt dictum est: hæc autem concertatio in Ecclesia Dei, per plura sæcula agitata fuit. Ecclesia ergo semper indissidijs esse debet? non dedit ergo ei Saluator iudicem controuersiarum? fuit igitur ipse suæ Ecclesiæ insipiens architectus? iam vos Patres Græci cùm huius temporis hæreticis, qui Scripturam sanctam iudicem Controuersiarum ineptè appellant, proculdubio non conuenitis; adde quòd ex scriptura hæc non posset quæstiò dissolui: quid ergo dicendum? Ecclesiam esse Iudicem, affirmant Catholici, iure quidem optimo. Sed in hac Controuersia, vt in Concilio Florentino patuit, Ecclesia Orientalis & Occidentalis minimè conueniunt, quid ergo agendum restat? ipse Saluator non descendit de Cœlis ad hanc dirimendam litem: nec Apostolorum chorus ad nos D

venit,

A venit, vt ferret sententiam, quid ergo faciendum erit Patres mei? Sed super omnia vincit veritas. non est opus vt Saluator & Apostolorum chorus ad nos veniant, quia Petri Cathedræ filius Dei suas commisit vices: ipsa est controuersiarum iudex, ipsa debet confirmare fratres suos, Lucæ 22. pro ipsa orauit Saluator, ne hostium insidijs succumberet: à qua veritate nisi Græci defecissent, nec fidem & cætera bona perdidissent. Petri cathedram digna veneratione & filiali obedientia honorare sensim Vos Græci recusastis, & catholicam fidem etiam paulatim dimisistis. Cur vos Patres qui tertiam Synodum super huiusmodi decretum percurristis, ea quæ Actione quarta eiusdem tertiæ Synodi de Romanæ S. Petri cathedræ leguntur, non perpendistis? Recusabat Antiochenus Patriarcha, qui à tertia Synodo cita-
B batur, ad Synodum accedere. Cui sic Hierosolimitanus Patriarcha denunciauit. [Oportebat quidem Ioannem religiosissimum Ecclesiæ Antiochenæ Episcopum hac magna & sancta & Oecumenica Synodo considerata, recta mox citra vllam dilationem ad eorum, quæ illi obijciuntur, purgationem accurrere, Apostolicæque sedis magnæ ciuitatis Romæ auctoritati nobis assistenti honorem & obedientiam deferre: præsertim cum Apostolica ordinatione, antiquaque traditione in consuetudinem abierit, vt sedes Antiochena perpetuò per Romanam dirigatur ac iudicetur. sed quoniam solito supercilio vsus &c.

Si ergo Apostolico iure Patriarchæ, Romanæ cathedræ sunt subiecti, & ab ipsa dirigi debent, cur nunc dirigi, iudicari, & doceri recusant? numquid
C cassata nunc est doctrina Apostolorum? vel nouum Euangelium de Cœlo descendit, quod à Petro ius antiquum, à Saluatore acceptum abstulit, & Constantinopolitano Episcopo tradidit? Et in eadem tertiam Synodo nonne legitur Cyrillum Alexandrinum Patriarcham legatum Romanæ cathedræ fuisse à Cælestino Petri successore institutum? res enim est magna consideratione digna, vt Patriarchali dignitate fulgens, Romani Pontificis legationem assumat. & antequam tertia Synodus congregaretur, non animaduertistis, Nestorium à Cælestino Papa ab episcopatu Constantinopolitano fuisse depositum, & illius curam eidem Cyrillo à Cælestino Pontifice traditam esse? igitur cum Romana cathedra non est altercandum & concertandum, sed humiliter est ei parendum ac obediendum. Hæc, inquam ex tertia Synodo etiam perpendere necesse erat; & Cathedræ Petri, non
D contumaciam sed obedientiam in rebus huiusmodi tribuissetis.

Nunc ad cæteras Græcorum Patrum obiectiones redeamus. Dixerat in sua obiectione Ephesius, duo priora Concilia nullam pro seipsis inhibitionem decreuisse, tertium autem Concilium in honorem priorum Patrum id decreuisse, quia arrogantiæ signum est futuris Patribus præcipere, vt venerationem proprijs decretis habeant; at posterioribus Patribus conuenit honorem & venerationem antiquioribus & præcessoribus Patribus præcipere; & id confirmat exemplo Apostolorum & Euangelistarum, vt supra dictum est.

At Ephesius hac sua doctrina, Patres tertiæ Synodi contumelia afficit. quod probo; nam ipsi dicunt illud decretum inhibitiuum factum esse Concilio generali & Petri Romanæ cathedræ. cum tale decretum non sit fidei dogma, sed præceptum morale, vt superius demonstratum fuit, nec scirent

quam occasionem in futurum, Ecclesia super Symbolum decernendi, habitura esset: arrogantiæ signum dedissent præcipiendo Petri cathedræ & Generali Concilio sibi pari & æquali, ne aliud sanum verbum Symbolo, data legitima occasione, apponerent. patet ergo quòd sicut huius modi rationes tantùm ad præteritum eorum schisma excusandum excogitatę fuerunt, sic seipsas destruunt, & nullius sunt roboris. A

Enimuero rationi dissonum est, affirmare, signum arrogantiæ esse, si Patres Synodorum, in decretis quæ Ecclesiæ exhibent tenenda, venerationem præcipiant. nam veneratio illa sanctis legibus, & non sibi ipsis predicant. & cum Patres sæpissimè hoc fecerint, vt versatis in Actis Synodorum patet, non tamen arrogantiæ nota infici debent. inanes ergo sunt huiusmodi coniecturæ. B

Ad exemplum Apostolorum & Euangelistarum, dico ineptum esse & Ioanni Apostolo contumeliosum; qui in fine libri Apocal. sic scripsit. [Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius: si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto, & si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto.] Si Apostolis & Patribus similia pro suis scriptis mandare non decebat, iuxta hanc Ephesij opinionem, errasset Ioannes qui hæc pro suis scripsit iussit. hoc autem affirmare minimè licet. Dicendum ergo est Apostolos similia non præcepisse quia simpliciter necessarium non erat, licèt incongruum non fuisset: non autem ob id quod Ephesius, ad aliam excogitatam opinionem tuendam, excogitauit. C

Cyrilli verò auctoritatem ab Ephesio pro se citatam, nihil penitus contra nos habere, dicimus; quandoquidem Cyrillus contra Nestorium, & ipsius patrocinatores, qui alium & falsum Symbolum ediderant, id non licere, pronunciat; eo scilicet modo quo supra explicauimus, nempe falsa addendo, & quæ à Synodis apposita & explicata fuerunt minuendo; quod Nestorius cum suis sequacibus patrauerat; nec à particularibus, qui in vniuersali Ecclesia leges ferendi non habent potestatem, id posse fieri etiam significans: & præterea nihil.

Et sequentes Synodi cùm pariter sanxerunt, vt aliam fidem conscribere, aut componere, aut sentire, aut docere liceat nemini: hoc idem quod diximus, & iuxta hunc eundem sensum docuisse, ac suis decretis confirmasse asserimus. D

Ad obiectionem Bessarionis ex octaua sessione, quæ postulat an Romanæ Ecclesiæ hanc facere additionem licuerit, satis dictum est, cùm primæ Græcorum obiectioni satisfecimus. nam decretum huiuscemodi tertiæ Synodi morale est, vt ostendimus: idcircò Romanæ Cathedræ omnino subiacet; & legitima accedente causa ab ea solui potest. vt ijdem Græci Patres olim nouerunt: nam contra consimiles sacros canones quidam Constantinopolitanæ Vrbis Episcopi ex laico statu ad eam dignitatem assumpti fuerunt: quod vt esset legitimum, Romanæ cathedræ consensus requirebatur, vt eas solueret leges, vt præcipuè patet de Anatolio, in quarta Synodo, & de Tharasio in sexta Synodo. Et octaua Synodo celebrata, Ignatius auctoritate Romanæ cathedræ suæ Constantinopolitanæ sedi restitutus vna

A cum Imperatore, Adriano Romano Pontifici supplices literas miserunt, vt super quosdam Photij sequaces, eo quòd vtiles essent, leges Ecclesiasticas soluere dignaretur. quod ergo veteres Græcorum Patres opere compleuerunt, & recentiores seruare debent. vel dicendũ est Romanam Cathedram cùm Græcis placet, hoc ius habere, & cùm Græcis non placet, non habere?

Ad aliam Bessarionis obiectionem ex sessione nona, qua Romanam Petri cathedram generali Concilio subiectam esse fatetur, dicimus hanc sententiam adeo falsam esse, vt nihil distet ab hæresi: vt Tomo primo libro 2. disput. 4. fusè probaui. & quomodo Petri Cathedra generali Concilio subest, si Græcis petentibus morales leges Conciliorum generalium soluit: Concilia generalia quandoque non ritè celebrata iudicat & damnat. Con-
B cilia generalia, ipsis petentibus confirmat & rata habet, & partes aliquas reprobat, vt vltimam sessionem quartæ Synodi de superflua & immoderata Constantinopolitani Episcopi exaltatione? enimuerò qui ab aliquo tribunali iudicatur, & eidem tribunali subest. & leges latæ si ab aliquo solui possunt, & eidem esse subiectas, omnino asserendum erit. res plana est: Ad Ephesij sermonem sesta sessione habitum, de Octaua Synodo pro restitutione Ignatij celebrata, quam ipse Ephesius in omnium Græcorum Patrum sententiam cassatam & irritam fuisse dixit: Respondeo, mirum esse vt Ephesius hanc Octauam Synodum irritam fuisse proclamauerit, dum in ea Ignatius communi latinorum & Græcorum sententiam restitutus fuit, & Photius, vt illius sedis inuasor, iudicatus est: si hæc vsque in præsentem diem
C rectè facta censentur, cur Synodus quæ talia iustè fecit irritanda erat? etenim mirabile hoc est, vt Synodus, ad aliquam dirimendam causam coacta, cassari possit, & sententiam quam eadem Synodus tulit, iusta & sancta æstimetur & sit. hæc enim sunt sibi inuicem contradicentia, vt patet. nam si etiam huius temporis Græcos quisquam interrogauerit, an Ignatius fuerit iustè restitutus, & Photius rectè depositus: æquè vtrumque factum affirmabunt. quomodo ergo Synodus quæ hæc decreuit cassanda sit, ipsi videant.

Numquid si Photius deinceps sui sceleris pænitentiam egerit, & post Ignatij obitum illius successor electus fuerit, ideo illud scelus non commisisse asserendum erit, & Synodum quæ suum scelus iustè iudicauit irritandam vel irritam censere debemus? absit à Christi discipulis, quod Apostolus
D Paulus in Epistola secunda ad Cor. cap. 1. damnat & improbat. [Aut quæ cogito secundùm carnem cogito, vt sit apud me est & non? Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo est & non &c.] Quod ergo in causa Ignatij & Photij sancitum fuerat ab Octaua Synodo, est, in illa fuit, idest iustè verèque decretum fuit. insulsum ergo est, illam Synodum dici debere cassam, affirmare: cum semel ab Vniuersali Ecclesia pro legitima accepta fuerit. Anastasius bibliothecarius de hac Octaua Synodo disserens, cum in illa Romanæ cathedræ suprema potestas & Ecclesiæ Constantinop. ad illam subiectio, maximè fulgeat; Græcos toruo animo Acta illius Synodi sustinuisse affirmat: hæc itaque causa est vt Græci hanc octauam Synodum abijcere voluerint. Ex ipsa autem Ignatij Patriarchæ appellatione ad Romanam Cathedram delata, qua sedem Apostolicam prouocabat, vt suas partes tueri dignaretur, pro qua re exequenda ipsa, de

qua loquimur, Octaua Synodus coacta fuit, huius rei veritas patet, nempe suprema dignitas Romanæ Cathedræ, & subiectio Ecclesiæ Constantinop. ad illam. quamobrem eiusdem Appellationis exemplar hîc inserere volui, quod tale est. & habetur tomo 3. Conciliorum pag. 877. A

[Libellus de tota Ignatij causa missus ad Nicolaum Papam Romanum, Ignatij Patriarchæ nomine, à Theognosto Monacho & Archimandrita veteris Romæ, & exarcho Constantinopolitano scriptus.

Ignatius tyrannide oppressus multisque ærumnis conflictatus, iuxtaque mecum infælicium temporum Metropolitani decem & quindecim Episcopi, Coenobiarcharum insuper ac Præsbiterorum, Monachorumque infinita multitudo, Sanctissimo Domino nostro & Beatissimo Præsidi, Patriarcharum Patriarchæ, Sancti Petri Principis Apostolorum successori, B Papæ Oecumenico, Episcopisque illius Sanctissimis, & Sapientissimæ Ecclesiæ Romanæ vniuersæ, in Domino salutem.

Quis dabit capiti meo aquam &c. Hæc autem Appellatio fusè exarabitur, cum de Ecclesiæ Constantinopolitanæ appellationibus differemus, ista huius appellationis inscriptio, ad ea quæ asserimus probanda, sufficiat.

Dices pro Græcis Patribus. Ioannes Romanus Pontifex huius nominis octauus, Adriani successor, Photium post Ignatij obitum restituit, super decreta octauæ Synodi dispensauit, & Photius Constantinopolitanus Patriarcha electus fuit: hinc sequi videtur ipsam Romanam Cathedram, Octauam Synodum cassasse, cum aliam octauam Synodum indixerit & celebrauerit. C

Respondeo falsissimum esse, & à veritate maximè dissonum, Conciliabulum Constantinopolitanum à Photio celebratũ, auctoritate Ioannis Papæ fuisse coactum; cum ipse Photius more solito hanc patrauerit iniquitatem; vt censuras cæterasque pœnas à vera Octaua Synodo, contra ipsum iustè latas, abijceret atque destrueret. Et Conciliabulum satanæ fuisse, optimè Card. Baronius probat, & pariter Card. Bellarminus affirmat: quia omnes illius temporis historici, nempe Curopalates, Cedrenus, Zonaras, Glicas, Constantinus Manasses, & alij, de vera Octaua Synodo sub Adriano Papa mentionem faciunt; at de hac falsa Synodo tempore Ioannis Papæ nec vnum quidem verbum proferunt: quod minimè prætermisissent, si reuera celebrata fuisset: sed quomodo Photio præstanda est fides, qui tot scelera contra Ignatium Patriarcham patrauerat, vt nec Turcarum tyrannus hac D tempestate contra Græcos talia operetur? Hinc est quod etiam ex latinis Doctoribus plerique ipsum Ioannem Pontificem minimè commendant, quòd Photio communionem restituerit, cum ipsum in Patriarcham eligi, vel iure electum esse sedis Apostolicæ auctoritate probauerit; & super Sacros canones dispensauerit. at ego hanc causam examinans & percurrens, Ioannem Pontificem, eoquod hæc Photio concesserit, venia saltem aliquo modo dignum esse existimaui; Basilio Imperatori huiusmodi culpam iurè obijciens. Ratio est; quia ipse Constantinopolitanus Imperator Ioannem Pontificem pro Photio restituendo enixè rogauit, asserens summam pacem ex re huiusmodi inter Græcos futuram. & ipse Photius Regnum Bulgariæ quod ad Romanæ sedis diæcesim spectabat, se non amplius occupaturum promiserat: vt infra per Ioannis Epistolas, quas in his rebus dedit, ostendam.

Igi-

A Igitur omnia quæ Photius in sua Synodo protulit, mendacia, calumniæ sunt & imposturæ: nec Legatis consentientibus, sancitum est particulam filioque à Symbolo auferendam esse, & Octauam Synodum irritatam fuisse, & cætera similia quæ læuiter & iniquè excogitantur. Nam Ioannes Pontifex Legatos pro generali Synodo celebranda non instituit, vt ex illius literis constat; sed tantùm ad dispensationem super Sacros Canones in hac causa promulgandam, & ea quæ in ipsa Vrbe fiebant, examinanda, & exactè perspicienda, quod patet ex epistola Ioannis Pontificis ad Paulum Anconitanum, & Eugenium Ostiensem Constantinopoli degentes, quæ sic habet. [Vos huic Petro religioso præsbitero Cardinis nostri, familiarique nostro sociamus. quatenus ea pro pace & vnitate Ecclesiæ Dei agenda B sunt, secundùm Apostolicos nostræ auctoritatis apices, & secundùm commonitorij nostri tenorem capitulatim descriptum, sagaci valde intuitu simul agatis &c.] Qui etiam Pontifex Photij calliditatem animaduertens, ne suorum Legatorum præsentia imposturas aliquas composuerit, in epistola responsali quam ad Basilium Imperatorem, post Legatorum ad Vrbem reditum, misit, sic summa prudentia scripsit. [Ea quæ pro causa restitutionis Reuerendisimi Photij Patriarchæ synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recepimus. Et si fortasse legati nostri in eadem Synodo contra Apostolicam præceptionem præceperint, nos non recipimus, nec iudicamus alicuius existere firmitatis.] & hæc eadem ipsi Photio scripsit, estque epistola Ioannis Papę 250. omnia ergo quæ in Græ-C corum scripturis tempore Photij exarata reperiuntur, igni commendanda sunt: ne Patres Græci quæ suis annuis cæremonijs exercent, contra Apostolicæ sedis doctrinam obijciant: quia vt fide indigna & à Photio excogitata abijcimus atque repellimus.

Exemplar epistolæ Ioannis Papæ Octaui ad Constantinop. Imperatorem in causa dispensationis super Photium, iam ab octaua Synodo excommunicatum, & ab omni sacerdotali dignitate depositum. quæ epistola ab eodem Photio sic deprauata & corrupta fuerat, vt notat Cardinalis Baronius, quòd nisi Romæ aliud exemplar extitisset, ipse Ioannes Pontifex quasi à serie Pontificum esset auferendus: tot impietates Photius ingratissimus in præfata epistola inseruit, vt hæresis nota ipse fædatus æxtimandus esset. Hæc ergo sunt quæ à Photio accepit pro gratiarum actione Roma-D na Cathedra.

[Dilectissimis ac Excellentisimis spiritualibus filijs nostris Basilio, Constantino, & Alexandro gloriosisimis Imperatoribus semper Augustis.]

Inter claras sapientiæ, & mansuetudinis vestræ laudes, ò Christianisimi Principes, aliquando cum puriore luce summæ deuotionis longè lateque resplendet, quod amore fidei, quod charitatis studio, disciplinis Ecclesiasticis edocti Romanæ sedi reuerentiam more prædecesorum vestrorum pijsimorum Imperatorum conseruatis, & eius cuncta subijcitis auctoritati ad cuius auctorem hoc est Apostolorum omnium Principem, Domino loquente præceptum est: Pasce oues meas, &c.

Igitur petistis à nobis, quatenus sede Apostolica sua pandente viscera pietatis, Photium reuerendisimum in Patriarchatus honore, in summi sacerdotij dignitate receperimus, nostræque communionis participem facе-

remus

remus, ne Ecclesiam Dei tanto iam tempore perturbatam pateremur amplius manere diuisam, scandaloque commotam. Nos itaque serenitatis vestræ preces congrua ratione admittentes, quia Ignatium piæ memoriæ Patriarcham de præsenti vita iam migrasse cognoscimus (hanc particulam abstulerat Photius) temporis ratione perspecta, hoc modo decernimus ad veniam pertinere, quod nuper de ipso Photio, licèt ipse absque consultu sedis nostræ officium sibi interdictum vsurpauerit, gestum constat fuisse. (& hæc etiam mutauerat Photius.)

Nos statutis Apostolicis non præiudicantes, nec beatorum Patrum regulas resoluentes, quin potius earum auctoritatibus freti, qui Nicæni Concilij capitulo secundo apertissimè dicunt: quoniam plura ante per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus, aduersus Ecclesiasticam facta sunt regulam. Hinc & Gelasius Papa dicit, quòd vbi nulla perurget necessitas constituta patrum inuiolata seruentur, &c. B

Nunc itaque alijs Patriarchis, Alexandrino videlicet & Antiocheno, & Hierosolimitano, atque omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, & Sacerdotibus; cunctoque Clero Constantinopolitanæ sedis, qui de ordinatione beati Methodij, & Ignatij reuerendissimorum Patriarcharum existunt: vna voluntate parique voto consentientibus; eundem Photium satisfaciendo, misericordiam coram Synodo secundum consuetudinem postulantem (& hæc abstulerat Photius (in vera dilectione fratrem, in Pontificali officio comministrum, atque coram Synodo misericordiam quærendo, in pastorali magisterio consacerdotem, pro Ecclesiæ Dei pace, & vtilitate, amodo, Christo fauente, recipimus & habemus. C

Quia & vos Christianissimi Imperatores Augusti, qui sanctæ Reipub. clementissimo affectu gubernatis Imperium, pro Christo fungi legatione videmini, dum pro pace rogatis Ecclesiæ, & nos quibus secundum Apostolum, omnium Ecclesiarum Dei solicitudo incumbit, controuersiam aliquam (hæc omnia vsq; ad caput sequens Photius abstulerat) in Ecclesia Dei amplius remanere nolentes: hunc ipsum Patriarcham cum omnibus siue Episcopis, siue presbyteris, siue cæteris clericis & omnibus laicis, in quos diuini iudicij fuerat censura prolata, ab omni Ecclesiasticæ sanctionis vinculo absoluimus, sanctęque Constantinopolitanæ Ecclesiæ iudicamus recipere sedem, Dominique gregis esse pastorem, illa scilicet potestate fulti, quam Ecclesia toto orbe diffusa credit nobis in ipso Apostolorum Principe à Christo Deo nostro esse concessam, &c. D

Eo tamen tenore ista statuentes, Apostolica dumtaxat auctoritate, & sanctorum patrum venerabilibus institutis decernimus, vt post huius Patriarchæ obitum, nullus de laicis, vel curialibus in Patriarchatus eligatur & consecretur honore, nisi de Cardinalibus presbyteris & diaconibus Constantinopolitanæ sedis, secundum sacros canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, &c.

Hoc etiam modo ista Excellentiæ vestræ præcibus moti fieri iubemus, si ipse Patriarcha, Bulgarorum diœcesim, quam piæ memoriæ Nicolaus præcessor noster, Michaele ipsorum Rege petente, Apostolicis doctrinis docuit, & per venerabiles Episcopos suos lauit vnda baptismatis, omnique Ecclesiastica regula & disciplina, prout oportebat instruxit: à modo

suo

A suo iure vendicare, vel remittere nullo modo præsumpserit; nec aliquam cuiusque honoris ibidem ordinationem fecerit &c.

Habetur deinceps altera eiusdem Ioannis Pontificis epistola, cuius titulus & inscriptio sic habet. [Reuerendissimis & sanctissimis omnibus episcopis & Confratibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ sedem respicientibus &c.

Quorundam sanè vestrum fratres charissimi scripta suscipientes &c. Quòd verò sollicita intentione vestra petit dilectio, vti auctoritate beati Apostoli principis Apostolorum Petri, vobis Photium patriarcham in regia Vrbe Constantinopolitana fore consentiamus, illud animo luce clarius retinetis quod in euangelio primo pastori Dominus ait. Ego pro te rogaui
B Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. His hortatibus succensi imò potius corroborati, in quantum sine graui offensione valemus auxilium ferre, tam cunctis Domini sacerdotibus, quam vniuerso in Orbe terrarum Christiano populo, nunquam desinimus, sequentes prædecessorum exempla, de quibus sanctæ memoriæ Hadriani Papæ in Tharasij nuperrimè regiæ Vrbis Patriarchæ confirmatione, hæc interim ponimus verba; (habentur in epistola Hadriani primi ad Constantinum & Irenem Imperat.) inter reliqua inquit. Ipse enim Tharasius regiæ vrbis Patriarcha misit nobis Synodicam, priscam adimplens consuetudinem, quam suscipientes & liquidius indagantes, & tam de fassione fidei eius, quam dogmatum sanctorum sex Synodorum, & veneran-
C darum imaginum ouantes, nimis iterum conturbati ac contristati sumus; quia ex laicorum ordine, & Imperialibus obsequijs deputatus, repente in Patriarchatus culmen electus est & a caliga militari, contra sanctorum Canonum censuram factus est Patriarcha. Et quod dicere pudet, & graue tacere est, qui regendi adhuc & docendi, sunt doctores, nec erubescunt videri nec metuunt, ducatumque animarum impudenter assumunt, quibus via omnis ignota doctoris est, quò vel ipsi gradiantur ignari sunt: quod quàm prauum, quamue sit temerarium, sæculari ordine & disciplina monstratur. nam dum dux exercitus, non nisi labore & sollicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse possunt, qui in episcopatus culmen immatura cupiunt festinatione ascendere? Huius saltem rei comparatione considerent, & aggredi repente inexpertos labores abstineant,
D quippe qui non didicerint quod doceant; vnde canonica instituit censura, nequaquam ex laico ad Sacerdotium repentè transire &c. Et postea. Et si parochiam Bulgariæ gentis, quæ Deo auctore Beati Petri Apostoli intercessione atque prædecessorum nostrorum labore ad Christum conuersa est, subducta quam ibi fecistis, illicitam ordinatione reddideritis; & abiectos quosque fratres ac discordantes vestro labore reconciliaueritis cum prædicto Photio, quem Patriarcham in regia Vrbe desideratis habere, alijsque pijs operibus offensionem, quam coram Deo & sanctis canonibus contraxistis in hac parte, recompensaueritis. Venerabilem fratrem Photium coram Synodo misericordiam quærendo, & Patriarchatus honore fungi, volumus, & nostræ communionis, imò & beatorum Apostolorum, seu omnis Ecclesiæ fore, Domini miseratione participem &c.

Et altera postea subsequitur eiusdem Ioannis Papæ epistola ad Photium directa

directa: qua illum Patriarcham Constantinopolitanum constituit; dummodò in Synodo veniam postulet; decernit ne deinceps vllus e laicis in eadem Ecclesia statim Episcopus ordinetur. & iubet Bulgaricam diæcesim Ecclesiæ Romanæ restitui. A

Et altera tandem in eadem causa adest Ioannis Papę epistola,quę talis est.

[Reuerendissimis Paulo Anconitano, Eugenioque Hostiensi Episcopis.]

Quamuis contra nostram egeritis voluntatem & Constantinopolim venientes, inquisita causa Ecclesiæ pacis & vnitatis, Romam reuerti, nobisque omnia sub certa relatione debebatis referre: & quia primam legationem vobis commissam, idoneè non peregistis, secundam vobis ideo committere non debebamus: tamen Apostolicæ miserationis benignitate vtentes, & in hac secunda legatione fideliter perficienda, vos huic B Petro religioso præsbitero, Cardinalis nostri, familiarique nostro sociamus; quatenus ea quæ pro pace & vnitate Ecclesiæ Dei agenda sunt, secundum Apostolicos nostræ auctoritatis apices, & secundum commonitorij nostri tenorem capitulatim descriptum, sagaci valde intuitu simul agatis: & ita definiatis, vt gratiam nostram, quam prius inobedienter agendo exasperastis, nunc fideliore deuotione operando, placabilem habere possitis. Data mense Augusti, indictione 12.

Igitur de pseudo Synodo à Photio congregata patet quid sit pronunciandum. cum à Photio omnium scelerum architecto, vel confictam esse vel corruptis Legatorum epistolis, ea omnia illum patrasse, constet quæ ab Ephesio in Concilio Florentino obijciuntur, & contra veram octauam Synodum facta annuuntur. Præterea huic Conciliabulo, ipsius Acta Photium præsedisse testantur; ergo non fuit generalis Synodus, cui Romanæ Cathedræ Legati præsidere debent, sed Nationalis. si ergo nationalis extitit: quomodo generalem Synodum improbare poterat? C

[Et quia dicitur ibi Spiritus Sancti processionem à Patre & Filio impugnatã fuisse; & à Ioanne Papa octauo id ratum factum esse; hoc Photius more suo per calumniam impingere Ioanni Papæ studuit. cum Ioannes legatos, non nisi ad Photij assumptionem ad Patriarchalem dignitatem examinandam & confirmandam miserit & deputauerit, vt eius epistolæ apertè testantur. & præter hoc omnia acta per legatos suos deinde, vt dictum est irritauerit & cassauerit.

[Imò in Stephani Papæ epistola, ad Basilium Imperatorem scripta & directa, D legimus, Photium deinceps à Romana cathedra excommunicatum fuisse & Marinum Episcopum ab eodem Ioanne Papa octauo ad irritanda & improbanda quæcunque Photius in Conciliabulo statuerat, missum esse. Epistola autem Stephani Papæ hæc est, & habetur tertio tomo Conciliorum pag. 1020. vbi sic legitur.

Epistola

Digitized by Google

A *Epistola prima Stephani Papæ sexti ad Basilium Imperatorem, qua eum ob defensionem Photij redarguit, & contumelias Marino Pontifici obiectas refellit.*

LITERAS serenitatis vestræ ad Hadrianum (nempè tertium) prædecessorem nostrum missas accepimus. & mirati sumus magnificentiam tuam, quomodo talia scribere potuisti, cum sis iustitiæ æquilibrium, præsertim cum rectè nouerit pia potentia tua, quod manui regiæ non subijciatur sacerdotalis & Apostolica nostra dignitas &c. Datum est tibi curare, vt tyrannorum impietatem & feritatem gladio potentiæ concidas, vt iustitiam
B ministres subditis tuis, vt leges condas, vt terra marique militares copias disponas. Hæc est præcipua cura potentiæ & principatus tui. Gregis verò cura nobis commissa est tanto præstantior, quantum distant à cælo ea quæ in terris sunt &c.

Ille quidem qui aduersus sanctissimum Marinum sacras aures tuas contumelijs maculauit, aduersus Dominum nostrum Iesum Christum, qui nutu suo vniuersum Orbem regit, blasphemias effutire, proculdubio non dubitauit. &c.

Si ouis Dei existis, (quod in votis habemus) ne transgrediaris limites Principum Apostolorum. Dic quæso te. Quis te seduxit vt Pontificem Oecumenicum comico more scommatibus lacesseres, & sacram Roma-
C norum Ecclesiam maledictis incesseres, cui cum omni veneratione subditus esse debes? An ignoras quod hæc omnium Ecclesiarum princeps existit? Quis te Pontificum iudicem constituit, quorum sacris doctrinis dirigi debes &c.

Dicat celsitudo tua, quibus accusatoribus, & quibus testibus affirmantibus, beatum Marinum fecisse quæ tu dicis, illum condemnasti? An ignoras, in prima Nicæna Synodo quod beatus Syluester Papa proclamauerit per Legatos, præsente ibi sancto Constantino, Vt prima sedes a nemine iudicetur? Quid deliquit sancta Romanorum Ecclesia, vt aduersus eam linguam tuam vibrare & concitare seductor iste induxerit? Num iuxta antiquum morem de Synodo Constantinopoli habenda ad te literas non dedit? num pro eadem Synodo curam non gessit? peto a te, cui nam
D scriberet Romanorum Ecclesia? laico scilicet Photio? si enim haberes Patriarcham, frequentius nostra Ecclesia illum literis visitaret. sed hei mihi, quòd ista gloriosa & a Deo custodita ciuitas Constantinopolis, Pastoris solatio est orbata, & sola regia tua potentia illustratur. & nisi amor quo te prosequimur cohibuisset, vt ferremus iniuriam nostræ Ecclesiæ illatam: coacti fuissemus aduersus præuaricatorem Photium, qui contra nos impura euomuit verba, grauiores pœnas infligere quàm prædecessores nostri.

Neque enim hoc dicimus ad tui contumeliam. Te enim in vniuerso Orbe Deo dilectum prædicamus, sed tantum ad nostram defensionem, & Marini maiorem gloriam, qui eadem sensit & sapuit cum prædecessore & doctore nostro Sanctissimo Papa Nicolao. Et qui dum voluit adimplere, quæ illi antea visa fuerant, in maximum deuenit apud vos contemptum & ludibrium diuinus ille Marinus. Et cum noluerit simul duci cum ijs qui

Marinus acerrimus fuit defensor octauæ Synodi generalis

 aliena

aliena sentiebant; & quæ ipse coram tua Maiestate Synodicè gesserat, dissoluere ac annullare & irrita reddere, propterea triginta diebus carcere fuit detentus: id sibi gloriæ potius tribuens quàm contumeliæ, pro vnitate pati &c. A

Ex his omnibus constat quàm ineptè Græci, qui fidem catholicam se tenere profitebantur, hanc de qua loquimur Octauam generalem Synodum improbatam fuisse, affirment. Quod autem Constantinopolitana Ecclesia singulis annis edicat. [Quæcunque in sanctos Patriarchas Ignatium & Photium scripta vel dicta sint, anathema esto.] Dico Constantinopolitanæ Ecclesiæ multùm expedire, iuxta Saluatoris nostri sanctionem, omnem suam fidem & Ecclesiasticas regulas & cæremonias Romanæ cathedræ sancti Petri examinandas committere: sic enim omni careret errore: & B
vera vnitas fidei catholicæ & Ecclesiarum adesset. non enim video quomodo Photius omni iniquitate & fraude plenus, & tot facinorum ac falsitatum architectus, Sanctus Patriarcha dici queat: cumque eius doctrina prophana fuerit, quomodo contradicentibus iustè anathema proclamari possit. nisi hoc Græci fecerint, & iustè fieri putauerint, ex eo tantùm capite, quia Romanæ cathedræ fuit hostis acerrimus, & in eam plures immisit contumelias. & quia octauam generalem Synodum in suo Conciliabulo Nationali irritam decernere voluit: vel quia ibi ab vniuersa Ecclesiæ Symbolum cum particula, ex filioque, iterum propositum, acceptum fuit. Ipsi Græci videant, an ad propriam ipsorum perditionem hæc omnia patrauerint. C

In obiectione ex sessione tertia, Ephesius Latinos accusat, schismatis causam, additionem particulæ [ex Filioque] in Symbolo fuisse, quod in Apostolicæ cathedræ cadit iniuriam.

Respondeo causam schismatis præcipuam esse & fuisse illos Constantinopolitanos Episcopos cum suis sequacibus, qui ad tantum fastigium ascendere voluerunt, vt Cathedræ S. Petri ineptissimè seipsos æquare tentauerint, adeo quod Constantinopolitanam Ecclesiam ab obedientia, veneratione, & subiectione, quam Christi Dei nostri vicario omnis Christianus Orbis debet, subtrahere voluerunt. hæc causa schismatis & iniquitas maxima extitit. idcirco S. Cyprianus, cuius laus in tertia generali Synodo habetur, ad sui temporis schismaticos in Africa degentes, aiebat. lib. 1. epist 3. [Non enim aliunde ortæ sunt hæreses aut nata sunt schismata quàm inde, D
quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus ad tempus Sacerdos, & iudex vice Christi cogitatur: cui si secundùm magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus Sacerdotum collegium quicquam moueret.] Quod autem maxima sit iniquitas, patet Deut. 17. vbi ad inobedientes summo Sacerdoti vniuersi populi fidelium, sic dicitur. [Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel,

Nec perpendentes quam debebant obedientiam Cathedræ Sancti Petri, ei obedientiam & venerationem exhibere indignum esse sensim æstimare cœperunt. & Petri piscatoris sedem, quam omni tempore Christiani Principes humiliter venerati fuere, adeo deprimere decreuerunt, vt eam anathe-

A thematizare, & hæresibus fœdatam esse, proclamare non dubitauerint. quod cæteris Orientis Patriarchis perniciosum extitit scandalum; nam & eundem errorem amplexi sunt, vt omnes etiam nunc experientia instruit, & hæc omnia quæ testamur, in huius Operis serie palam fient, & luculenter aperientur.

Dices, cùm Romana cathedra particulam [ex filioque] in Symbolo apposuit, cur Græcos non adunauit? & quo tempore hoc factum fuit?

Respondeo hoc factum fuisse eo tempore quo Agatho Pontifex Synodum Romæ coegit centum viginti quinque Episcoporum anno Domini 680. antequam sexta generalis Synodus, quæ est Constantinopolitana tertia, celebraretur. nam cum apud Agathonem Imperator instaret de sex-
B ta generali Synodo celebranda, ipse Agatho annuit, & hac occasione Synodum Occidentalem primùm coegit in qua fidem catholicam contra hæreticos Monothelitas declarauit, eamque generali Synodo sextæ, postea tenendam proposuit. & in hac eadem Romana Synodo Agatho particulam ex filioque Symbolo apposuit. & Symbolum cum hac particula legendum in sexta Synodo per Legatos misit, & lectum fuit. & hucusque in hac sexta Synodo sic Symbolum legitur. Græci autem affirmant se in sexta Synodo Symbolum, cum hac particula ab Agathone & Occidentali Synodo explicata, non habere. sed cur hoc non habeant, ipsi videant. Romana cathedra libros adulterare nunquam consueuit. experientia reos accusat & aperit.

C Occasionem autem Romana Synodus maximam, hanc in Symbolo apponendi particulam, habuit: cum in Occidentis Ecclesijs hæc tunc valde agitaretur quæstio, ad quam sedandam hæc Synodus cum Petri cathedra simul sic sanciuit.

At instabat Bessarion in Florentina Synodo sic. Agatho vt particularis doctor suam poterat proferre fidem: sed aliud est vniuersæ Ecclesiæ Symbolum tribuere, in quo fideles debent baptizari.

Sed pace tanti viri, Bessarionem his verbis multùm errare probabo. Etenim Agatho cum Synodo occidentali doctrinam fidei sextæ generali Synodo proponens, non est particularis, sed vniuersalissimæ Ecclesiæ doctor: & vniuersam Ecclesiam docere ius proprium est Romanæ Cathedræ Sancti Petri: & Bessarion perpendere debuit, magnum esse discrimen
D inter Synodum Nationalem, vbi non præest summus Pontifex: & inter eam vbi ipse consultò præest; prior errare potest in fide, nec Ecclesiam vniuersalem docet & instruit: secunda autem vbi scilicet præest summus Pontifex, nec errare potest in fide, & vniuersalem Ecclesiam docet & ligat, cùm præcipuè fidei controuersias dirimit: & in hoc genere à generalis Synodi iure non differt. Enimuero si Papa cùm Occidentali Synodo fidei controuersias declarat, proculdubio vt diximus, vniuersam tunc docet Ecclesiam, quæ tali doctrinæ opponi nequit, nisi à Catholica fide deficere velit. hæc enim errorum, quos Græci habent causa potissima existit: quia ius Romanæ Cathedræ paruipendunt: & quale sit, & cuius firmitatis, animaduertere negligunt. qui autem huic doctrinæ aduersatur, à fide Catholica omnino deficit.

Nec sexta generalis Synodus huic Agathonis doctrinæ de Spiritus Sancti

 proces-

processione repugnauit quia hac de Spiritus Sancti processione doctrina A manifestè habetur in tertia Synodo generali: nam Cyrillus qui nomine Cælestini Papæ tertiæ generali Synodo præsidebat, Theodoritum, qui partes Ioannis Antiocheni & Nestorij tuebatur, & falsam de processione Spiritus Sancti doctrinam protulit, apertè refellit ac retundit, docuitque Spiritum Sanctum etiam à filio procedere. quamobrem in disputatione de re huiusmodi infra exaranda, sic opinantes, Theodoritanos & Photianistas nuncupandos esse, ostendam.

Et hanc doctrinam Agathonis, in vniuersali Ecclesia tunc manifestam esse, probo, quia in septima generali Synodo Actione tertia Tharasius Constantinopolitanus Patriarcha, fidei Catholicæ seriem exponens, & fidei Symbolum proponens, sic ait. [Et in Spiritum Sanctum Dominum B viuificantem: qui ex Patre per filium processit &c.] & illud per filium, ex filio significare, & à filio, suo loco cum omnibus Doctoribus demonstrabitur. Doctrina itaque de processione Spiritus Sancti ex filio, aperta erat. & in octaua Synodo hoc eodem modo Symbolum lectum & propositum & acceptum fuit. licèt Photius, vt Romanam Ecclesiam calumniari valeret, post annos oppositum proclamare tentauerit. si ergo in Concilijs generalibus Symbolum cum particula filioque propositum & acceptum est, cur græci quæruntur id sine Concilijs generalibus declaratum fuisse? Patet itaq; Romanam Cathedram omnibus Nationibus annunciasse, se Symbolo particulam ex filioque apposuisse: cum Symbolum cum hac particula, generali Synodo sextæ per suos Legatos transmiserit. C

Dices insuper, poterat Agatho Pontifex Græcis præcipere vt Symbolum cum hac particula filioque addita solemniter reciperent.

Respondeo, vtique id potuisse, & suas partes iam exequutioni mandasse, cùm Symbolum cum ea particula vniuersæ generali Synodo promulgauit. cæteræ Nationes partes suas etiam exequantur, in doctrina scilicet Petri cathedræ recipienda, & cum veneratione seruanda, & omnia benè se habebunt. qui autem in hoc munere deficit, varias tricas ingreditur, & plenus hæsitationibus & ambiguitatibus, totum Christianum Orbem superfluis quæstionibus miscet & catholicam fidem dimittit. vt experientia in præsenti causa quosque monet.

Cum autem Patres Græci sæpè, vt in huius Synodi Actis legitur, oratione iterabant, se veteres Patres vereri, qui nullam posse Symbolo declaratio- D nem & additionem fieri decreuerunt; vt ipsis præfatæ tertiæ Synodi canonem interpretari placuit, si ita res est: Cur ergo & alios veteres eorum Patres, qui in octaua Synodo simul cum Romana Cathedra & Occidentali Ecclesia, Symbolum cum particula filioque recitauerunt, non verentur? cur & cæteros eorum veteres Patres, qui in Concilio Lugdunensi generali, ter græcè, terque latinè Symbolum cum particula ex filioque cecinerunt, & cantandum semper in Ecclesia decreuerunt, non verentur? vtrique sunt Patres: & Ecclesia catholica semper eadem est, eandemque habet auctoritatem. vnde quæso huiusmodi reluctatio? numquid quia sedi Piscatoris obedire & subesse pudet? quid si ob hanc repugnantiam nunc Maumethico flagello eos obedire contingit?

Nec Græcos quosdam mihi obijcere puduit: ideo Concilium Florenti-

num

A num conclusionem aliquam obtinuisse: quia summus Pontifex, Archiepiscopis, Rutheno, & Bessarioni Nicæno. Cardinalatus dignitatem spoponderat, vt de facto eos ad Cardinalatus munus assumpsit. Sed inquam, omnia peruersæ possunt peruertere mentes, vt Doctor Seraphicus Bonauentura in opusculo ad Nouitios docet. Post Florentinum Concilium absolutum, perpendens summus Pontifex pijssimus Pater modum quo Græcorum Nationem cum Romana Petri Cathedra perpetuò connectere valeret, Prælatos duos morum grauitate, & doctrinæ excellentia inter eos præstantiores, ad eam dignitatem assumpsit, vt omnem teneret viam ad propriam Paternam dilectionem, quam erga Græcos seruabat, aperiendam: ne Natio illa, in qua olim fides catholica, sanctitas morum, & doctrina
B valde viguit, à catholica Ecclesia amplius excideret. nihil tamen Romana Petri Cathedra profecit. quamobrem vltor tot facinorum Deus, ea fecit, quæ vniuerso Orbi sunt manifesta.

Et quod mirabile est, huius dissidij causam Romanam cathedram esse dixerunt. sed huic obiectioni aptè Episcopus Colossensis sess. 3. satisfecit, dicens. Nam si, vt asseritis, verum esset nos à vestra pace discessisse, quando eam à nobis repetistis? quando Legatos ad renouandam ipsam ad nos misistis? siquidem amicitiam nostram, quam modo velle videmini, antea quoque voluissetis, eam proculdubio vt nunc facilè habuissetis. Nonne Gregorius Summus Pontifex ad celebrandum Lugdunense Concilium nuncios ad Constantinum Imperatorem, atque ad alios Orientales
C Principes miserat, quando etiam rem ipsam concordi pace composuit? non igitur Romanam Ecclesiam pacis recusandæ incusare vestro iure potestis: cum ab ipsa pax semper summa religione sit culta, quæ in posterum etiam eius pro dignitate seruabitur. sed de his hactenus.

Ad id quod sessione vigesima quinta obiectum fuisse legitur, nempe. [Tunc Ephesius prolixam habuit orationem, & in peroratione protulit Latinos hæreticos nedum schismaticos esse, idque Orientalem Ecclesiam tolerasse, quod genus ipsorum maius ac fortius esset: propterea que Græcos tot annos ab eis disiunctos esse, quòd hæretici sint &c.]

Respondeo hanc hæresis notam ex resolutione controuersiæ de processione Spiritus Sancti pendere. quamobrem si Spiritus Sanctus non procedit à filio, Ephesius Latinos esse hæreticos iurè affirmauit. at si ex Filio sicut ex
D Patre procedit, vt res se habet, & infra demonstrabitur, ipse Ephesius cum sequacibus suis hæreticus erit.

Et ex his verbis Ephesij, sic eos Petri Romanam Cathedram in eorum sententia in profundum proiecisse animaduertimus, vt nos hæc narrare non solùm erubescamus, verùmetiam tædeat. nam opinabantur licuisse Episcopo Bizantij, qui sub Heracleensi parecia fuerat, illam anathematizatam & hæreticam esse, sancire & decernere. ò inauditam peruersitatem & Luciferianam perfidiam, Christianis vocibus prorsus indignam? Cur Ephesius & qui cum ipso sunt non perpendunt, omnes generales Synodos in rebus fidei sancitis, ad hoc vt verè sancitæ sint, à Petri Cathedra confirmationem suppliciter petijsse? cur sensim ad tam infimam huius sanctissimæ sedis æstimationem tandem descenderunt, vt hæreticam eam euasisse se potuisse decernere dicant? Cuius ergo est ex diuina sanctione hæreses

Digitized by Google

postremo te & refellere, tandem ipsa hæresibus succubuit? Deus misereatur A
vestri super huiusmodi insanias.

Si Petri Cathedra & vniuersa Occidentalis Ecclesia hæresibus succubuit, ergo Beatus Pater Seraphicus Franciscus, & Beatus Pater Dominicus sanctissimus, qui prodigium fuere sanctitatis, dum tempore quo schisma apud Græcos feruentius vigebat, floruerunt, Romanæ Cathedræ Sancti Petri obsequentissimi filij, hæretici dicendi erunt? Igitur & Beatus Ignatius qui postremò in Orbe claruit, & Romanam Ecclesiam sua sacra Societate, quæ omnibus virtutibus emicat, illustrauit, hæreticus erit, quia Romanæ Cathedræ tenuit fidem? Itaque & omnes præfatorum Sacrorum Ordinum beatos Patres, & innumeros Sanctos Martyres, Doctores, Virgines & Confessores, quibus à Deo præfati Ordines decorati fuerunt hæreticos nuncupare licebit? B

At quia omnes ferè huius temporis Græci, vt me experientia docuit, hoc eructare non verentur: super illorum perditione, misericordia motus, flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, dicens:

Conditor Cœli & terræ, Rex regum, & Dominus dominantium, terribilis, omnipotens, iustus & rectus, qui nos de nihilo fecisti ad imaginem, & similitudinem tuam; & Vnigeniti filij tui sanguine redemisti; quem ego peccator non sum dignus nec ore inuocare; Te suppliciter deprecor, & humiliter exoro, vt gemitus nostros Clementer exaudias: non enim in iustificationibus nostris præces nostras prosternimus, sed in multitudine miserationum tuarum. Respice Græcorum Nationem, & templa tua infidelium manibus prophanata, & Christiani nominis afflictionem: reminiscere C hæreditatis tuæ, vineamque plantatam dextera tua visita, quam exterminauit ferus aper de silua. Tu inquam qui verus fons luminis & Sapientię diceris atque supereminens principiū, infundere dignare super intellectū eorum catholicæ fidei mirabile & supercæleste lumen: nō ergo despicias eos, sed secundum multitudinem miserationum tuarum miserere eis, & propitius esto illis. dic illis, salus tua ego sum, qui dixisti, Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. conuerte te Domine ad eos, & conuertentur ad te. In tua enim ditione cuncta sunt posita, nec est qui possit resistere voluntati tuæ. Omnia ergo quæ induxisti super eos mala, & vniuersa quæ fecisti eis in vero iudicio fecisti, & tradidisti eos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, & nunc confusio & opprobium facti sunt: sed ne D auferas misericordiam tuam ab eis, neque confundas amplius eos, sed fac cum illis iuxta mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordiæ tuæ, & erue eos in mirabilibus tuis & da gloriam nomini tuo Domine. & confundantur omnes qui ostendunt illis mala, confundantur in omni potentia tua, & robur eorum conteratur, & sciant quia tu es Dominus Deus, solus & gloriosus super Orbem terrarum. Obsecro itaque. Domine Deus custodiens pactum & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua: non obediuit Natio ista Petro Vicario tuo & successoribus suis, qui locuti sunt ei in nomine tuo, vt ambularent in lege tua, quam posuisti nobis per Sanctos Apostolos tuos: propter hoc Populus iste opprobrium est omnibus Gentibus per circuitum. Nunc ergo exaudi Deus noster orationem serui tui & præces meas, & ostende faciem tuam

pro-

A propter temetipsum, inclina aurem tuam & audi, aperi oculos tuos & vide desolationem eorum. respice de Sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, & visita Nationem istam, vetus propositum eorum innoua, mores corrige, & omnes actus eorum in tua voluntate dispone. intellectus illorum per te nouo lumine illustretur, affectus inflammetur, spes roboretur vita in melius emendetur, & tandem exitus bonus conferatur. Amen.

Sancta Florentina Synodus quæ à Latinis & Græcis Patribus concordi animo celebrata fuit, de processione Spiritus Sancti præcipuè disseruit, vt cunctis eam legentibus patet. Qua in disputatione plura quæ in superiore quæstione recensuimus ac reiecimus, Græci Præsules, Latinis Patribus, inter disputandum, obiecerunt. Verùm quia ea quæ in eadem Synodo obie-
B cta fuerunt, examinare proposuimus, vt hoc ipsum exactè exequutioni mandemus, duæ præcipuæ disputationes adhuc mihi videntur instituendæ. Prior est, An Spiritus Sanctus sicut à Patre, sic à Filio procedat. Posterior. An Synodus particularis, præsente & iudicante Papa fidei controuersias, vniuersam tunc obliget Ecclesiam. quia dixerat Bessarion Agathonem Romanum Pontificem in Concilio Romano centum viginti quinque Episcoporū Occidentalium, dum Symbolum cum particula Filioque sanciuit, & sextæ Generali Synodo per Legatos tradidit, non potuisse vniuersam Ecclesiam ad id credendum obligare. Quibus resolutis ad Appellationes in specie deueniemus.

C DISPVTATIO QVARTA.

An Spiritus Sanctus sicut à Patre, sic à Filio procedat.



DE origine Spiritus Sancti disputaturus, non aduersus Arrium Eunomium, & Macedonium disceptabo, qui Filium & Spiritum Sanctum creaturas esse opinabantur, & Filium à Patre, & Spiritum Sanctum à Filio productos dicebant; cum extra præsens sit institutum: sed contra Græcos Photianos seu Photianistas: qui & si Filij & Spiritus Sancti cum Patre consubstantialitatem firmiter ac veraciter teneant: attamen Spiritum
D Sanctum à solo Patre procedere opinati fuerunt.

Nec quisquam conturbetur, si dixerim hæresim hanc à Photio, qui ab octaua generali Synodo damnatus fuit, nomen accipere: eoquod huiusmodi error originem habuerit anno Domini circiter 398. à Theodoro Mopsuestiæ Episcopo, de quo fit sermo in quinta generali Synodo, à qua anathematizatus, est (nam Collatione quarta cùm impium eius Symbolum lectum fuit, hic inter cæteros errores ibi inuentus est. [Spiritum Sanctum neque Filium putantes, neque per Filium essentiam accipientem.) & deinceps à Theodorito Cyri Episcopo, qui illius fuerat auditor, contra Cyrillum Alexandrinum in tertio generali Concilio, seu tempore eiusdem Concilij, disputante, hic idem error prolatus sit. & postea à Constantino Copronymo Græcorum Imperatore iterum commemoratus ac promulgatus fuerit anno Domini 766. cùm contra cultum sacrarum imaginum insaniuit:

niuit: tunc enim huic errori addidit & alterum, docens nempe Spiritum Sanctum non à Filio, sed à solo Patre procedere. quia multæ sunt hæreses, quæ à potiore promulgatore sumpserunt denominationem, etsi alij prius eas adinuenerint. vt constat de hæresibus Manicheorum, quæ à Gnosticis habuerunt initium, tamen Manichei dicuntur, quia illarum iniquior ac procacior extitit promulgator. & de hæresi Arrij quæ Ebionis fuit, licèt Arrij dicatur, quia magis hæresim illam diuulgauit: & de hæresibus nostri temporis Lutheri scilicet & Caluini, quarum non fuerunt inuentores, sed tantum collectores, & nouatores, cum antiquitus originem & pariter damnationem habuerint: quia tamen illorum nemo sic illas dilatauit, vt præfati satanæ ministri fecerunt, Lutheri & Caluini denunciantur. A

Itaque licèt Theodorus Mosphestenus hunc de processione Spiritus Sancti à solo Patre, primùm pronunciauerit errorem, tamen sic per Photium creuit, & tale accepit augmentum, vt Græcorum Nationem, quæ sanctitate, litteris, armis semper laudabilis fuit, ita deiecerit atque prostrauerit, vt quæ hæresum expugnatrix extiterat, hæresibus miserrimè occubuerit, & quæ Ecclesiæ Catholicæ magna erat portio, ab eadem penitus (nonnullis exceptis qui fidem secum seruauerunt) per Photium scissa & diuulsa per plura sæcula prorsus existat. B

Hic autem Photius qualis fuerit, superioribus disputationibus manifestus apparuit. ad perfectam autem illius descriptionem ac delineationem, sume Optime Lector hæc sequuntur ex Binio tomo 3. Conc. pag. 911. 912. & 894. fideliter accepta. C

Photius, qui quidem insuperabilem petram.
Fraudibus malignis conturbauit insipienter,
Pellitur nunc, vt atrocissima fera.
A thalamo casto, & venerabilibus templis.
Satanæ pessimo miserrimisque tenebris.
Bene præmissus, & passus dignè.
A iudicibus rectè sentientibus atque sanctis,
Doctissimo videlicet Nicolao.
Adrianoque secundo Papa Romano.
Et Ignatio martyrium passo.
Et tribus reliquis sedibus Orientis.
Orthodoxis & sapientissimis valde. D

Duodecim hi versus iambici in Octaua Synodo Act. 8. à Græcis aduersus Photium prolati fuerunt, qui ab Anastasio Romano Bibliothecario latinè redditi sunt. & pag. 912.

Ingenium velox, audacia perdita, sermo.
Promptus, & Isæo torrentior, ede quid illum.
Esse putes?
Grammaticus, Rhetor, Geometres, pictor, alastor,
Augur, adulator, medicus, magus, omnia nouit.

Et Actione septima octauæ Synodi generalis hæc quæ sequuntur, contra Photium pronunciata leguntur.

Photio curiali & inuasori, anathema.
Photio sæculari & forensi, anathema.

A Photio neophito & tyranno, anathema.
Photio schismatico & damnato, anathema.
Photio architesto mendaciorum, anathema.
Photio mecho & parricidæ, anathema.
Nouo Dioscoro, anathema.
Nouo Iudæ, anathema.
Omnibus sectatoribus & propugnatoribus eius, &c.
Gregorio Siracusano quondam Archiepiscopo, & lampadio exauctorato, & anathemate resecto, anathema.

Cur ergo Ephesium nō puduit in Florentina Synodo, vt disput. præcedente dictum fuit, Photium commendare redintegratum? nimirum, quia
B ipse hæreticus Photianus erat in dogmate de Spiritus Sancti processione, vt experientia in fine eiusdem Concilij Latinos Græcosque Patres docuit.

Itaque hæresis hæc de origine Spiritus Sancti ex solo Patre, à Photio debere nomen potiùs accipere, quam à præfato Theodoro (ni fallor) mecum Amice Lector affirmabis.

At Priusquam ad probandum Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere descendamus, de iure particulam, ex Filioque Symbolo addendi, & de tempore quo hæc additio seu explicatio facta fuit, disserendum est. Nam Græci Patres non tantùm de Spiritus Sancti processione ex Filio, in Florentina Synodo dubitauerunt: sed appositionis in Symbolo huius articuli grauiter Romanam & Occidentalem Ecclesiam accusauerunt. Verùm
C quia Latini Patres à sexta & septima generali Synodo hoc ostenderunt sancitum, semperque ab vniuersa Ecclesia creditum fuisse probarunt, omnes Latinos codices dubios ac de veritate suspectos reddiderunt. Vt autem in re huiusmodi veritatem aperiamus, hæc præmittemus quæ immediatè sequuntur, & deinceps ad huius dogmatis probationem deueniemus.

Præcesserat ergo error Theodori Mosphesteni de origine Spiritus Sancti ex solo Patre, a quinta generali Synodo damnatus, & similiter Theodoriti Cyrensis episcopi, qui expresse super hoc dogma certauit cum Cyrillo Patriarcha Alexandrino sedis Apostolicæ Legato, tempore tertiæ generalis Synodi, nempe Ephesinæ, cuius doctrina contra Theodoritium ab Ecclesia Catholica approbata fuit, sicut & eiusdem Theodoriti doctrina reprobata. Præcesserat pariter Symbolum cum particula ex Filioque ab Agathone Papa
D in Romana Synodo 125. Episcoporum explicatū, & sextę generali Synodo per solemnes Legatos traditum. Præcesserat hæresis Copronymi Imperatoris & contra cultum sacrarum Imaginum & contra processionem Spiritus Sancti ex Filio, immediatè antequam septima generalis Synodus celebraretur. quis ergo sanæ mentis negabit quod tunc Latini Patres dixerunt, nempe septimam Synodum, cùm fidei Symbolum ante decretum de sacrarum imaginum legitimo cultu exposuit, apposuisse etiam, de processione Spiritus Sancti sermocinando, particulam ex Filioque, vt factum fuisse in latinis codicibus legitur? præcesserat enim error, ergo & damnatio illius adfuit: at damnatius non fuisset nisi in Symbolo particula ex Filioque fuisset apposita, quia aliud particulare decretum extra Symbolum non fuit sancitum.

Si Photiani dixerint, de hoc dogmate in septima Synodo non fuisse

N dispu-

disputatum sicut & de sanctarum Imaginum cultu factum fuit. Respondemus, non fuisse discussum, quia ab omnibus creditum erat; nam sciebant doctrinam Cyrilli contra Theodoritum in præsenti materia à tertia generali Synodo approbatam fuisse. nouerant Symbolum Theodori Mospheste-ni damnatum esse a quinta generali Synodo. legerant doctrinam de processione Spiritus sancti ex Filio ab Agathone Papa sextæ Synodo traditam, probatam esse: vt quid ergo nouam de hoc dogmate texere disputationem? A

Sed dices pro Græcis Photianis. in Symbolo ab Agathone Papa sextæ generali Synodo transmisso, in Græcorum codicibus particula ex Filioque non legitur.

Respondeo, libros corrumpendi Romanam Petri Cathedram nunquam habuisse nec necessitatem nec consuetudinem, vt docuit experientia, quæ etiam qui falsarij extiterint, ostendit: ergo reipsa fidei Symbolum Romana Synodus cum illa particula exposuit, & transmisit. B

Et quòd ita sit, duplici ratione ostendo. Prima est, quia iam præcesserant Concilia Nationalia in Hispania & Gallia, vt Toletanum primum anno D. 400. Hispanicum in causa Priscillianistarum à Leone Papa primo indictum, anno D. 447. Toletanum tertium anno D. 589. Toletanum quartum anno D. 633. Toletanum 6. anno D. 676. Toletanum octauum anno D. 633. Conc. Emeritense anno D. 655. Toletanum 9. anno D. 675. Bracarense tertium anno D. 675. quæ expreßè & solemniter Symbolum profitebantur ac recitabant cum particula ex Filioque: ergo Synodus Romana ab Agathone sequenti tempore coacta, cum pariter fidei Symbolum explicauit ac tradidit, particulam ex filioque etiam apposuit: eo maximè quia aderant Episcopi in ea Synodo ex omnibus ferè partibus Occidentis, vbi Symbolum eo modo solemniter recitabatur. Præterea præfatæ Synodi particulam illam ex filioque contra hæreticos disputantes statuerant cumque hoc notum esset Apostolicæ sedi, debuisset ea Concilia emendare, si errassent; & ipsa contradicente illud statuissent. at non emendauit, ergo annuit: eaque verum docuisse cognouit. consequens ergo est, vt cum noua accesserit occasio Synodum congregandi, & fidei seriem aperiendi, Romanam Petri cathedram illud idem pariter se credere, & á cæteris credendum docuisse. res est manifestissima. C

Secunda ratio est, quia sancti Ecclesiæ Patres, & latini præcipuè, quos omnes Episcopi semper pro huiusmodi resoluendis controuersijs præ manibus habent sic in eorum voluminibus vt infra demonstrabimus longis sermonibus ac disputationibus luculenter docent, vt erroneum apud eos sit oppositum opinari. Ecclesia ergo quæ in fidei dogmatibus declarandis Patrum doctrina vtitur, iuxta eorum eruditionem, Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere, non declarare minimè potuit. Cur ergo Græci codices hoc idem a Romana Synodo statutum, & Actione quarta sextæ Synodi promulgatum non retineant, ipsi videant. nos falsandi libros [consuetudinem non habemus neque Ecclesia Dei.] Numquid accedente schismate apud Græcos; auctore Photio, cæterisque qui occasiones quærebant discendendi ab Amico, hoc patrauerunt? annuo, quia peiora ediderunt facinora, vt octauam Synodum percurrenti patebit. (Græcis catholicis semper exceptis, quia omnem hanc Nationem errasse, mihi dicendum non videtur.) D

Si au-

Digitized by Google

A Si autem quæratur an licuerit Ecclesijs Hispaniarum & Galliarum particulam ex Filioque sancire & fidei Symbolo apponere extra generale Concilium, cum hoc sub anathematis pœna a tertia generali Synodo prohibitum fuerit.

Respondeo, nunquam prohibitum fuisse a tertia generali Synodo, vt Photiani opinantur, Ecclesiasticis Synodis etsi particularibus, disceptare de processione Spiritus sancti & de cæteris fidei articulis, & veritatem aduersus nouiter insurgentes hæreticos declarare. corrumpentes fidem anathematizauit tertia generalis Synodus & nihil amplius, vt disputatione præcedente probatum fuit. Præterea Concilium Toletanum primum anno D. 400. celebratum est, vbi Spiritum sanctum a Patre filioque procedere sancitum fuit. B Concilium autem generale tertium a quo iuxta Græcos facta fuit præfata prohibitio de nil amplius addendo, habitum est postea anno Domini 431. lex autem non fertur in præteritum. Præterquamquod Leo 1. Papa damnans hæreticos Priscillianistas in Hispania, qui mysterium Trinitatis diuinarum Personarum negabant, scribit Turibio Asturicensi Episcopo, estque epistola Leonis 93. vt totius Hispaniæ congreget Concilium ad hanc promulgandam veritatem, nempe tres esse Diuinas Personas, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Patrem a se Filium a Patre, & Spiritum sanctum ab vtroque procedere. cuius verba sunt hæc. [Primo itaque capitulo demonstratur quam impiè sentiant de Trinitate diuina, qui & Patris & Filij & Spiritus sancti vnam atque eandem asse- C runt esse Personam, tanquam idem Deus nunc pater, nunc filius, nunc Spiritus sanctus nominetur: nec alius sit, qui genuit: alius qui genitus est: alius qui de vtroque processit. & tandem: Dedimus itaque litteras ad fratres & coepiscopos nostros, Tarraconenses, Cartaginenses, Lusitanos, atque Gallecianos, eisque concilium Synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis sollicitudinem pertinebit, vt nostræ ordinationis authoritas, ad prædictarum Prouinciarum Episcopos deferatur. si autem aliquid, quod absit obstiterit, quo minus possit celebrari Generale Concilium Galleciæ, saltem in vnum conueniant sacerdotes, quibus congregatis fratres nostri Hydatius & Ceponius imminebunt, coniuncta cum eis instantia tua, quo citius vel prouinciali conuentu remedium tantis vulneribus afferatur. Data &c.] anno D. 447. Vanum ergo est Hispanos hac in re accusare, quidquid enim D de dogmate hoc statuerunt, etiã post tertiam generalem Synodum, auctoritate Apostolicæ sedis operati sunt, vt ex præmissa Leonis Papæ epistola constat. nec Græci Photiani audiendi sunt, cũ in re huiusmodi plures excogitatas instantias objiciunt, cũ sint adinuentę ad excusandas excusationes in peccatis.

Idem additamentum ab Hispanis auctoritate S. Leonis Papæ exhibitum, à Francis acceptum & tenacius retentum fuisse, patet ex Symbolo fidei sub Carolo Magno in Arelatensi Concilio recitato. Sub huiusmodi enim fidei confessione, Gothi, Vvisigothi, aliæque Nationes, quæ Hispanias occuparunt, catholicam fidem, Arianismum abijcientes, susceperunt. & Franci, qui sibi Gallias vendicabant, sub eiusdem Symboli confessione fidem Christianam professi sunt. Græcorum Natio quæ Petri Cathedræ directioni reluctari voluit, quid à Deo receperint, ipsi, qui nomen Græcum etiam perdiderunt, dicant, atque denuncient.

N 2 Cum

Digitized by Google

Cum autem in septima generali Synodo Actione 3. Tharasij Episcopi A
Constantinopolitani epistola ad omnes Orientis Episcopos, instantibus Concilij Patribus lecta est in qua fatebatur [Spiritum Sanctum ex Patre per Filium processisse,] vt nunc temporis in vestris codicibus legitis. Quid opinamini ô Græci Photiani, Tharasium ea particula per Filium, Agathoni & Romanæ Synodo, qui Spiritum Sanctum etiam a Filio productum docuerunt, contradicere voluisse? haud quaquam, quia Epistola Romanæ Synodi a sexta generali Synodo probata, non poterat a Tharasio improbari: igitur eodem modo se credere de Spiritus sancti processione professus est, sicut Romana Synodus promulgauerat: ergo particula illa per Filium, a Filio, & ex Filio significat.

Sed dices, cur dixit per Filium, & non protulit eodem modo ex Filio B
& a Filio?

Respondeo, posuisse Tharasium in illis particulis diuersitatem, fortè vt significaret Filium a Patre accipere vt spiret Spiritum sanctum, non autem vt ostenderet Filium non esse cum Patre vnum Spiritus sancti principium.

Secundò respondeo illud per, idem significare quòd ex vel à. Probo, quia eadem septima Synodus Act. 7. in difinitione fidei, Symbolum exhibens, particulam ex Filioque ei addidit: nec Tharasij epistolam ob id emendandam sanciuit, eo quia Spiritum per Filium procedere dixerat: ergo intellexit septima Synodus illud, per, eundem sensum habere.

Dices pro Græcis Photianis; in codice septimæ Synodi apud Græcos Symbolum cum particula ex Filioque non haberi. C

Respondeo esse fugam miserorum. si autem quæratur causa cur non habeatur. Respondeo Photium occasiones inuestigasse Romanam damnandi Ecclesiam, eique Vale dicendi. quamobrem fieri potest, vt plures codices septimæ Synodi transcribi, ac per vniuersam Græciam diuulgari curauerit, quia apud eos magnæ erat potestatis, vt sic aptè quod exoptabat, obtineret.

Sed instabis, si ita res est, cur in Concilio Florentino tota controuersia huc non accessit, nempe ad septimæ Synodi decretum? nam si de facto particula ex Filioque à septima Synodo Symbolo fuisse appositam constitisset, omnis controuersia terminum suscepisset.

Respondeo hoc factum fuisse: nam Latini vetustissimum codicem septimæ Synodi protulerunt, qui ante schismatis initium scriptus fuerat, & D
ob vetustatem omnis erat expers suspicionis circa veritatem, & ostenderunt Symbolum cum particula ex Filioque exaratum, adeo quòd huic demonstrationi nemo Græcorum ausus fuerit reluctari. nihilominus ad eos fortius conuincendos, quia in propijs codicibus particulam illam Græci minimè legebant, aliam Latini assumpserunt viam ad processionem Spiritus Sancti ex filio demonstrandam.

Septimam autem Synodum Symbolum cum particula ex Filioque credendum ac recitandum dedisse, duabus probo rationibus. Prima est, quia Anastasius Bibliotecarius qui Octauæ Synodo adfuit, septimam Synodum tum Græcè tum Latinè cum transcripsit, Symbolum cum particula ex Filioque posuit, vt nuncusque patet. quod vtique non fecisset, nisi reuera etiam apud Græcos in Symbolo ea particula extitisset. nullam quippe occasio-

A casionem id confingendi habebat. Secunda ratio est. Quia Carolus Magnus Rex Francorum per Angilbertum Abbatem & ministrum Regiæ Cappellæ, ad Adrianum Papam, qui ipsam septimam Synodum, de qua loquimur, coegerat plura dubia proposuerat circa eiusdem septimæ Synodi veritatem ac integritatem, quæ sacrarum imaginum cultum contra Iconomachos sanxerat. Adrianus autem responsalem dedit Epistolam, catholica repletam doctrina, ad eundem Regem Carolum, qua septimæ Synodi veritatem demonstrauit; omnia quæ idem Rex proposuerat dubia dissoluens. & habetur 3. tomo Conc. ex Binio pag. 263. & priorem dubitationem Adriano propositam, quæ de processione Spiritus sancti fuit, primò resoluit. Dubitatio autem fuit hæc, quæ loco citato sic descripta est.

B [In primo quidem capitulo ferebatur, in eo quod dicit, & in Spiritum Sanctum Dominum ac viuificatorem, ex Patre per Filium procedentem.]

Repræhensio.

[Quòd Tharasius non rectè sentiat, qui Spiritum sanctum non ex Patre & Filio, secundum Nicæni Symboli fidem, sed ex Patre per Filium procedentem in suæ credulitatis lectione profiteatur.]

Responsio Adriani Papæ.

C [Hoc dogma Tharasius non per se explanauit, sed per doctrinam sanctorum Patrum confessus est: quorum capitula pro vestro nimio amore, quod erga vestram præerectissimam à Deo protectam Regalem excellentiam gerimus, breuiter exaramus &c.]

Et deinceps sanctorum Patrum Latinorum & Græcorum testimonium profert, qui Spiritum sanctum à Patre & à Filio procedere, & quandoque à Patre per filium asseuerant, itaut manifestum sit apud Patres idem esse Spiritum sanctum procedere à Patre & à filio, & à Patre per filium.

Hinc sequitur, eo tempore in vniuersali Ecclesia certissimum ac indubitatum fuisse Spiritum sanctum ex Patre filioque procedere. & similiter sequitur septimam Synodum in fidei Symbolum illam particulam ex filioque apposuisse. quia Galli qui tunc septimam Synodum dubiam reddebant, & actu Symbolum cum particula ex filioque recitabant, ipsam septimam Synodum cum Tharasio simul redarguissent, nisi Symbolum cum particula ex filioque tradidisset. at redarguit solum Tharasium, qui particulam per, tantùm posuerat: ergo manifestissimè sequitur septimam Synodum Symbolum cum particula ex filioque edidisse, vt apud nos creditum & pariter lectum semper fuit. Græci autem Photiani qui sequenti tempore schisma ad suam ipsorum perditionem introduxerunt, illam abstulerunt particulam, ad excusandam excusationem in peccatis, nempe schismatis & diuisionis ab Apostolica sede & ab Ecclesia Catholica, quæ à Petri sola cathedra vnitatem accipit, vt Catholicis patet.

D

Verùm quia Græci Photiani non tantùm de veritate processionis Spiritus sancti ex filio nos accusant, sed etiam de additione illius particulæ in Symbolo, & de publica Symboli cum eadem particula in Ecclesia lectione; idcirco

Digitized by Google

idcircò inuestigandum est, quo tempore & qua auctoritate id factum fuerit. A
Pro cuius resolutione recensere satis est quæ Binius in Notis super Concilium Constant. primum tomo 1. pag. 517. refert ex Bernone Abbate Augiensi, qui hæc de rebus ad Missam spectantibus asserit. [Cum Romanorum præsbiteri ab Henrico Imperatore interrogarentur, cur non post Euangelium, (vt in alijs Ecclesijs fiebat) Symbolum canerent? me, ait ipse, assistente audiui, eos eiusmodi responsum reddere: quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando vlla hæreseos fæce infecta: sed secundum doctrinam sancti Petri in soliditate catholicæ fidei permaneret inconcussa: & ideo magis his necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando vlla hæresi potuerunt maculari. At Imperator domno Benedicto persuasit, vt ad publicam Missam decantarent &c.] Ergo dicendum B
est particulam ex filioque Symbolo à septima generali Synodo appositam fuisse, & anno Domini 975. à Benedicto Papa septimo, instante Henrico Imperatore sancitum esse vt solemniter in Ecclesia inter Missarum solemnia recitaretur. dimittant igitur calumnias ac blasphemias quas aduersus Apostolicam sedem Photiani euomunt. nam vt supra probatum fuit, Hispaniarum & Galliarum Ecclesiæ, Apostolicæ sedis auctoritate hoc idem fecerant: nullibi ergo in re huiusmodi adest error, nisi apud Græcos, qui voluntariè excæcari voluerunt, vt sibi propriam causarent spiritualem ac temporalem ruinam. Deus qui diues est in misericordia, vtramque quam sustinent oppressionem auferre dignetur.

Sed dices pro Græcis Photianis, quis dedit Hispanis & Gallis potestatem C
Symbolum cum particula Filioque solemniter in Ecclesia recitandi, cum à tertia generali Synodo hoc prohibitum fuerit.

Respondeo, sedem Apostolicam eos docuisse, vt supradictum est, Spiritum sanctum à Patre filioque procedere; qua in eorum Synodis recepta doctrina, Symbolum cum ea particula in Ecclesia recitauerunt. inuestigare an hoc eis licuerit, mihi videtur esse quæstio de lana caprina, numquid non licet in Ecclesia veram fidem recitare? imò maximè decet, vt sanis patet. eant ergo Photiani cum suis vanis superbi schismatis excusationibus. His ergo præmissis.

Dicimus Spiritum sanctum ex Patre, Filioque procedere. Conclusio manet quasi ex his quæ præmisimus probata. ostensum enim est vniuersam Ecclesiam omni tempore hoc credidisse, & Hispaniarum Ecclesiam auctoritate S. Leonis Papæ hoc synodalibus legibus statuisse. quid ergo Photiani mussitant ad temerarium excusandum schisma? D

Probare hanc Conclusionem primùm sacræ Scripturæ auctoritatibus, secundò sanctorum Patrum sententijs, Tertiò rationibus theologicis paratus eram: sed quia hæc perspicua reddita fuerunt ab eadem Florentina Synodo, & præcipuè à Cardinali Bessarione, vt in eiusdem Concilij volumine legitur, & tandem egregiè à F. Mattheo Ferchio Veglensi nostri Ord. Min. Con. S. Francisci insigni Doctore, nunc temporis publico sacræ Theologiæ in vniuersitate Patauina Lectore: hoc idem exequi superfluum existimaui ac inutile. Qui ergo hæc scire desiderat, præfatorum Doctorum libros percurrat.

Hoc vnum tamen subnectam, ad præsentem hanc disputationem pertinens,

A nens, & ad nostri Tractatus integritatem requisitum, nempe id quod Bessarion suæ Orationi pro vnione in Florentina Synodo habitæ addidit, dicens.

Præterea sciendum est, quòd in tertio œcumenico Concilio, sanctus Cyrillus contra Nestorium & eius hæresim inter alia multa quæ sapientissimè scripsit, duodecim etiam capitula edidit contra hæreticos Nestorij articulos, quæ anathematismos appellauit, eoquòd in eis errores illius anathematizat, quorum in nono contra Nestorij errorem, qui blasphemat Filium Dei purum hominem esse, Spiritus sancti gratia per participationem sanctificatum, idem sanctus Cyrillus Spiritum sanctum, spiritum Filij & proprium filij esse dicit. Posthæc quidam Theodoritus Cyri Episcopus, vir
B quidem literatissimus, humanæ tamen fragilitati subiectus. superueniens in Synodum serò cum Patriarcha Antiocheno Ioanne, cum reperissent iam Nestorium condemnatum, & pro demeritis suis sede Patriarchali Constantinopolitana priuatum, indignati, quòd eis non expectatis conclusum fuerit, defensionem Nestorij susceperunt. Theodoritus igitur, tanquam vir doctissimus, contra duodecim anathematismos Cyrilli, alia duodecim capitula edidit, quorum in nono, vbi sanctus Cyrillus Spiritum sanctum Filij & proprium Filij dicit esse, his verbis ait. Quod si Cyrillus Spiritum sanctum proprium Filij dicit, tanquam consubstantialem ei, hoc verum acceptamus: quòd si tanquam ex Filio, vel per Filium esse, & existentiam habentem, hoc vt blasphemiam eijcimus. Ad hæc totum Oecumenicum
C Concilium tertium tacuit, nec increpauit Theodoritum tanquam malè dicentem. Cyrillus tamen ad ea respondit, omniaque sua capitula, alijs duodecim nouis capitulis ita denuo exponit, vt sententia eius etsi non nimis apertis verbis, clarè tamen pro nobis esse appareat. Hoc maximè Græcos oblectat, in hoc potissimùm confidunt, pro hoc maximo & insolubili argumento putant, quòd Theodorito negante spiritum ex Filio, vel per filium habere esse & subsistentiam; concilium totum tacuerit, nec eum mendacij & erroris redarguerit. Cyrillus quoque non ita aperte (vt putant) responderit, cum tamen sciant Theodoritum propterea condemnatum, & ab Ecclesia multis annis eiectum fuisse &c. hæc Bessarion.

Respondeo huic Græcorum instantiæ quæ nullius est roboris, vt infra patebit. eninuero Vir sensatus, quidquid Græci obijciunt, non sapientum
D rationes, sed excogitatas excusationes esse, optimè discernit. Vt ergo res huiuscemodi, quæ nunc obijcitur, aperiatur: sciendum est Nestorium Constantinopolitanum Episcopatum assumpsisse anno Domini 428. & anno immediate sequente suas hæreses promulgare cæpisse; quamobrem per litteras Monachos in Aegypto commorantes peruertere & corrumpere tentabat. Quod cum Cyrillus Episcopus Alexandrinus cognouisset, illicò Cœlestinum Romanum Pontificem super hoc negotio certum reddidit; qui vt hæc vera esse animaduertit, eidem Cyrillo mandauit vt Pontificiam suo nomine assumeret potestatem, & Nestorium primò moneret, postea vindex existeret. Verùm antequam hæc Cyrillus exequutioni mandaret, Concilium multorum Episcoporum in Alexandrina vrbe coegit, anno D. 430. in quo quatuor Legati decernuntur; nempe, Theopentus & Daniel Episcopi: Potamon atque Macarius Ecclesiæ Alexandrinæ ministri. Hos

cum

cum literis Romani Pontificis ad Nestorium ablegauit, præscripturos ei A
decem dierum spatium ad hæresim suam abiurandam. addidit quasdam Synodales epistolas, quarum vna cum duodecim anathematismis, ad Nestorium delata est. reliquæ ad Clerum Constantinopolitanum, & Patres Monasteriorum scripta fuerunt. Legati Constantinopolim profecti, die Dominica, dum Synaxis in basilica haberetur, acceptas literas & anathematismos Nestorio obtulerunt: quibus ille cum se in crastinum responsurum pollicitus esset, toto biduo delusit: tandem nec respondere quidquam dignatus est: in peruersis dogmatibus docendis perseuerans, pro more hæreticorum, ad declinandum iudicium Ecclesiasticum & ad eludendam sententiam in se prolatam, Theodosium Imperatorem aduersus Cyrillum velut dirum persequutorem commouet, anathematismos Cyrili ad Ioannem Antiochenum, aliosque sibi amicitia coniunctos Episcopos Syriæ missos cauillatur, & de Apollinaristarum hæresi suspectos in crimen adducit: eo sanè consilio, vt sententiæ contra se latæ executionem effugeret, & Romani Pontificis decretum eluderet. arbitrabatur enim nequaquam fieri debere vt sententia contra hæreticum prolata illi exequenda committeretur, qui ipse de hæresi accusatus esset. Quamobrem cum magna orta esset confusio, Cœlestinus Papa & Imperator pro generali Concilio celebranda leges & citationes ediderunt. Hæc ex Concilio Alexandrino tomo primo Conc. pag. 647. B

His ergo stantibus, notum factum est vnde & à quo hi duodecim anathematismi de quibus est sermo originem & valorem habuerint. non enim C
editi fuerunt à generali Ephesina Synodo, sed à Prouinciali Concilio Alexandrino: nec à Catholicis dubij redditi fuerunt, sed ab hæreticis: non quia hæreses ibi includebantur, sed vt oriretur occasio Romani Pontificis punitiuam sententiam eludendi.

Igitur quia à Theodorito Episcopo Cyri tunc hæretico Nestoriano, & cum Ioanne Antiocheno Episcopo partes Nestorij defendente, non veritas inquirebatur, sed cauillationis materia excitabatur, dubitatum fuit contra nonum Cyrilli anathematismum de processione Spiritus sancti ex Filio. Cyrillus sciens quia sapientibus & insipientibus debitores sumus, vt monet Apostolus, anathematismos clariores reddidit & Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere luculenter docuit, & manifestius aperuit. & in principio tractatus hanc hereticorum malitiam explicans ait. D

EXPLANATIO DVODECIM CAPITVM ET ANATHEMATISMORVM Per Cyrillum Archiepiscopum Alexandrinum. Obuia, vt scriptum est, intelligentibus, & scientiam adeptis plana sunt omnia: etenim qui sacra Diuinæ scripturæ verba acuto puroque oculo introspiciunt, hi, quod vtile in ijs occurrit, veluti diuinum quendam thesaurum in animos suos recondunt. Qui verò mentem obtinent mendacio addictam, nonnullorumque dicaculorum nugacitati mancipatam, ac vanæ nihilominus scientiæ oppido auidam, illorum socij meritò censebuntur, de quibus B. Paulus scriptum reliquit: [In quibus Deus sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi. sunt enim cæci & duces cœcorum.] Quare & in perditionis quoque foueam corruunt: nam vt seruator ipse alicubi monet. Si cæcus cæco ducatum præstet

A ftet, ambo in foueam cadunt. funt igitur nonnulli, qui contra veritatis dogmata garriunt, Diabolicaque prauitate mentem imbutam habentes, veritatis mysterium acri studio adulterare contendunt: neque vulgari iniuria incarnati Verbi Oeconomiam afficiunt: non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, vt literis proditum est. Huiusmodi autem impietatis inuentores extiterunt iam olim & multi quidem alij: nunc verò Nestorius, & qui ab illo stant, illorum impietate nullam in partem cedentes, ad veterum Pharisæorum exemplum aduersus, Christum se erigunt, impudenterque: [Cur non, cum homo sis, facis teipsum Deum? vociferantur. Erat itaque necessarium, vt aduersus insanos illorum sermones nos accingeremus: impuraquæ ac prophana illorum dogmata,
B anathematizaremus; memores Dei per vocem Prophetæ dicentis: Audite & contestamini domui Iacob, dicit Dominus Deus exercituum. & iterum [Ingredimini per portas meas, & lapides de via tollite. Oportet enim nos qui pro veritatis dogmate certamus, offendicula è medio submouere, ne qua ratione populi ad illa impingant: sed planam semitam ad sacra illa diuinaque stabula progredientes, istud quotidie ingeminent: Hæc est porta Domini, iusti intrabunt in eam &c.

Anathematismus nonus.

SI quis vnum Dominum nostrum Iesum Christum per Spiritum sanctum, tanquam per virtutem à sua alienam, glorificatum: aut vim &
C energiam ab eodem accepisse, qua immundos Spiritus profligaret, aliaque inter homines miracula patraret, dixerit: neque illum ipsum Spiritum, per quem Diuina signa edebat, illius proprium extitisse professus fuerit, anathema sit.

Declaratio.

ETSI Vnigenitum Dei Verbum homo factum est: mansit tamen Deus, omnia præter solam paternitatem, cum Patre æqualia & communia habens. Vnde Spiritum sanctum, qui ex ipso est, ipsique essentialiter inest, tanquam proprium peculium possidens, Diuinæ potentiæ signa
D operabatur. Quare etiam posteaquam homo factum est, Deus manebat: & per consequens proprij Spiritus virtute miracula patrabat. Qui verò dicunt illum, tanquam vnum ex reliquis sanctis nobis similibus Spiritus sancti virtute glorificatum, eaque non vt Diuina & propria, sed tanquam aliena vsus, nec non eiusdem Spiritus sancti gratia ad cœlos esse assumptum, illi meritò anathematismi huius iaculo feriuntur.

Hæc itaque causa circa Cyrilli anathematismos, eorumque explicationes, extra Concilium generale tertium discussa fuit. quod etiam patet, quia nec Nestorius, nec Ioannes episcopus Antiochenus, nec Theodoritus, neque cæteri Nestorianos errores patrocinantes, cum Patribus tertiæ Synodi differere, imò nec loqui, voluerunt, & si pluries solemniter citati, fuerint, vt eiusdem Synodi Acta testantur. nunquam ergo habita fuit cum Theodorito in Ephesina Vrbe huiusmodi, disceptatio.

O Erra-

Errauit igitur Binius & cæteri Conciliorum collectores, cum scripserunt A
imò inscripserunt hos anathematismos cum suis explicationibus sic.
[explanatio duodecim capitum & anathematismorum per Cyrillum Archiepiscopum Alexandrinum Ephesi edita, sacra Synodo clariorem illorum declarationem exigente.] nunquam enim sacra Synodus id petijt, sed proculdubio anathematismum probauit, vt in Actis apparet. imò ipse Cyrillus quod nunc dicimus confirmat: nam in principio prædictarum explicationum sic ait.] Cum itaque Nestorius dogmata quædam peregrina & impia, & ad ciendas turbas idonea libris suis inseruisset, non potuimus salutis eorum, qui illa fortè lecturi erant, curam habentes, quosdam anathematismos non componere &c. Aegrè fortasse ferunt nonnulli, quæ in illum scripsimus: vel quod eorum quæ scripta sunt indolem verè B
non capiant: vel certè quod impuræ hæreseos propugnatores existant, impieq; sententiæ Nestorij faueant. At nulli interim ex hijs, qui rectè sapere consueuerunt, veritas operta est. Quia verò credibile fit, non defuturos quosdam, qui non satis assequantur, quomodo, quaue ratione anathematismi illi nugis eorum aduersentur, aliquod operæ pretium me facturum putaui, si singulos breuiter exponerem, illorumque vim quanta fieri posset perspicitate ostenderem: Opinor enim, conatum hunc non paruum lectori vsum & fructum adferre posse.

Quis ergo non videt Cyrillum has addidisse explicationes, Patribus Synodi minimè petentibus, non enim inquit, instante Synodo id addimus sed. [Quia verò credibile fit, non defuturos quosdam qui non satis asse- C
quantur &c.] Binius autem errauit, sic hos anathematismos inscribendo, quasi instante tertia Synodo eorum declaratio facta fuerit: cum Synodus, Cyrilli literas, quas cum huiusmodi anathematismo ad Nestorium per Legatos dederat, absque vlla præuia dubitatione pro catholicis habuerit atque statuerit. error autem Binij in re hac ortus est ex eo quod hanc tertiam Synodum à versione Theodori Peltani accepit, qui ex quodam Græco codice ipsam sumpsit: vt idem Peltanus in operis præfatione testatur sic dicens. [Annum ab hinc plus minus quintum decimum, Amice Lector, volumen quoddam Græcum, ad Albertum serenissimum Bauariæ Principem, Catholicæ pietatis amantissimum, nescio quis apportauit: corrosum illud sanè quidem, ac vetustatis vitio literis penè fugientibus &c. Animaduerti capita in codice Græco absque vllo ferè ordine, in aceruum quen- D
dam coniecta, quæ confusio non mediocrem obscuritatem pariebat. Proinde totum opus in sex Tomos distribui, ea serie & modo &c.] Ergo præfatus inscriptionis error, vel à Græco scriptore, vel à Peltano patratus fuit, qui hanc Synodum in varias partes distribuit ac ordinauit.

Sed ad rem nostram deueniamus, Theodoritus tunc Nestorianus, negabat Spiritum ex Filio procedere: Cyrillus ex aduerso hoc affirmauerat ab initio, & in suorum dictorum declaratione luculentius, idem promulgauit: Tertia Synodus Theodoritum & Nestorium cum damnasset, Cyrilli literas in quibus hi erant anathematismi vt sacra dogmata accepit: cur ergo Græci Photiani ad tantam cæcitatem vel malitiam postea descendere voluerint, vt Theodoritum Nestorianum Theodori Mopsuesteni pessimi hæretici, à quinta Synodo damnati, discipulum amplectantur, & Cyrilli doctri-

Digitized by Google

A doctrinam dubiam reddant: aliam non video causam, nisi quia potius hæretici, quàm Petri cathedræ subiecti, esse desiderant. ò Græcorum cæcitatem, malitiam, atque miseriam! Det Dominus misericordiam, sicut iustè intulit exterminium & duram seruitutem.

Præterea si in ipsa tertia Synodo hæc fuit controuersia inter Cyrillum & Theodoritum, si Theodorito Synodus fauisset, & Cyrillo repugnasset; vel cum Theodorito sancire Spiritus à solo Patre processionem: & Cyrillum emendare debuerat: vel saltem si eam controuersiam tunc Synodus iudicare noluisset (quod operari non licet orta controuersia) propositionem illam Cyrilli de processione Spiritus etiam ex Filio, saltem vt auferretur, præcipere debebat. at illam probauit, ergo oppositam damnauit.
B Sequela est firmissima, nisi Græci Photiani simul cum fide etiam artem Syllogizandi dimittere voluerint.

Adde quod Theodoriti scripta à quinta & sexta Synodo damnata sunt, nempe in his quæ Catholicis aduersantur, & è contra semper Cyrilli doctrina, & præcipuè præfatus anathematismus cum suis declarationibus commendatus atque probatus est. at in causa de processione Spiritus ex Filio Theodoritus Cyrillo opponebatur, ergo in hac causa Theodoriti opinio damnata fuit. Pudeat ergo Græcos Photianos, Nestorij sequaces sequi & patrocinari. non enim Græci nominis gloriam merentur, cum Græcæ Nationi pessimam, sic sentientes, inferant iniuriam.

C DISPVTATIO QVINTA.

An Concilium particulare, præsente, & iudicante Papa, fidei controuersias, vniuersam obliget Ecclesiam.



DE summi Pontificis potestate extra generale Concilium, seu non coacto generali Concilio, satis Tomo primo lib. 3. disp. 1. & 6. aduersus contraria sentientes disseruimus. verùm quia Bessarion sess. 9. Florentinæ Synodi illam nimis conculcat, vt in calce disputationis tertiæ ostendimus visum est mihi super rem huiuscemodi nouam instituere
D disputationem, & Catholicam hanc quam proponemus veritatem, vlterioribus adhuc probare rationibus.

Lectorem autem monemus, aliud esse hanc texere disputationem aduersus hæreticos Lutheranos & Caluinistas, qui Ecclesiasticam potestatem prorsus abijciunt: & aliud aduersus Græcos, qui Ecclesiæ Pastorum auctoritatem venerantur, sed illam in Romano Pontifice diminutam, & in Generali Concilio plenissimam denunciant. in præsenti hac disputatione Lutheri & Caluini phanaticos errores nō reijciemus, cùm tomo primo hoc fecerimus: sed Græcorum opinionem inculcabimus, at non iuxta omnem sensum quo oppugnari potest, cùm hoc idem loco supra citato, & lib. 2. disp. 4. peractum sit: nam Concilium generale subiacere summo Pontifici luculenter probauimus: sed Papam vniuersam obligare Ecclesiam dùm simul cum particulari Synodo fidei controuersias dirimit, demonstrabimus.

Digitized by Google

Animaduertendum est etiam quatruplex esse Concilium, Generale scilicet, A
Nationale, Prouinciale, & Diœcesanum. Concilium generale est congregatio maiorum Prælatorum Ecclesiæ, auctoritate Romani Pontificis specialiter conuocata, ad aliquid communi intentione solemniter tractandum in Religione Christiana. Concilium Nationale, est congregatio omnium vel plurium Archiepiscoporum & Episcoporum vnius Regni vel Nationis ad eundem finem, quibus aliquis Patriarcha vel Primas præest. Concilium Prouinciale est congregatio omnium vel plurium Episcoporum vnius Prouinciæ, quibus præest Archiepiscopus seu Metropolitanus: Concilium verò Diœcesanum quod impropriè dicitur Concilium, quia vnus tantùm ibi adest, scilicet Episcopus, qui ius decisiuum in controuersijs fidei & morum tenet; est congregatio minorum sacerdotum, quibus præsidet Episcopus. B
In præsenti disputatione de Nationali Concilio loquimur, dum summus Pontifex ei præsidet, & fidei controuersias dirimit; nam tale erat Concilium quod Agatho Papa, Romæ 125. Episcoporum coegerat, in quo Symbolum cum particula ex Filioque tradidit, & de quo sermocinabatur Bessarion loco citato. his ergo prænotatis.

Dicimus, Concilium Nationale, præsente & iudicante Papa fidei controuersias, vniuersam Ecclesiam obligare. Probo: si Concilium Nationale, à Papa probatum, vniuersam non obligaret Ecclesiam, sequeretur quòd Quinta Synodus, Constantinopolitana secunda ab vniuersali Ecclesia venerari non deberet: consequens est erroneum, ergo & antecedens. Probo sequelam maioris. In quinta Synodo tantùm Orientales Episcopi adfuerunt, Occidentalium nullus: nec eorumdem consensus adfuit: imò illa absoluta, plurimi eam Synodum abijciebant, vt historiam illius Synodi legenti patebit: auctoritate autem Romanorum Pontificum, nempe Vigilij, cuius auctoritate celebrata fuit, Pelagij, & Gregorij magni, rata ab vniuersa Ecclesia habita est, & inter generalia Concilia connumerata, ergo si Papa hanc non habet potestatem, vt Bessarion dixit, quinta Synodus, quæ generalis dicitur, vniuersam non obligat Ecclesiam, & á generalium Synodorum serie erit abijcienda. hoc autem Græci non concederent: concedant ergo & cæteras Nationales Synodos à Papa probatas, ab vniuersali Ecclesia esse venerandas. veneratur autem si quæ statuit ab omnibus seruentur, & quæ damnauit, ab omnibus respuantur. nunc subsumo. C
Sed Agatho Pontifex in illa Nationali Synodo, quam Romæ coegit. iudicauit Spiritum sanctum ex Patre, Filioque procedere, ergo veritas hæc ob omni Ecclesia credenda est: etsi eam Synodum Generalem esse non decreuerit, sicut Vigilius Papa generalem dicendam esse quintam Synodum sanciuit. errauit igitur tunc Bessarion, cùm affirmauit veritatem hanc de processione Spiritus sancti ex Filio, & si à Synodo sub Agathone declarata fuisset, vniuersalem Ecclesiam non potuisse ad id credendum obligare. D

Probo secundò propositam Conclusionem sic. Si Nationale Concilium à Papa probatum, in fidei declarationibus vniuersam non obligaret Ecclesiam, hoc esset quia in re huiusmodi errare potuisset, (nam fides catholica ab omnibus fidelibus æquè tenenda est) sed hoc est erroneum, ergo & antecedens. minorem propositionem probo. Blasphemum est affirmare hominum congregationem, cui Christus Dominus præest, eamque dirigit,

rigit,

A rigit, errare posse docendo, cùm ad docendum congregatur; sed si Concilium à Papa probatum errare posset docendo, hoc sequeretur: ergo hoc affirmare, blasphemum est. Maior propositio patet; nam impium est asserere Christum Deum esse auctorem & causam falsitatis. Minorem probo; quia Christus assistit Synodo à Papa congregatæ, ergo ipse Christus erraret si falsum Synodus doceret. Antecedens probo per locum Matth. 18. [Amen dico vobis quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cœlis est. Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio
B eorum.]

Scrutemur autem quid sit congregari in nomine Christi; & propositum obtinebimus. Quid enim hic significat nomen, nisi auctoritatem? non enim simplicem & deprecatoriam Christi inuocationem præfefert; quia omnes Synodi nomen Christi primum inuocant, attamen earum multæ sunt falsæ & damnatæ, nec ibi in medio eorum Christus adfuit: igitur nomen nunc auctoritatem significat. exempli gratia: si Prorex dixerit; nomine Regis hoc edictum promulgo. illud auctoritate Regis mandatum, & ex parte Regis, intelligere oportet. Vel si Cardinalium aliquis nomine Papæ aliquid præcipiat, ex parte Papæ, & auctoritate illius pronunciatum intelligendum est. Congregari igitur in nomine Christi, est adu-
C nari ex commissione & mandato Christi. Sed quia nunc Christus non manet in terris visibiliter, & naturali præsentia non gubernat Ecclesiam; congregari hic in terris in nomine Christi, est adunari ex commissione, mandato, voluntate illius, qui in Ecclesia tenet locum Christi, & est Vicarius Christi: qualis est Romanus Pontifex successor Petri, cui dictum est, [Pasce agnos & oues meas. Et tibi dabo claues Regni Cœlorum.] idest vniuersæ Ecclesiæ principatum. Tunc autem Concilium in Christi nomine congregatur, cum indicente & præcipiente Christi Vicario adunatur. Et Episcopi tunc congregati sunt in nomine Christi, cum Papa illos vocauit & adunauit. & illucusque Concilium manet in Christi nomine congregatum, vsque dum Papa illud non dissoluit. & illa decreta facta sunt in nomine Christi, & vera existunt, quæ à Christi Vicario confirmantur: &
D cuiuscunque generis Concilia tunc errauerunt, vel errare possunt, cùm nomine Papæ non fiunt, & ab illo non confirmantur. Concilium igitur à Papa confirmatum errasse non potest: & consequenter omne Concilium qualecunque sit, cum congregatur à Papa, in nomine Christi congregatur, nec errare potest. huiusmodi fuit Romana Synodus 125. Episcoporum ab Agathone Papa coacta, quæ Spiritum à Patre, Filioque procedere aperuit. hoc itaque verum dogma fidei ab vniuersa Ecclesia venerari debet, quæ vnitate fidei gaudet. (quia Romæ & in cæteris occidentis Prouincijs sic credere, & in Oriente aliter credere, & opinari non licet) omnem autem hanc, quam nunc edidimus sermocinationem, vt saltem huius temporis Græci perpenderent, & addiscerent, pro eiusdem Nationis salute, in Christo Iesu vehementer exopto.

Tertiò probo sic. Dogma fidei est, omni tempore ab vniuersa Ecclesiâ credi-

Digitized by Google

creditum, & in Concilijs generalibus luculenter expressum, & à Generalibus Synodis, Lateranensi sub Innocentio tertio, & Florentina ipsis consentientibus Græcis, præcipuo decreto sancitum, Romanum Pontificem Pastorem vniuersalis Ecclesiæ, & Christi Dei nostri Vicarium esse: ergo asserere ipsum docentem Ecclesiam, fidei controuersias dirimendo, & præcipuè adhibita Nationali Synodo, errare posse, est manifesta insania, quæ Christum Saluatorem nostrum, qui eum instituit & vice sua in Terris delegauit, turpi afficit iniuria. Nam Saluator Cathedram pro vniuersa Ecclesia instituisset, quæ sufficientem non haberet Doctorem: vel Doctorem Ecclesiæ dedisset ad docendum inhabilem. Quæ omnia Diuinæ sapientiæ ac prouidentiæ nimis derogare, sanis patet. A

Quartò probo nostram Conclusionem. Si Romana Petri cathedra, præcipuè cùm particularem Synodum adhibet, errare docendo posset, sequeretur ipsam non posse nec debere Concilia generalia confirmare vel reprobare: consequens est erroneum, cum ab initio Ecclesiæ & semper, ipsis petentibus Græcis, hoc fuerit exequuta, vt Concilia legentibus patet: ergo & antecedens. B

Prima sequela est manifesta, etenim si errare posset, quis credet, cùm aliquam Synodum reprobat vel confirmat, tunc non errare? nam qui errare potest iudicando, nunquam cæteros de vera ac infallibili sententia certos reddere poterit. Id autem quam confusionem in Christi Ecclesiam inferat, mentis compos edicat. ergo à primo ad vltimum sequitur Græcorum hanc opinionem erroneam & ineptissimam esse. C

Contra Conclusionem Prima obiectio. In Ecclesia Catholica pro hæresibus refellendis, & fidei controuersijs decidendis, semper generalia Concilia celebrata fuerunt: imò Apostoli hoc exequendum, opere docuerunt: nam Act. 15. orta controuersia de Circumcisione & lege, Concilium celebrauerunt: ergo significatum est Ecclesiæ, fidei dogmata aperire, ad sola generalia Concilia pertinere, non autem ad solam Petri cathedram, & si Nationalem Synodum secum habentem. Confirmatur ratio. quia Consuetudo est vera legum interpres. at Ecclesia in rebus huiusmodi hanc semper seruauit consuetudinem: ergo extra Concilia generalia hoc exequendum non videtur.

Respondeo falsum esse Antecedens. nam hæreses Pelagij, Iouiniani, Vigilantij, & similium, Romani Pontifices non adunato Generali Concilio solemniter damnarunt. & priusquam Constantinus Romanus Imperator Christianam professus esset fidem, non coactis generalibus Concilijs, sedes Apostolica plures damnauit hæreses, vt tomum primum Conciliorum legenti patebit. antecedens ergo falsissimum est. D

Ad illud de Apostolis, qui pro soluenda controuersia de circumcisione & lege, generale celebrauerunt Concilium: Dico id congruum fuisse, at non simpliciter necessarium. nam alteram controuersiam, an scilicet, & quando, esset Gentibus euangelizandum, solus Petrus Act. 11. resoluit. Sic electionem Matthiæ in Apostolum loco Iudæ proditoris, solus Petrus exequi poterat, vt docet Chrysostomus hom. 3. in Acta Apostolorum cap. 1. tomo 3. dicens. [Quid? an non licebat Petro eligere? licebat & quidem maximè. Verum id non fecit, ne cui videretur gratificari.] & tamen

Act.

A Act. 1. Concilium coegit. Consuetudo itaque, quæ est legum interpres, vtroque modo fidei veritatem apertam fuisse demonstrat, nempe medijs generalibus Concilijs, & aliquando solius sedis Apostolicæ decretis.

Sed contra hanc responsionė instare poterunt Aduersarij sic. & erit secunda obiectio. Si sola sedes Apostolica absque Generalibus concilijs hoc præstare poterit, nempe hæreses damnare, & fidei controuersias decidere, sequeretur superflua esse generalia concilia: at oppositum constat, cum semper in rebus huiuscemodi ea congregare fuerit consuetudo: ergo solam Apostolicam sedem cum particularibus concilijs in his rebus non videtur esse sufficiens.

Respondeo Generalia concilia esse superflua non sequi, & si sola Apostolica sedes, vel cum Nationali tantum Synodo fidei controuersias iurė pro
B vniuersa Ecclesia resoluere valeat. ratio est, quia aliquid potest esse in Ecclesia controuersum, pro cuius exacta cognitione, & prudenti resolutione, traditiones & consuetudines omnium Ecclesiarum, particularim examinandæ essent. secundo, quia hæresis aliqua propagata facilius euellitur per Concilium generale, quam per solam Apostolicam sedem, etiam secum Nationalem Synodum habentem: nam Generali Concilio adsunt Christiani Principes, saltem per Oratores suos, qui labores, disputationes habitas, fidei mysteria aperta perpendentes, hæreses extinguere, hæreticosque punire maiori studio aggrediuntur: & Ecclesiæ Pastores, populis sibi commissis omnem adhibitam diligentiam pro Christiana Religione, eorumque salu-
C te patefacientes, non difficulter ad veritatis semitam eos reuocant. Tertiò, quia aliquando res tam seria in Ecclesia disceptari contiget, vt pro maiori rei solemnitate generale Concilium celebrare expediat. exemplum habemus de Regibus ac cœteris Christianis Principibus, qui licėt omnem ciuilem controuersiam sola ac propria auctoritate definire valeant: attamen si aliquid contigat, quod ad salutem totius Regni maximė conferat, omnes Regnorum suorum Barones pro ferenda solemniori modo sententia congregabit. Sic in casu &c. Quartò, vt summus Ecclesiæ Pontifex modo magis suaui & ac comodato vniuersam doceat & gubernet Ecclesiam: modus autem magis acceptus & accomodatus est, si aliquando vniuersos particularium Ecclesiarum Pastores conuocet, vt iure & munere Pastorali secum simul vtantur, & propriam diligentiam adhibeant. non
D sequitur ergo ex nostra Conclusione generalia concilia esse superflu. sequitur auetm Bessarionem falsam tunc protulisse sententiam. sicut postea optimum sui experimentum exhibuit; nam eruditė Græcorum damnauit errores, & saniori consilio sedem Apostolicam, & catholicam doctrinam amplexus atque professus est.

FINIS.

Digitized by Google

A

LIBER SECVNDVS

DE APPELLATIONIBVS IN SPECIE

DISPVTATIO PRIMA.

De Appellationibus Ecclesiæ Alexandrinæ.

ALexandria Ægypti, magna & illustris ciuitas, ante salutarem IESV CHRISTI aduentum, annis 320. ab Alexandro Macedone, Iustino teste, condita & cognominata fuit, & cęterarum huius nominis ciuitatum, maxima B extitit & opulentissima. Quam Augustus Cęsar post deuictum Antonium triplici de causa se cõseruasse, affirmauit; nempè ob Alexandri memoriam, ob Vrbis pulchritudinem: & propter Arrium philosophum, qui in Alexandrina vniuersitate professor, magno apud Augustum in honore fuit. In hac eadẽ Vrbe Ptolemęus Philadelphus Ægypti Rex, sacram Bibliam, annis, ante Christum natũ quinquaginta supra ducentos, ex hæbreo in Græcum sermonem per septuaginta interprætes transtulit: quos ab Eleazaro summo Iudæorum Pontifice obtinuerat. Ammianus. lib. 22. Alexandriam verticem omnium ciuitatum appellat. & Herodianus lib. 7. post Romam, primum locum ei tribuit: nam ab Augusto Præfectura Alexandrina, à quo Augustalis C denominabatur, magnificentissimè præ cæteris nobilitata fuit: & post illam Præfectura Syriæ, cuius Metropolis erat Antiochia, secundum tenebat locum: ideoquè euenit, vt Petrus Apostolorum & vniuersæ Ecclesiæ Princeps statuerit, Alexandrinam post Romanam primum, & Antiochenam secundum obtinere locum. Hinc etiam factum est, vt Petrus dilectissimum discipulum Marcum Euãgelistam ad prædicandũ Christi Euangelium Alexandriam miserit, vbi velut in quodam Orbis theatro, ex Asia, Africa, & Europa tot gentes simul collectæ erant, vt ab illo tam præstabilis ciuitas fidei religionisq; Christianæ prima elementa acciperet, vt factum est. Quamobrem Leo primus Dioscoro Alexandrino Episcopo scribens, sic ait. *Cum enim beatissimus Petrus Apostolicũ à Domino acceperit principatũ, & Romana Ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere, quòd sanctus discipulus eius Marcus, qui Alexandrinã primus Ecclesiam gubernauit, alijs regulis traditionum suarum decreta formauerit, cum sine dubio de eodem fonte gratiæ vnus spiritus fuerit, & discipuli & magistri, nec aliud ordinatus tradere potuerit, quàm quod ab ordinatore suscepit &c.* D Epist. Leo, xii 81.

Petrus ergo Ecclesijs Alexandrinæ & Antiochenæ dignitatẽ Patriarchalem tribuit, cum eas quas obtinent Prouincias illis subordinauerit, & subditas esse præceperit. Hinc Lector discernere poterit, quòd sicut maior est Petrus Apostolus Marco Euangelista, & Marcus Euangelista Euodio, quem Ecclesiæ Antiochenæ Petrus præfecit, qui Euodius neque Apostolus neque Euãgelista fuit, itaquòque Romana Ecclesia Alexandrinam, & Alexandrina Antiochenam authoritate & dignitate superat.

Quod autem à Petro, & non ab alicuius Concilij Patribus sedes Ale- A
xandrina & Antiochena hanc dignitatem acceperint, ex sexto canone
primi concilij generalis, quod est Nicænum, manifestum est, nam sic
habet, vt à Legatis Apostolicæ Sedis Actione 16. Concilij generalis
Chalced. citatus fuit, & vt etiam in eiusdem Concilij textu cernitur.
Ecclesia Romana semper habuit primatum: Teneat autem & Aegyptus, vt Episcopus Alexandriæ, omniũ habeat potetatem, quoniã & Romano Episcopo hac est consuetudo. Similiter autẽ & qui in Antiochia constitutus est, & in cæteris Prouincijs primatus habeant Ecclesiæ ciuitatum ampliorum, Patres autẽ Græci sic hunc canonẽ exhibuerunt. *Antiquæ consuetudines teneant in Aegypto, vt Alexandrinus Episcopus omniũ habeat potestatẽ quoniã & Romano Episcopo hac est consuetudo Similiter autem & Antiocheno, & in alijs Prouincijs primatus habeant Ecclesiæ ciuitatum. &c.*
Non miretur Lector, si Græci Patres sic truncum hunc exhibuerunt ca-
nonem, quia Constantinopolitanum Episcopum Romano Pontifici in B
eadem quarta Synodo æquare exoptabant; hinc est, quòd originem &
fontem omnis Ecclesiasticæ iurisdictionis abscondere omni aptiori
modo curabant.

Sed ad rem nostram redeamus: Nicena Synodus Alexandrinæ & Antiochenæ Sedibus nihil de nouo tribuit, vt patet: sed quæ tenebant, rata habuit: quia à Petro Apostolorum principe, hæc lex ab initio sancita fuerat non enim Patres Nicæni dixerunt damus Romano Episcopo primatum; Alexandrino Ægyptum, Lybiam & Pentapolim: & Antiocheno Syriam & Arabiam: Sed antiquas consuetudines teneant: ergo ab antiquo seu ab initio sic statutum fuerat. Sed à quo, nisi ab Apostolo-
rum Principe, qui Alexandrinæ Ecclesiæ Marcum suum discipulum C
præfecit, & Antiochenæ alterum discipulum Euodium præposuit? non enim aliud generale Concilium priùs celebratum fuerat. quod hæc sancire potuerit: cum illud fuerit primum, manifestum igitur est originalem causam omnis Ecclesiasticæ iurisdictionis, Petrum esse cum successoribus suis.

Verùm quia in Patriarchalibus Ecclesijs recensendis, & in particularium Ecclesiarum Appellationibus enarrandis, primùm Alexandrinam Sedem proposuimus, quisq; proculdubio causam inuestigabit, cur Ecclesiam Constantinopolitanam, quæ de facto prænarratis prior existit, priùs etiam non sit in hoc Opere apposita? Quibus respondeo, duplici ex cau-
sa me hoc fecisse: primùm quia Alexandrina Ecclesia antiquior est, & D
post Romanam Ecclesiam, super cęteras Orbis sedes vsque ad annum Domini trecentesimum octuagesimum primum, in quo secunda generalis Synodus Constantinopolitana prima celebrata fuit, primatum obtinuit: quo tempore Episcopus Bizantij sub parçcia Archiepiscopi Heracleensis fuerat. secundò, quia si origo Ecclesiarum Patriarchalium spectetur, Constantinopolitanus Patriarcha, vel vltimum vel penultimum meretur locum. idcirco ob suam quam accepit præstantiam, Romanæ Petri cathedræ multùm debet: & nos Alexandrinam Ecclesiam primò proponere decreuimus.

Hinc

A Hinc Nicolaus Primus Romanæ Petri cathedræ hæres, in Responsionibus ad Bulgaros cap.92. sic ait. *Desideratis nosse quot sint veraciter Patriarchæ; veraciter illi habendi sunt Patriarchæ, qui Sedes Apostolicas per successiones Pontificum obtinent, id est qui illis præsunt Ecclesijs, quas Apostoli instituisse probantur, Romanam videlicet, & Alexandrinam, & Antiochenam. Romanam, quam Sanctorum Principes Apostolorum Petrus ac Paulus & prædicatione sua instituerunt, & pro Christi amore fuso proprio sanguine sacrauerũt. Alexandrinam, quam Euangelista Marcus discipulus & de baptismate Petri filius à Petro missus instituit, & Domino Christo cruore dicauit. Antiochenam, in qua conuentu magno sanctorum facto, primùm fideles dicti sunt Christiani, & quam beatus Petrus priusquam Romam veniret, per annos aliquot gubernauit. Constantinopolitanus autem & Hierosolimitanus Antistites, licèt dicantur Patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis, quantæ superiores existunt. Nam Constantinopolitanam Ecclesiam nec Apostolorum quisquam instituit, nec Nicæna Synodus, quæ cunctis Synodis celebrior & venerabilior est, eius mentionem aliquam fecit: sed solùm quia Constantinopolis noua Roma dicta est, fauore Principum potius, quàm ratione, Patriarcha eius, Pontifex appellatus est.* B *Hierosolimitanus autem Præsul, licèt & ipse Patriarcha dicatur, & secundùm antiquam consuetudinem, ac Nicænam Synodum honorandus sit: salua tamen Metropoli propria dignitate: sed & in eadem sancta & magna Synodo nequaquam Hierosolymitanus, sed Heliæ Episcopus dicitur. Nam vera Hierusalem tantùm in Cælis est, quæ est mater nostra: illa verò Hierusalem terrestris, secundùm quòd Dominus prædixit, adeò funditùs ab Helio Hadriano Imperatore Romano destructa est, vt in ea nec lapis super lapidem sit derelictus, & ab eodem Helio Hadriano in alio est loco constructa: itaut locus Dominicæ crucis extra portam, nunc intra cernatur, & à prædicto Helio Hadriano vrbs illa Helia vocitetur.*

Et capit. 93. *Porrò quis Patriarcharum secundus sit à Romano, consulitis: sed iuxta quod Sancta Romana tenet Ecclesia, & Nicæni canones innuunt, & sancti Præsules Romanorum defendunt, & ipsa ratio docet, Alexandrinus Patriarcharum à Romano Papa secundus est.*

Enimuerò si primatum Constantinopolitani Episcopi, Iuris lance perpendere voluerimus, firmius non obtinet fundamentum quàm Cõcilium Lateranense sub Innocentio Tertio celebratum, in cuius capite C quinto sic legitur. *Antiqua Patriarchalium sedium priuilegia renouantes, sacra vniuersali Synodo approbante, sancimus, vt post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinaria potestatis obtinet principatum, vt potè mater vniuersorum Christi fidelium & magistra. Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolimitana quartum locum obtineat, seruata cuilibet propria dignitate &c.* Nam si statutũ secundi Concilij generalis spectare voluerimus in quo dicitur, *Constantinopolitanum Episcopum primum locum post Romanum Episcopum obtinere debere, eo quod hæc ciuitas est noua Roma, infirma res esse videtur.* Nam hic canon à Romana cathedra confirmatus non fuit, quia aliam Synodum Damasus tunc Pontifex, Romæ coegit ad hæresim Macedonij refellendam, & fidei decreto in re huiusmodi à Concilio Constantinop. edito consensum præbuit, de præfato tamen primatu nulla facta fuit mentio. & mirum est cur Alexan- D drinus Episcopus super hanc nouitatem, & propriæ sedis iniuriam, Romanam Petri sedem non appellauerit. sed fortè quisque silentio consensit, ne Imperatorem, qui illius Vrbis præstantiam diligebat, contristaret. quidquid sit, præfatus Canon firmum non videtur habere fundamẽtum: potior ratio, quæ me ad hoc asserendum cogit, est: quia Conciliũ Damaso Papæ super gesta & acta, vt mos est, literas dedit: de hoc autem canone prorsus siluit. Hoc tantùm pro Constantinopolitana Ecclesia, asseuerare valemus, quòd in Concilijs generalibus deinceps, quarta scilicet generali synodo celebrata, Episcopus Constantinopolitanus supra Alexandrinum in quinta synodo locum obtinuit: quod potiùs fuisse vi-

detur, quia Imperatorum potentia freti, ob dignitatem Regiæ Vrbis id A
sibi vsurpare voluerint, quàm aliquo legitimo iure, à Romana Cathedra firmato id verè habuerint. etenim sacris legibus Concilij Nicæni in re huiusmodi aduersari, nulla stante Romanæ Petri Cathedræ lege, sed solùm illius tacito consensu, & præcipuè stante Alexandrinæ Ecclesiæ iniuria, res ardua aliquo modo videtur. Indubitatum enim esse debet apud sanæ fidei homines, ea quæ reluctante Romana Cathedra in quarta generali synodo gesserunt, pro Episcopo Constantinopolitano exaltando, nullius esse roboris & firmitatis: consequens ergo est, vt cum res huiusmodi in nullo alio Concilio generali sancita fuerit, quàm in Lateranensi sub Innocentio Tertio, nullum aliud habeat tam legitimum fundamentum, quàm hæc præfata de qua loquimur, synodus. B

Sed hoc mecum digneris perpendere Amice Lector. Gręcorum Natio de additione particulę *ex filioque* symbolo appositę, conqueritur: & Romanam Cathedram id operari non debuisse sine generali Concilio, seu Gręcis absentibus, audacter proclamat: quod absque cathedrę Petri iniuria affirmare non licet: quę in his rebus vtitur iure suo, à Saluatore Petro & successoribus commisso: cui Iuri omnis Natio si sanam voluerit tenere fidem, magna cum veneratione obedientiam exhibere debet: attamen ipsi Gręci Patres, quibus nullum ius generalibus Concilijs repugnandi inest, nec leges vniuersalis Ecclesię soluendi potestatem habent, leges tamen sanctissimi Concilij Nicęni, de loco & dignitate sedium Patriarchalium, dissoluere voluerunt in synodo Constantinopolitana, vbi Ecclesia Occidentalis non aderat, nec Legati Apostolicę Sedis pręsidebant. Cum ergo ipsi affirmant non licuisse Romanæ Cathedræ absque G ęcis particulam ex Filioque Symbolo apponere, & nos ipsis obijcere possumus, cur vobis licet absque Occidentalibus, & Petri cathedra, leges Concilij Nicęni soluere, quod fecistis in secunda Synodo? & cur vobis in quarta synodo licuit, reluctantibus Legatis Papæ, & deinceps Papa, & vniuersa Occidentali Ecclesia repugnantibus, contra Concilium Nicænum, ad illicitum fastigium, Episcopum Constantinopolitanum extollere? ergo vobis omnia immutare, & Romanæ Petri Cathedræ nihil licere declarare affirmandum est? & cur contra sacros Canones sæpe ex Laico ordine vestros Patriarchas assumpsistis, cum contra Conciliorum generalium Canones nullum ius habeatis: & Romanæ Cathedræ hoc operari non licet, cum iure dispensare liceat? Cur vobis licet sacros Canones soluere, nobis autem particulam ex Filioque symbolo apponere contra statutum tertiæ synodi, nequaquam: cum tamen non adsit tale statutum, vt supra dictum est, in disputatione de Spiritu sancto? Præterea, si Romana cathedra hoc ius sacros Canones soluendi non habet, cur vt solueret, toties petijstis, vt dictum est? numquid quando vultis hoc ius habet, & cùm non vultis, hoc iure caret? Patres & in Christo IESV fratres, charitatem sectemur, dilectionem san-

C and D margin letters appear at right.

ctam

A ctam amplectamur, æmulationes carnis dimittamus, & omnia erunt aperta, quæ sola æmulatio operit. his præmissis.

Dicimus, *Patriarcham Alexandrinum Romanæ Cathedræ Sancti Petri, sicut ouis Pastori suo, subiectum esse*. Priusquam ad huius veritatis probationem descendamus inuestigabimus cur Saluator, cùm actu Petrum, Ioan. cap.vlt. vniuersæ Ecclesiæ Pastorem præfecit, prius ei dixerit, Pasce agnos meos, & tandē Pasce oues meas, cur bis dixit agnos, & tertiò oues? enimuerò absque mysterio huiusmodi sermo non adest, vt verba hæc perpendentibus liquidò constat. Sensus autem, & intellectus horum verborum hic est, vt optimè hoc Saluatoris dictum exposuerunt Ambrosius in Commēt. super Lucam cap.23.tom.3. & in proem. lib.5. de fide to. 4. Et Eucherius Lugdunensis in vigilia Sancti Petri. Cum enim, inquiunt, Saluator Petro dixit, Pasce agnos, omnes Laicos & simplices Clericos ei subdidit. cùm autem ait, Pasce oues, omnes suæ Ecclesiæ Pastores & Prælatos ei subordinauit atque subiecit. verba autem Eucherij hæc sunt. *Dicit ei Pasce oues meas: prius agnos, deinde oues commisit ei, quia non solùm Pastorem, sed Pastorem Pastorum eum constituit: pascit igitur Petrus agnos, pascit & oues, pascit filios pascit & matres, regit & subditos, regit & Prælatos, omnium igitùr Pastor est, quia præter agnos & oues in Ecclesia nihil est.* Itaque diuina sanctione Petrus vniuersalis Ecclesię Christi factus est Pastor & Princeps. Patriarcha autem Alexandrinus, cum alijs eiusdem ordinis, non est neque Laicus, neque simplex Clericus, ergo Petro & successoribus eius non subest vt agnus, sed vt ouis Christi.

B

C Nunc probatur Conclusio quoad principale institutum, sic. Cuicūque ab alijs, superueniente occasione, fieri debent appellationes, ad vltimam controuersiarum obtinendam decisionem, eidem pariter tanquam supremo iudici & Principi appellans subiectus est & subditus sed Patriarchalis Ecclesia Alexandrina de facto ab initio vsque ad annum Domini octingentesimum, Romanam Petri Cathedram, ad controuersiarum obtinendam vltimam decisionem, appellauit; ergo de facto Ecclesia Alexandrina, Romanæ Cathedræ Sancti Petri, vt ouis Pastori suo est subiecta. Maior huius syllogismi patet: Minor probatur per ea quæ facta sunt & euenerunt, seu per Appellationes iam actu ab Ecclesia Alexandrina Romanæ Petri Cathedræ exhibitas.

D

PRIMA ECCLESIÆ ALEXANDRINÆ APPELLATIO.

Anno Domini 112. Euaristus Romanæ Petri Cathedræ Episcopus Aegyptijs appellantibus hanc dedit Epistolam decisiuam: quæ habetur tom.1. Concil. pag.108. Euaristus Vrbis Romæ Episcopus, omnibus per Aegyptum Domino conglutinatis fratribus in Domino salutem. Ex tom. 1 Conc pag 108.

VNum nos, Fratres, sentire oportet & agere, vt sicut legimus in nobis vnum cor & vna anima esse probetur, &c. Audiuimus enim quosdam à vobis infamatos & dilaceratos Episcopos, ac è ciuitatibus proprijs pulsos, quia alibi Episcopi constitui non possunt, nisi in ciuitatibus non minimis: & alios in eis, ipsis viuentibus, constitutos. Ideo hæc vobis scribimus, vt sciatis hoc fieri non licere, sed proprios reuocari, & integerrimè restitui debere. Illos verò qui adulterina fœditate sponsas suas, quas & vxores eorum (præfixo tenore) esse intelligimus, tenent, eijci, vt adulteros, atque infames fieri, eosque ab Ecclesiasticis honoribus arceri iubemus. Si autem aduersus

ecs-

eos aliquam quarelam habueritis, his peractis, inquirendum erit, & authoritate huius sanctæ Sedis terminandum, &c. Non est itaque à plebe aut vulgaribus hominibus arguendus vel decussandus Episcopus, licèt sit inordinatus: quia pro meritis subditorum disponitur à Deo vita Rectorum, &c. Si enim Dominus omnium, Sodomorum mala, quorum clamor ad cælum vsque peruenerat, omnia sciens, prius nec credere nec iudicare voluit, quàm ipse ea cum fidelibus testibus diligenter inuestigans, quæ audierat, opere veraciter cognosceret: multò magis nos humani & peccatores homines, quibus incognita sunt occulta iudicia Dei, hæc præcauere, & nullum ante veram iustamque probationem iudicare aut damnare debemus, &c. A

Hæc Epistola vt legenti patet, supponit Episcoporum Ægypti appellationes ad Romanam Cathedram Petri exhibitas: nam fideles monet eisque præcipit, ne Episcopi à proprijs Ciuitatibus eijciantur, absque Sedis Apostolicæ sententia & iudicio: ergo prius Episcopi Ægiptij, de hac præaccepta iniuria, apud Euaristum Papam conquæsti erant.

SECVNDA APPELLATIO. B

Anno Domini 194. Victor Romanus Pontifex Theophilo Alexandriæ Episcopo, & omnibus fidelibus in Alexandria degentibus hanc misit Epistolam. Licèt Eusebius lib. 5. histor. cap. 22. hunc Theophilum Cæsareæ Palestinæ Episcopum & non Alexandriæ fuisse testetur. Attamen quidquid sit, ad hanc quam intendimus probare veritatem, confert & interest.

Ex tom. 1 Conc. pag. 131.

Victor Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ Archiepiscopus, Theophilo Episcopo & cunctis fratribus in Alexandria Domino famulantibus, in Domino salutem.

M*Vlta mihi gratulatio est dilectissimi fratres, &c.* Celebritatẽ Sancti Paschæ die Dominica agi debere, & Prædecessores nostri iam statuerunt, & nos illud vobis eadem die celebrari solemniter mandamus, quia non decet, vt membra à capite discrepent, nec contraria gerant, &c. Similiter ea vos iudicare, ad Apostolicam delatum est sedem, quæ præter nostram vobis definire non licet auctoritatem, idest Episcoporum causas. C Vnde ita constitutum liquet à tempore Apostolorum, & deinceps placuit, vt accusatus vel iudicatus à cõprouincialibus in aliqua causa Episcopus, licenter appellet & adeat Apostolicæ Sedis Pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos, eius retractari negotium procuret. Et dum iterato iudicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur Episcopus, &c.

Ex hac Epistola Appellatio de tempore Paschatis celebrãdi à Theophilo exhibita colligitur, vt ex textu constat.

TERTIA APPELLATIO.

Anno Domini 203. Zephirinus Romanus Pontifex ad Aegipti Prouinciæ Episcopos appellantes, hanc tradidit epistolam decretalem. D

Ex tom. 1. Conc pag. 134.

Charissimis fratribus per Aegiptum Domino militantibus, Zephirinus Romanæ Vrbis Archiepiscopus.

T*Antam* à Domino, huius Sanctę Sedis & Apostolicę Ecclesię fundatore, & B. Petro Principe Apostolorum accepimus fiduciam, vt pro vniuersali, Christi sanguine redempta, Ecclesia, impigro laboremus affectu, & omnibus Domino famulantibus succurramus, & cunctis piè viuentibus Apostolica auctoritate opem feramus, &c. Nunciatum est enim Sedi Apostolicæ per Apocrisarios vestros, quosdam fratrum nostrorum, Episcoporum videlicet, ab Ecclesijs & sedibus proprijs pelli, suaq; eis auferri supellectilia, & sic nudos & expoliatos ad iudicia vocari:

A quod omni ratione caret: cùm constituta Apostolorum eorumque successorum & præcepta Imperatorum ac constitutiones legum idipsum prohibeant, & Apostolicæ Sedis authoritas idipsum fieri vetet, &c. Iusto iudicio Dei datur plerumque peccatoribus potestas, qua Sanctos ipsius persequantur, vt qui spiritu Dei iuuantur & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores, &c. Ordinationes verò Presbyterorum & Leuitarũ, tempore congruo & multis coram adstantibus solenniter agite, & probabiles & doctos viros ad hoc opus prouehite, vt de eorum societate & adiumento plurimum gaudeatis, &c.

QVARTA APPELLATIO.

Anno Domini 309. Eusebius Romanus Pontifex sic ad Aegyptios appellantes scripsit. Eusebius
B *Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus dilectissimis in charitate Christi vnanimis, charitatis glutino connexis fratribus, per Alexandriam & Aegyptum Domino militantibus, & rectam fidem tenentibus, in Domino salutem. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, &c.* Ex tom 1. concil. pag. 250.

IN scripturis vestris reperimus quosdam Episcopos vestris in partibus, à proprijs ouibus accusatos, aliquos videlicet ex suspicatione, & aliquos ex certa ratione: & idcircò quosdã esse rebus suis expoliatos, quosdam vero à propria sede pulsos. Quos sciatis nec ad synodum comprouincialem nec ad generalem posse vocari, nec in aliquo iudicari, antequam cuncta quæ eis sublata sunt legibus potestati eorum redintegrentur. Prius ergo oportet omnia illis legibus redintegrari, & Ecclesias, quę eis sublatæ sunt, cum omni priuilegio sibi restitui, & postmodùm, non sub angusti temporis spatio, sed tãtum temporis spatium eius indulgea-
C tur, quantum expoliati vel expulsi esse videntur, antequam ad synodũ conuocentur, & ab omnibus quibusque suæ Prouinciæ Episcopis audiãtur. Nam nec cõuocari ad causam, nec dijudicari potest expoliatus vel expulsus: quia non est priuilegiũ, quo expoliari possit iam nudatus, &c.

QVINTA APPELLATIO.

ANno Domini 335. habitum est Conciliabulum Tyrium contra Athanasium Patriarcham Alexandrinum: nam cum Athanasius Alexandro Episcopo Alexandrinæ Ecclesiæ, anno Domini 326. defuncto, totius cleri ac popoli consensu, iuxta vaticinium prædecessoris sui in Episcopatum Alexandrinũ electus esset, Meletiani cum Arrianis coniuncti, eum, quem in ipso Nicæno Concilio suæ hæreseos acerrimum
D hostem & aduersarium experti fuerant, sede Episcopali turbatum vehementer optabant: ideoque eius electionem, quasi illegitimè facta fuisset, calumniabantur: his & alijs accedentibus causis, Conciliabulum Tyrium ad illum deponendum coactũ fuerat. & cum deinceps Athanasius etiam à Cõcilio Antiocheno primo depositus esset, & Gregorius Cappadox loco eius substitutus fuisset, Iulius Romanus Pontifex has pro Athanasio literas scripsit.

Verùm quia Iulius Pontifex in Epistola sua asserit Athanasiũ à Concilio Tyrio non fuisse damnatum: intellige hoc duplici de causa dictũ esse: primò quia solùm Eusebiani eum damnauerunt: Catholici enim

qui interfuerunt, ab Athanasij damnatione abhorruerunt. secundò quia A iniustè, & iuris ordine non seruato damnatus fuerat: cùm reus præsens non fuerit: nec absentem nemo comdemnare iustè valeat. idcircò Iulius in literis suis inquit. *Scitis monumenta Actorum vbi vna dumtaxat pars adfuerit, nullarum virium esse & suspecta haberi.*

Ex tom. 1. Conci pag. 402.

Epistola increpatoria Iulij Papæ ad Orientales Episcopos pro causis Athanasij, & excessibus contra Romanam Ecclesiam.

VEnerabilibus fratribus, vniuersis Orientalibus Episcopis, Iulius. Decuerat vos fratres alios Ecclesiasticis instruere disciplinis, & non talibus arguere machinamentis, dicente Ioanne Baptista: Neminē concutiatis neque calumniam faciatis, &c. Ipsi verò primæ Sedis Ecclesiæ conuocandarum generalium synodum iura & iudicia Episcoporū, B singulari priuilegio, Euangelicis & Apostolicis atque Canonicis cōcessa sunt institutis, quia semper maiores causæ ad Sedem Apostolicā multis authoritatibus referri præceptæ sunt. nec vllò modo potest maior à minore iudicari. Ipsa namque omnibus maior & Prælata est Ecclesijs, quæ non solummodò Canonum & Sanctorum Patrū decretis, sed Domini Saluatoris nostri voce singularem obtinuit principatum. Tu es, inquit, Pétrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiā meam. & reliqua. Et quæcunque ligaueris super terram & solueris, erunt ligata & soluta in cælo & in terra. Porrò dudum à Sanctis Apostolis, successoribusque eorum, in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hactenus Sancta & vniuersalis Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter sentētiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari, C quoniam Sāctam Romanam Ecclesiam primariam omnium Ecclesiarum esse voluerunt. Et sicut Beatus Petrus Apostolus primus fuit omniū Apostolorum, ita & hæc Ecclesia ipsius nomine consecrata, Domino instituente, prima & caput sit cæterorum, & ad eam quasi ad Matrem atque apicem omnes maiores Ecclesiæ causæ & iudicia Episcoporū recurrant, eiusque iusta sententia terminum sumant, nec extra Romanum quicquam ex his debere decerni Pontificem, quatenus nō ita proteruè, & pro libitu cuiuspiam, suo proprio arbitrio, quibusque Metropolitanis sicut agere solebant, liceat inconsulto Romano Pontifice, aut maiores Ecclesiæ causas deturbare, aut Episcopos damnare, sed communi Sanctæ Romanæ Sedis Episcopi Concilio, & concordi actione, quæque sūt D Christi zelo agenda, disponat vnanimiter, recteque sentiant, & ea quæ senserint, non sibimet discrepando sed Deo placita perficiat, &c.

Anno Domini 337. Iulius electus fuit Pontifex.

Et nos scitote, hunc typum deinceps non esse passuros, & ea quæ ad hanc specialiter pertinent sedem, sicut iudicia Episcoporum & maiores Ecclesiæ causæ, vt paulo superius prælibatū est, vos patiamur nobis inconsultis inuadere, absque vestri status periculo. Sed si quis ab hodierna die & deinceps Episcopum præter huius Sanctę Sedis sententiam dānare, aut propria pellere sede præsumpserit, sciat se irrecuperabiliter esse

A ſe damnatum, & proprio carere perpetim honore, eoſque qui abſque huius ſedis ſunt eiecti ſententia vel damnati, huis Sanctæ Sedis auctoritate ſcitote priſtinam recipere communionem, & in proprijs reſtitui ſedibus: quoniam & prius, à tempore ſcilicet Apoſtolorum hæc huic Sedi ſanctæ conceſſa ſunt, & poſtea in memorata Nicæna ſynodo, propter prauorum hominum infeſtationes atque hæreticorum perſequutiones, & inſidiantium molimina fratrum, ſunt concorditer ab omnibus corroborata, vt magis ſinguli prævideant, ne talia audeant perpetrare, & caueant, ſi non propter Deum & amorẽ fratrum, tamen propter opprobrium hominum, ruborem ſuum, atque canonicam vltionem, ſaltẽ hæc timore & verecundia compreſſa, ſilentioque comprimantur, amputato ſcilicet totius vſurpationis exceſſu, quia nullus debet præſumere, quæ ſibi non videntur eſſe conceſſa, &c.
B

Hæc quæ ſequitur Epiſtola Iulij Papæ ad Orientales in eadem cauſa Athanaſij, ex Apologia ſecunda Athanaſij deſumpta eſt.

Iulius Diacono Placillo, Narciſſo, Euſebio, Mari, Macedonio, Theodoro, cæteriſque eorum qui nobis dilectiſſimis in Chriſto fratribus ex Antiochia ſcripſerunt, ſalutem. Ex tom. 1. Concil. pag. 405.

Legi epiſtolam veſtram, quam mihi mei presbyteri, Elpidius & Philoxenus attulerunt: miratuſque ſum quũ à nobis ex vera dilectione & bona conſcientia ſcriptum eſſet, contentioſè à vobis, & nõ vt decuit reſcriptum eſſe. faſtus enim & arrogantia ſcribentium in epiſtola apparebat. Atqui aliena ſunt iſta à fide in Chriſtum, decuit enim eum, qui cum dilectione ad vos ſcriberet, eandem viciſſim dilectionem, non autem contentionem referre. Quid? an non dilectionis indicium erat nos presbyteros miſiſſe, qui compaterentur patientibus, & incitarent eos, qui iudicium ſcriptis poſtulauerant? vt præſto eſſe vellent, quo primum omnia componerentur, & emendationem acciperent, ne diutins aut fratres noſtri iniurias aut vos calũnias pateremini? nec ſcio cur vobis ita rem agere placuit; vt nos in hanc opinionem redigatis, vt arbitremur nos ſub ſpecie reuerentię pro ludibrio eſſe habitos, dictaque veſtra irridentium fuiſſe, cum & presbyteros noſtros ad vos miſſos, quos cum gaudio remiſſos oportuit, cum luctu remiſeritis, ob ea, quæ iſtic geri cõſpiciebant, &c. Quid enim actum eſt dignum offenſa? aut qua in re vobis quibus ſcripſi cauſam ſuccenſionis prębui? an quia adhortati vos ſumus vt ad ſynodum occurreretis? atqui illud cum gaudio potius excipi oportuit. qui enim benè ſentiunt de ijs quæ egerunt, & in quibus ipſi vt aiunt iudices fuere, non indignanter ferre ſolent, ſi quod ab ipſis iudicatum eſt, ab alijs excutiatur, quippe qui ſecuri ſint, ea quæ ipſi iuſta iudicauerunt, iniuſta nunquã fieri poſſe, &c. Ibidem quoque Athanaſij ſinceritas in tuenda fide ſpectata fuit, qui nec Tyri condemnatus eſt, nec Mareotæ præſens fuit, vbi contra eum abſentem in lite proceſſum eſt. Scitis autem dilectiſſimi, monumenta actorum, vbi vna dumtaxat pars adfuerit, nullarum virium eſſe, & ſuſpecto haberi. Nos tamen, quanquã
C
D

ita actum esset pro re certius cognoscenda, neque vobis qui cõtra eum, A
neque illis qui pro eo literas misere præiudicium facientes,cohortati sumus omnes quotquot scripserant, vt præsentes se iudicio sisterent, quo omnia adamussim, quia quamplurimi pro vtroque scribunt in synodo examinari possent ne vel innocens condemnetur, aut qui rei sunt, puri habeantur, &c. Oportuit igitur vos dilectissimi huc accedere, & nequaquam tergiuersari, vt res ad finem deducatur: id enim ratio requirit. Sed fortasse dies cõstituti temporis breuior quàm par erat impedimento fuit, nam huiusmodi in literis vestris quærimoniã facitis, atqui illud dilectissimi, pro mera cauillatione putandum est, &c. venissent enim vt dixi, si de sua causa benè sperassent, &c. Quod autem non temerè aut iniustè suscepērim in cõmunionem coepiscopos nostros Athanasium & Marcellum, etiam si prius dicta sufficiant, breuibus tamen ratio vobis istarũ B
rerum demonstrãda est. Scripsere prius Eusebius cum suis contra Athanasium, scripsistis & vos in præsentiarum, scripsere etiam plurimi ex Ægypto & ex alijs Prouincijs Episcopi pro Athanasio: nã quod ante omnia obseruari oportet, literę vestrę aduersus Athanasium interse pugnãt, & primæ cum secundis nullum concentum habent, &c. Quod si vestris literis fidem dari postulatis, æquum est & literis eorum, qui pro eo scribunt, fidem nõ abnegare, & maximè quòd vobis à patria eius longè distantibus, illis qui in ijsdem locis cum Athanasio degunt, vt de homine noto rebusque ibi gestis certiores probum testimonium de vitæ eius innocentia perhibent, affirmãtes eum non nisi confictis criminibus opprimi. Quin & Arsenius aliquando dictus ab Athanasio interfectus, quem C
iam cognouimus in vita esse, & cum Athanasio amicitia fouere, is ipse affirmat ea quæ acta sunt Mareotæ in absentia alterius partis acta fuisse, &c. Quinimmo Presbyteri & Diaconi cum huc venissent, non tenuiter sed prolixè testimonia dixere pro Athanasio, affirmantes nihil eorũ quę illi obijcerentur verum esse, eumque cõiurationibus premi, quin & Episcopi ex Ægypto & Africa in suis scriptis affirmarunt constitutionem Athanasij in suscipiendo Episcopatu legitimam & Ecclesiasticam fuisse, neque cædem commissam, neque quenquã per illum sublatum esse, neque poculum vllum confractum, sed omnia esse conficta, &c. Præter hæc omnia annum totum & integros sex menses apud nos hæsit, vestrã D
præsentiam expectans, aut quotquot comparere auderent, suaque præsentia pudefecit omnes: non enim iudicio stetisset, nisi sui fiduciam habuisset, neque sponte, sed literis nostris ad iudicium vocatus comparuisset, quemadmodum vos per literas citauimus, & tamen post tanta argumenta, nos veluti insolitum quiddam agentes repræhenditis. Qui igitur sũt qui cõtra canones agũt? nos ne qui cum tantis rerũ documentis virũ recipimus? an qui solum ad triginta sex suffragia eorum qui Antiochiæ fuere externum hominem Episcopum salutarunt? eumque militari manu Alexandriam deduxerunt, quod ne tunc quidem factum est, cum

Atha-

A Athanasius in Galliam relegabatur, quod tum haud dubie factum fuisset, si pro verè damnato habitus fuisset: certè cum inde ab exilio rediret, etiam tum suam Ecclesiam, à qua recipiebatur, vacãtem inuenit. prorsus ignoro quanam ratione facta sunt, quæ facta sunt, &c. Non enim solùm Athanasius & Marcellus Episcopi cum quærimonijs de illatis iniurijs, sed & plurimi alij Episcopi ex Thracia, Cœlosyria, Phænicia, Palæstina huc conuenere, presbyteri item non pauci, partim ex Alexandria, partim aliunde huc ad Cõcilium occurrerunt, & coram omnibus Episcopis ibi congregatis, inter reliqua dicta sua conquæsti sunt, vim & iniuriam Ecclesijs illatas esse, suasque Ecclesias eadem quæ Alexandrina passas esse, & in alijs Ecclesijs similia designata, &c. Cur igitur & in primis
B de Alexandrina ciuitate nihil nobis scribere voluistis? an ignari estis hãc consuetudinem esse, vt primùm nobis scribatur, vt hinc quod iustum est definiri possit? &c.

SEXTA APPELLATIO.

Epistola Liberij Papæ ad Athanasium & Aegyptios responsoria.

Dilectissimo filio Athanasio, & omnibus in vnum congregatis, & de Trinitatis fide rectè sentientibus Aegyptiorum Episcopis, Liberius Papa. Ex tom. 1. Conci. pag. 469.

OLim & ab initio tantam percepimus à Beato Petro Apostolorum Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem pro vniuersali Ecclesia ad rectam defendendam fidem, quatenus nulli liceat statum Sanctæ Ecclesiæ commouere ad læsionem rectè credentium absque sui periculo honoris. Epistolam siquidem vestram, nobisque directam ante nos recitari fecimus, tribulationes & persecutiones, quas pro recta fide patimini, intelleximus. Super quibus & nos vna vobiscum cõdolemus, & laborare pro vobis, vt Pater pro filijs, parati sumus, &c. qui pro nouitatis commento accusati sunt, de venerabili scrinio nostro obsecundantibus, & nobis rationabiliter offerentibus solertius intendamus, itaut qui hæc præsumpserint præuaricari, primùm quidem subiaceãt iudicio terribili omnipotentis Dei, deinde autem qualemcunque regularem indignationem reuereantur, per quam siquidem Episcopi aut Clerici sunt, à sui Sacerdotij siue à Cleri sui ordine, modis omnibus excidant: si autẽ Monachi sunt segregentur & alieni sint de suis locis, &c.

An D. 352 Liberius eligitur Pont.

C (margin letter beside "riculo honoris")

D

SEPTIMA APPELLATIO.

Epistola Innocentij Papæ Primi ad Theophilum Alexandrinum Episcopum. Ex tom. 1. concil. pag. 590.

FRater Theophile, Nos & te, & fratrẽ nostrum Ioãnem (nempe Chrysostomum) communionis nostræ esse decreuimus, sicuti & in prioribus literis apertè satis expressimus, & nunc in sententia nostra & volũtate perdurantes, rursus eadem scribimus. Et quotiescunque scripseris, nisi debitum sequatur conueniensque iudicium, propter ea quæ magno cum dedecore sunt gesta, possibile non est, nos à Ioannis communione discedere. Itaque si conscientiæ confidis, tu quoque iudicio accurre ad synodum proximè in Christo celebrandam, & illic iuxta Nicæni Con-

cilij canones & decreta concēde. alios quippe canones Romana nō admittit Ecclesia. Quod si obtinueris, euidēs & irrefragabilis erit ratio tua. A

OCTAVA APPELLATIO.

Ex tom. 1. concil. pag. 617.

Epistola decisiua Cælestini Papæ ad Cyrillum Episcopum Alexandrinum appellantem.

Cælestinus Episcopus Cyrillo Episcopo Alexandrino.

INtelligo sententiam sapientissimi Salomonis impletam: non enim aliter quam sitiens aquam frigidam, de terra longinqua iteratum nūcium per litteras tuæ dilectionis accepi, quæ nos inuicem nostri consilij participatione coniungunt. Indifficulter est Ecclesiarum & Catholicæ fidei speranda tranquillitas, quando pro hac elaborare Christianissimos Principes sic videmus. Non est inefficax in diuinis maximè causis cura regalis quæ pertinet ad Deum, qui fideliter tenet corda regnantium. B

An. D. 423 Cælestinus electus est Pontifex.

Itaque breuiter responsum tuæ reddimus sanctitati. Etenim quæris, vtrū Sancta Synodus recipere debeat hominem à se prædicata damnantem: an quia induciarum tempus emensum est, sententia dudum lata perduret? Super hac vtique consultatione communi, communem Dominum consulamus. Nonne nobis respondet illicò per Prophetam, mortem se nolle morientis: & per Apostolum Paulum omnem hominem velle saluum fieri, & venire ad scientiam veritatis? Nunquam displicet Deo accelerata in quocunque correctio, tuę sit hoc sanctitatis cum venerando fratrum consilio; vt orti in Ecclesia strepitus comprimantur, & finitum, Deo annuente, negotium votiua correctione discamus, &c.

Cæteras Epistolas Cælestini Papæ ad Cyrillum Alexandrinum Patriarchā omittimus, quia in prioribus disputationibus iā fuerunt propositę. C

Ex tom. 1. concil. pag. 924.

Epistola Sixti Papæ Tertij ad Cyrillum Alexandriæ Episcopum.

Sixtus Episcopus Cyrillo Alexandriæ Episcopo.

An. D. 432 Sixtus electus est Pontifex.

MAgna sumus lætitia alacritatis impleti, postquam sicut legimus, ex alto nos Oriens visitauit. Ecce enim solicitis nobis, qui neminē perire volumus, sanctitas tua redintegratum corpus Ecclesiæ, suis Epistolis indicauit: redeuntibus eius in sua membra compagibus, neminē foris iā videmus errare, quia intus omnes positos fides vna testatur, &c. In vnum congregati Apostoli de fide sæpe tractarūt: in vnum nunc cōuenientes Apostolici de eius victoria gratulantur. O relatio digna mittente, digna conuentu! gaudij cælestis iudicium tales habere debuit cognitores: & quia res & causa deposcit, locum quoque conuenit intueri. D Ad Beatum Apostolum Petrum fraternitas vniuersa conuenit: ecce auditorium congruens, auditoribus conueniens audiendis. habuerunt Episcopi nostri illum congratulationis testem, quem habemus honoris exordium, &c.

Ex tomo 1. concil. pag. 975.

Epistola Leonis Papæ Primi ad Martianum Augustum pro Proterio Episc. Alexandrino.

Leo Episcopus Martiano Augusto.

PVritatem Fidei Christianæ, qua clementia vestra præfulget, etiā his literis quas frater & coepiscopus meus Nestorus detulit, demōstra-

stis;

Digitized by Google

A stis; iustissimum fratri meo Proterio Alexandrinæ vrbis Antistiti impendentes fauorem, quo mihi per omnia esset acceptior. Nam cui vestra pietas testimonium perhibere dignatur, indubitanter esset probandus, etiam si taceret. Sed accedit ad gratiam, quod proprio quoque sermone cognoscitur, & quam sincerus sit Catholici dogmatis prædicator, ipsius professione clarescit. Vnde plenissimo affectu dilectionem orthodoxi fratris amplector, & Deo gratias ago, quod amoto eo, qui Euangelio Christi voluit contraire, & à Sanctorum Patrum intelligentia dissentire, talem prospexit Alexandrinæ Ecclesiæ Sacerdotem, qui præcedentibus rectoribus, & fide concordaret & vita. Nam cum amplecti se Epistolā meam, quam ad beatæ memoriæ Flauianum contra Eutychen impium

An.D 440 Leo I. electus fuit Pontifex.

B misi, toto corde profiteretur, quid aliud quam Apostolorum se discipulum ostendit. quoniam doctrina veritatis in lumine suo permanet, & nō potest esse diuersum quod vnum est atque diuinum. Rescripsi itaque prædicto fratri quod debui, atque in sancto studio vt perseueraret admonui. qui sine dubio constantior erit, si etiam clementiæ vestræ cohortationibus adiuuetur, &c. Quia verò quorundam hæreticorum versuta nequitia, ad conturbandā aliorum simplicitatem, Epistolā meam, quam ad beatæ memoriæ Flauianum dedi, falsasse perhibetur, vt commutatis quibusdam verbis vel syllabis, receptorem me Nestoriani erroris asserat: obsecro venerabilem clementiam vestram, vt eandem Epistolam, per fratrem meum Iulianum Episcopum, vel eos quos idoneos

C ad hoc opus pietas vestra delegerit, in Græcum sermonem iubeatis integrè diligenterque translatam, per idoneum latorem sub vestri signaculi impressione deferri, tradendam iudicibus Alexandrinis, qui eam clero & plebi ipsius ciuitatis, cum prædictorum Episcoporum prædicationibus, qui & meo scripto consentiunt, faciant recitari, vt agnoscant se fallacium hominum fraude vlterius decipi non debere, & probentur Apostolicæ Sedis sinceri esse discipuli, apud quam nec Euthiches, nec Nestorius vllum obtinent locum: quia sicut alios hæreticos, ita & istos Ecclesia vniuersalis damnauit. Data 6. idus Martij, Ætio & Studio viris clarissimis Consulibus.

In hac Epistola duo nobis præcipuè perpendenda occurrunt. Primū

D est, Alexandrinum Episcopum eo tempore à Romano Pontifice suæ assumptionis confirmationem accipere, cui Catholicæ Fidei professio per solennes nuncios ab eodem tradebatur. cur autē & his temporibus hæc exequi renuant, ipsi videant. certum est Euāgelium Christi non esse cassatum & irritum, nec aliud Euangelium hominibus credendum traditū esse. Secundum est, Orientales hæreticos, literas Romanorum Pontificū corrumpere consuetos esse. quamobrem in dubium vertere possumus, an Epistolę Honorij idem discrimē ab hæreticis Monothelitis passę sint. vt in superioribus disputationibus fusè diximus.

Epi-

Digitized by Google

Extomo I. concil. pag. 978.

Epistola Leonis Papæ Primi ad Leonem Augustum, in qua Concilium generale fieri prohibet, & causam Alexandrini Episcopi iudicat. A

Leo Episcopus Leoni Augusto.

Literas clementiæ tuæ plenas virtute fidei, & lumine veritatis veneranter accepi; quibus cuperem etiam in eo quod præsentiā meam pietas vestra necessariam existimat, obedire, vt maiorem fructum conspectu vestri splendoris assequerer: sed magis id vobis arbitror placiturum, quod eligendum ratio demonstrauit. Nam cum sancto & spiritali studio, in vniuerso mundo pacem Ecclesiæ muniatis, nihilque sit conuenientius fidei defendendæ, quàm his quæ per omnia, instruente Spiritu Sancto, irrepræhensibiliter diffinita sunt, inhærere: ipsi videbimur benè statuta conuellere, & authoritates quas Ecclesia vniuersalis amplexa B est, ad arbitrium hæreticæ petitionis infringere, atque ita nullum colligendis Ecclesijs modum ponere, sed data licentia rebellandi, dilatare magis quàm sopire certamina, &c. Cum enim clementiam tuam Dominus tanta sacramenti sui illuminatione ditauerit, debes incunctanter aduertere, regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprimēdo, & quæ benè sunt statuta defendas, & veram pacem his quæ sunt turbata restituas, depellendo scilicet peruasores iuris alieni, &c.

Nonne perspicuum est, quibus pietas vestra succurrere & quibus debeat obuiare, ne Alexādrina Ecclesia, quæ semper fuit domus orationis, spelunca nunc sit latronum? Manifestum quippe est per crudelissimam C immanissimamque sæuitiam omne illic cælestium Sacramentorum lumen extinctum. intercepta est sacrificij oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, & participalibus manibus impiorū omnia se subtraxere mysteria. Nec vllo modo ambigi potest, quid de his decernendum sit, qui post nefanda sacrilegia, post sanguinem probatissimi Sacerdotis effusū, & concremati corporis cinerē, in contumeliam aeris cęlique dispersum, audent sibi ius peruasæ dignitatis expetere, & Apostolicæ doctrinæ inuiolabilem fidem ad Concilia prouocare. Magnum ergo vobis est, vt diademati vestro de manu Domini etiam fidei addatur corona, & de hostibus Ecclesiæ triumphetis. quia si laudabile vobis est aduersarum gētium arma conterere, quanta erit gloria ab insanissimo tyranno, Alexan- D drinam Ecclesiam, in cuius contritione omnium Christianorum est iniuria, liberare? Vt autem litteræ meæ pietati tuæ colloquium quasi præsentis exhibeant, quicquid de communi fide fueram suggesturus, scriptis prosequentibus insinuandum esse perspexi, &c. Sacerdotalem namque & Apostolicum tuæ pietatis animum, etiam hoc malum ad iustitiā vltionis debet accendere, quòd Constantinopolitanæ Ecclesiæ puritatē pestilentes obscurant, in qua inueniuntur Clerici quidam, hæreticorum sensui consonātes, & intra ipsa Catholicorum viscera assertionibus suis hæreticorum partem adiuuantes. in quibus deturbandis, si frater meus

Digitized by Google

A Anatolius, cum nimis benignè parcit, segnior inuenitur, dignamini pro fide vestra, etiam istam Ecclesiæ præstare medicinam, vt talem non solùm ab ordine clericatus, sed etiam ab vrbis habitatione pellantur &c. Data Kal. Decemb. Constantino & Rufo viris clarissimis Consulibus.

APPELLATIO NONA.

Epistola decretalis Leonis Papæ Primi ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum.

Leo Episcopus, Dioscoro Episcopo Alexandrino salutem.

QVantum dilectioni tuæ Dominicæ charitatis impendamus affectũ, ex hoc poteris approbare, quòd tua firmiùs desideramus fundare initia, ne quid charitati tuæ ad perfectionem deesse videatur, cum tibi specialis gratiæ merita, vt probauimus, suffragentur. Paterna igitur & B fraterna collatio, debet sanctitati tuæ esse gratissima, & à te taliter suscipi, quemadmodum à nobis eam intelligis proficisci. Vnum enim nos sentire oportet & agere, sicut legimus; in nobis quoque vnum esse cor & anima comprobetur. Cum enim beatiss. Petrus Apostolicum à Domino acceperit principatum, & Romana Ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere, quod sanctus discipulus eius Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernauit, alijs regulis traditionum suarum decreta formauerit, cum sine dubio de eodẽ fonte gratiæ vnus spiritus fuerit & discipuli & magistri, nec aliud ordinatus tradere potuerit, quàm quod ab ordinatore suscepit. Non ergo patimur, vt cum vnius nos esse corporis & fidei fateamur, in aliquo discrepemus: & alia doctoris, C alia discipuli instituta videantur. Quod ergo à patribus nostris propensiore cura nouimus esse seruatum, à vobis quoque volumus custodiri, vt non passim diebus omnibus, sacerdotalis vel leuitica ordinatio celebretur, sed post diem sabbati eius noctis &c. Et vt quoties Basilicam in qua agitur præsentia nouę plebis impleuerit, toties sacrificiũ subsequens offeratur. Necesse est autem vt quædam pars populi sua deuotione priuetur, si vnius tantùm Missæ more seruato, sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte conuenerint. Studiosè ergo dilectionem tuam & familiariter admonemus, vt quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat, vt per omnia nobis & fide & actibus congruamus &c. Data Kalendis Iulij.

Ex tom. 1. concil. pag. 983.

D

APPELLATIO DECIMA.

Epistola decisiua Leonis Papæ Primi ad Episcopos Aegypti appellantes.

Leo Episcopus Theophilo, Ioanni, Athanasio, Abrahæ, Danieli, Ioabæ, Paphnutio, Museo, Panuluio, & Petro Episcopis Aegyptijs.

LIteris fraternitatis vestræ, quas ad me filij nostri Daniel Presbyter & Timotheus Diaconus detulerunt, cognouisse me gaudeo, quod gloriosi & venerãdi Principis fides, propheticis & Eaangelicis vnita doctrinis, ad sanctos & Deo placitos dispositionum suarum peruenit effectus, vt cruentissimo Alexandrinæ Ecclesiæ peruasore deiecto, & in longinquiora translato; dignum sua gubernatione rectorem totius ciuitatis

Ex tom. 1. concil pag. 1005.

mereretur

mereretur electio: ad cuius vos consecrationẽ nullus ambitus traheret: A
nulla seditio impelleret, nulla iniquitas incitaret: sed in medio constituta meritorum sanctitate, eum cunctis non dubitaret præponere, quem sibi vniuersitas cuperet præsidere. Vnde reddita populis Christianis Dei pace gaudentes, commendamus vobis inuicem vestri operis dignitatẽ: vt religiosè per omnia ordinatus Antistes, fraterno se viuere experiatur assensu, & ad abolẽda, quæ error hæreticus excitauerat, cooperatione vestra gaudeat adiuuari &c. Dat. 15. Kal. Sept. Magno & Appollonio Cõs.

APPELLATIO VNDECIMA.

Ex tomo 2. concil. pag. 205.

Epistola Simplicij Papæ ad Zenonem Augustum pro Ecclesia Alexandrina.

Zenoni Augusto, Simplicius Episcopus.

CVperem quidem, quantum ad meæ spectat deuotionis arbitrium, B
qua Principes Christianos iugi veneratione suscipio, debita pietati vestræ continuis officia deferre colloquijs &c. Functus igitur gloriosissime ac clementissime fili Imperator Auguste, munere salutandi, quæ in Ecclesijs Orientis per hæreticorum latrocinia recidiua rursus dicuntur scandala conciliari, nec debeo silere nec possum. Nam sicut in meam notitiam feruentium pro fide catholica detulerunt scripta Monachorũ, comperi Timotheum parricidam, qui Ægyptiacæ pridem vastator Ecclesiæ, in morem Cain, vt lectio diuina testatur, eiectus à facie Dei, hoc est, Ecclesiæ dignitate seclusus, etiam per deserta vagus, sceleratæ conscientiæ diu tormenta passurus, in exilium proprij erroris abductus est, resumptis pristini furoris incendijs, conflasse nihilominus agmina perditorum, & Alexandrinæ vrbis Ecclesiam, quam sacerdotali prius sanguine cruentauit, ipsum denuo nunc cruentũ depulsione legitimi persuasisse Pontificis: vt cui illa relegationis humilitas inijcere debuerit, ex his quæ impiè gesserat, aculeum pœnitendi, nutriendi potius otia tribuisse videatur atrocioris insaniæ: quo proculdubio Cain ipso longè detestabilior approbatur: ille siquidem à perpetrato semel facinore damnatus abstinuit, hic profecit ad crimina maiora post pœnam &c. Quapropter clementiam vestram, cui mea vice propensius frater & Coepiscopus meus Acacius supplicabit, præcor atque obsecro, vt imitatores facti tantorum & talium prædecessorum, nefandæ præsumptionis operarios catholico pectore respuentes, regia censeatis potestate cohiberi. D
Quisquis, sicut prædixit Apostolus, præterquam accepimus, seminare molitur, anathema sit. &c. Quo magis, ac magis beati Petri Apostoli voce, qualescumque sedis eius minister obtestor, vt inimicos antiquæ fidei non sinas impunè grassari, qui vestros optatis habere subiectos: vt verè confessionis pacem cunctas Domini seruare decernatis Ecclesias, qui Orbem vestri Imperij desideratis tenere pacatum: & vnicam spem saluris, quæ genus hominum ad regna cælestia, vitamque perducit æternam, nulla patiamini parte violari, qui placatum Deum regno vestro cupitis vel saluti. Data 4. idus Ianuarij.

Alia

Digitized by Google

A Alia Simplicij Papæ Epistola ad Zenonem Augustum pro Ecclesia Alexandrina. *Ex tom. 2. Conci. pag. 207.*
Simplicius Episcopus Zenoni Augusto.

INter opera diuinæ prouidentiæ, quæ pia semper & iusta sunt, nostris quoque temporibus eloqui potentias Domini vix qualibet humana lingua sufficiat, &c. Debes gloriosissime & clementissime fili Imperator Augustæ memoriæ tantorum virorum taliumque reuerētiam debes vices muneribus Dei. Ille te ad istorum reduxit Imperium, tū Deo istis similem redde famulatum. Et quia hæc Beato Apostolo docente nos Petro, mea nuper humilitate prædicante refutata sunt à casuris, Deo fautore proficiant in regni soliditate mansuris, &c. Vnde ante omnia præcor, vt Alexādrinam Ecclesiam non minus à funesto, quam ab hæretico per- *An. D. 467 Simplicius Papa electus fuit Pontifex.*
B uasore clementiæ vestræ dispositionibus liberatam, Catholico ac legitimò restitui censeatis Antistiti, eisque etiam, quos temeritate diabolica diuersis Ecclesijs ordinasse perhibetur eiectis, rectæ fidei subrogari constituatis Episcopos, vt sicut Remp. vestram à tyrannica dominatione purgastis, ita vbique Ecclesiam Dei ab hæreticorum latrocinijs atque contagijs exuatis: nec id potius præualere patiamini, quod iniquitas tēporum, & eos quos non solùm vestro Imperio, sed & in Deum quoque rebellis spiritus concitauit: quàm quòd tot tantique Pontifices, & cum egregijs orthodoxisque Pontificibus vniuersalis Ecclesiæ decreuit assessus. Chalcedonensis Synodi cōstituta, vel ea quæ Beatæ memoriæ prædecessor meus Leo Apostolica eruditione perdocuit, intemerata vigere
C iubeatis: quia nullo modo retractari potest, quod illorum definitione sopitum est, nec vllatenus recipi totiens vno vndique ore damnatus: ipsa est quippe, sicut experti estis Catholica fides, quæ potentes de sede lesa deposuit, & exaltandos humiles custodita seruauit. Quare satis agendum est pietati tuæ, vt qui huius tibi auctor est doni, sit ipse etiam propagator. Data 8. idus Octobris post consulatum Basilisci & Armati.

Tertia Simplicij Papæ Epistola ad Zenonem Imperatorem. Qua gratias agit pro Timotheo Alexandrinæ Ecclesiæ restituto. eumque rogat, vt Petrum eiusdem Ecclesiæ perturbatorem expelli iubeat. *Ex tomo 2. concil. pag. 208.*
Simplicius Episcopus Zenoni Augusto.

PEr Petrum virum spectabilem Comitem Placidiæ nobilissimæ fœminæ olim diuinorum exultatione munerum, triumphalis in Domi-
D no regni vestri gloria dilatatur, cum vniuersalis Ecclesię gaudio mediocritatis meæ literas obtulisse meminerim, nec inter vniuersos Catholicæ fidei sacerdotes opera Domini nostri, vel solus potui tacere, vel primus: quia secundùm Beatum Paulum Apostolum, Ecclesiarum omnium curam sustinens, mihi summam gaudij, de reddita pro clementia vestra earum quiete specialiter vindicaui, quod vos diuinitatis auxilio, deiectis religionis & regni hostibus meruerimus habere victores, &c. Tacere nō possum gratias sine dubio perennes, quod antiquæ veræque fidei in fratre & coepiscopo meo Timotheo Alexandrinam Ecclesiam reddidistis, cuius ad me nuper literæ commeantes, expulsa profanitate Euthichetis

atque Dioscori damnatorum, ad regendos orthodoxos Beati Petri, & Euangelistæ Marci sedem, quod ante compertum est, se recepisse commemorauit, incitans nos volentes, vt hæc ipsa pietatis vestræ sensibus referremus. Vt ergo tranquillitas vestri perpetua & fixa sit regni, quietẽ quã cunctis in memorata Ecclesia præstitistis, peruigili protectione custodite, &c. Præcor tamen vt quod per nos seriò postulat, imò quod ipsi specialius supplicamus, Petrum Alexandrinæ Ecclesiæ peruasorem, & ob hoc iure damnatum, quia moliri quædam latens in Alexandria, sicut ad nos scriptum est, ciuitate contra hæc quæ à vobis sunt statuta memoratur, ad exteriora transferri pijssima præceptione iubeatis, ne aliquos modicæ fidei inficiat, & ad peruersitatis suæ instrumenta traducat, &c. A

Epistola Simplicij Papæ ad Acacium Episcopum Constantinopolitanum. Conqueritur vna cum Imperatoris literis, ab eo literas non accepisse; & Imperatorem Petrum hæreticum in Alexandrię Episcopum petere, dum ipse paratus esset Ioannem confirmare: demum præcatur vt Imperatorem moneat, ne hæretico iam damnato fauere velit. B

Ex tom. 2. concil. pag. 811.

Simplicius Episcopus, Acacio Episcopo Constantinopolitano.

MIramur pariter & dolemus, ita in tuæ dilectionis animo dissimulatam lacerare curam caritatis & fidei, vt cum Christianus Imperator pietatis & religionis instinctu affandi me, & de causis Ecclesiasticis consulendi fideles atque solertes internuncios destinaret, ipse & alternæ gratiæ & vigilantiæ pastoralis oblitus, nec alloqui nos volueris, nec de his quæ ad Catholicæ veritatis custodiam pertinebant duxeris instruendos: atque ideo frater charissime, quæ non immeritò cernis libera affectione culpari, potiore diligentia repensando, cognosce proinde delegatum tibi munus impendens, sensus tuos prudenter attolle, & pro tuẽdis Chalcedonensis Synodi constitutis, vehementer inuigila, ne per negligentiam desidiamque nostram subrepatur gregibus Domini letale dispendium. Nuper ab Ægyptia Synodo, quę & numero plurima, & fidei Catholicæ esset communione suffulta, atque ab ipso omni propemodum Clero Alexandrinę sedis ad nos ex more relatio missa patefecit, sanctæ memoriæ fratrem quendam, & coepiscopum nostrum obijsse Timotheum, inque eius vicem consona fidelium voluntate Ioannem, cui ad sacerdotium constare crederentur omnia, subrogatum; vt nihil omnino restare videbatur, nisi vt Deo nostro gratias agentibus nobis atque gaudentibus, vt sine strepitu, quod Catholicus in defuncti ministerium successisset Antistes, Apostolicæ quoque moderationis assensu votiuam sumeret firmitatem, cum ecce secundum consuetudinem mihi talia disponenti trãquillissimi Principis scripta sunt reddita, quibus memoratum tanquam periurij reum, quod fraternitati quoque tuæ non esse diceretur incognitum, sacerdotio perhiberet indignum. illicò retraxi pedem, & meam reuocaui super eius cõfirmatione sententiam, ne quid contra tantum ac tale testimonium præpropere fecisse iudicarer. Sed illud me non mediocriter fecit attonitum. quod ijsdem litteris suis Petrũ qui hæreticorum socius dudum extitisse probetur & princeps, quod cõ- C D

Alexandrinæ Ecclesiæ Patriarchã Romanus Pontefex confirmat.

scien-

A ſcientiam dilectionis tuæ meminimus non latere, inſtructioneſque ipſas quibus fuerit confutatus; noſſe confidimus, quemque etiam dubiũ non ſit adhuc extra communionem durare Catholicam, ſæpeque nos de eadem ex illa vrbe pellendo ſcripſiſſe ſit certum, ad præfatæ Eccleſię regimen exiſtimet prouehendum, cumque promittat rectæ fidei definitionibus conuenire, à cuius vtique ſicut diximus, cõſortio tam degit extraneus, quàm ab eius communione diſcretus eſt, ad quam ſi nunc redire contendit, niſi per ſatisfactionem Chriſtianis regulis competentem non poteſt introire, ac perinde non ad faſtigium ſacerdotalis dignitatis accedere, &c. Tantis igitur malis atque periculis pro ſacerdotij qualitate, & Catholicæ prædicationis intuitu, vt qua potes ratione ſapienter obB ſiſtas maximis vndique rebus adſtringeris: nec dilectioni tuæ fas eſt id ſegnius operari, quod ad animæ tuæ cauſam honoris æſtimationiſque reſpectum non dubitas pertinere. Opportunitatibus ergo repertis, clementiſſimi Principis voluntatem inceſſabiliter pro fide Catholica ſupplicando, & ab his ſedulò reuocare, quæ nociua ſunt dogmati Chriſtiano, & ſecundùm hæc quæ mãdamus, informare crebro inque eam partem quæ amica ſit veritati, potius inſtare non deſinas, & vt ſanctum Timotheum venerandus Apoſtolus Paulus inſtituit, opportunè importunè obſecrãdo, inſinuando, exponendoquè nullatenus allegare ceſſabis, & nobis ſubinde quæ gerantur quæue gerenda ſint veraciter indicare, vt creditorum tibimet diſpenſatione Dominica talentorum in hac mulC tiplicatione fidelis ſeruus oſtendaris, ſi non tantùm in Eccleſia, cui præſides, ſed vbicunque potueris pro vnitate catholica, & pro paternis definitionibus ſuadere non renuas. Data idibus Iulijs Seuerino V.C. Cõſule.

Epiſtola Felicis Papæ tertij ad Zenonem Imperatorem. Pro Eccleſia Alexandrina ſupplicat: quidquid ante hac pro defenſione eiuſdem Eccleſiæ dixit aut fecit commemorat, vt poſteriorem Ioannis Alexandrini Epiſcopi electionem, & Petri Mogi reſtitutionem repræhendat. *Ex tom 2. concil. pag. 2:6.*

Incipit Epiſtolæ exemplum beatiſſimi Papæ Felicis vrbis Romæ ad Zenonem Auguſtum per Vitalem & Miſenum Epiſcopos.

DEcebat profectò venerabilis Imperator, poſt ſanctæ memoriæ deceſſoris mei tranſitum, meque in eius locum diuina gratia ſubrogatum, clementiæ tuæ literarum munus offerre: quod vel ea, ſicut rerũ D poſcebat ratio, nunciarem, vel officioſitatis meæ primitias exhiberem: quibus tamen ritè depenſis, etiam illa pariter necterentur, quæ ad veſtri munimen Imperij, proſperitatiſque eius ſuffragia pertinerent, quantoq; eſſent ſtudio maiore curanda, tanto dignioribus internuncijs explerentur, &c. Ecce iamdiu eſt, quòd beati Apoſtoli ſedes, datis per beatæ memoriæ deceſſorem meum ad ſerenitatem tuam literis expectans, & nullum recepit pro catholica fide pro Orientalium tranquillitate reſponſũ: præſertim cum tuam conſcientiam, glorioſiſſime Princeps metuendis obſtrinxerit illa ſacramentis, ne ſedes beati Euangeliſtæ Marci à doctrina magiſtri ſui, vel communione permitteres ſeparari. Sed quoniã præ- *An. D. 483 Felix elig. Pontifex.*

fati decessoris mei studium, longa incommoditate faciente, hæc eadem A
crebriùs iterare non potuit, per me que nunc humilitatis officium, solicitius
repetere non quiescit. Rursus ergo Apostoli Petri veneranda confessio
maternè instar vocibus, & suorum præcipuè filiorum compellere non
desinens confidentiam tuæ pietatis, exclamat. Christiane Princeps, cur
me à curriculo charitatis, quo Ecclesia vniuersalis astringitur, permittis
incidi? cur in me rumpis totius Orbis assensum? Quæso te, fili pijssime,
ne tunica Domini desuper contexta per totum, qua in vnum corpus sā-
cto Spiritu vbique regente, indiuiduam fore Christi figurauit Ecclesiam,
vlla patiaris forte violari, &c. Subiecit vobis diuina prouidentia faculta-
tem, qua itidem effringatis opera perfidorum. Depulit ille nostræ reli-
gionis vastatorem: vos ab eius Ecclesiæ ceruicibus irruptionem detur- B
bate prædonum. pacauit ille Remp. sicut vester quoque sermo testatur,
à tyrannide hęretica: libertatem vos ab ipsis hęreseos pręceptoribus po-
pulos eruentes, Christianis restituite. Ille vos aulæ legitimæ restituit Im-
peratoris iure suffultos: reddite vos magistro discipulum: sedem beati
Marci Euangelistę ad communionem beatissimi Petri, de vitę eorū me-
ritis deuotione reducite: vt ipso in vobis opus bonum perficiente, qui
cęperit securè audire mereamini: Qui perseuerauerit vsque in finem hic
saluus erit, &c. Quod verò cuncta litteris non potuerunt comprahendi,
quę negotij qualitas non finit præteriri: quædam venerabilibus nostris
fratribus & coepiscopis meis, quibus cura legationis iniūcta est, proprio
apud vos agenda sermone, commissa sunt. Pręcor vt ea quęque & audi- C
re benignus, & indifficulter annuere, tum pro Catholicæ obseruātia ve-
ritatis, tum etiam pro regni vestri incolumitate dignemini.

Epistola Gregorij Papæ primi ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, & Anastasium Episcopum Antiochenum. Vt communiter insequantur superbiam Ioannis Episcopi, qui nomen vniuersalis sibi arrogabat.

Ex tom. 2. concil. pag. 792.

Gregorius, Eulogio Episcopo Alexandrino, & Anastasio Episcopo Antiocheno.

An. D. 590
Greg. eligitur Pontif.

DVm prędicator egregius dicat: quamdiu quidem sum gentium A-
postolus, ministerium meum honorificabo: qui rursus aliàs dicēs:
facti sumus vt paruuli in medio vestrum: exemplum proculdubio no-
bis sequentibus ostendit, vt & humilitatem teneamus in mente, & tamē
ordinis nostri dignitatē seruemus in honore, quatenus nec in nobis hu-
militas timida, nec erectio sit superba. Ante hos siquidem annos octo, D
sanctę memorię decessoris mei Pelagij tempore, frater & coepiscopus
noster Ioannes in Constantinopolitana vrbe ex causa alia occasionem
quærens, Synodum fecit, in qua se vniuersalem appellare conatus est.
Quod mox idem decessor meus vt agnouit, directis literis ex authoritate
S. Petri Apostoli, eiusdem Synodi acta cassauit. Quarum videlicet Epi-
stolarum sanctitati vestrę exemplaria studui destinare. Diaconum verò
qui iuxta morem pro responsis Ecclesię faciendis pijssimorum domino-
rum vestigijs adhęrebat cum pręfato consacerdote nostro missarum so-
lemnia celebrare prohibuit. Cuius ego quoque sententiam sequens, si-

milia

Digitized by Google

A milia prædicto consacerdoti nostro scripta trāsmisi, quorum exemplaria vestrę beatitudini censui transmittenda: hoc pręcipuè intendens, vt hac de re, qua ex noua superbia tota vniuersalis Ecclesiæ viscera perturbantur, prius sępefati fratris nostri animum modesta intentione pulsemus. Qui si nequaquam à suę elationis rigore voluerit inclinari, tunc quid fieri debeat, cum omnipotentis Dei solatio subtilius pertractetur. Sicut enim veneranda mihi vestra sanctitas nouit, vni per sanctā Chalcedonensem Synodum Pontifici Sedis Apostolicæ, cui Deo disponente deseruio, hoc vniuersitatis nomen oblatum est. Sed nullus vnquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo vti consensit: quia videlicet si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur. sed absit hoc, absit à Christiana mente id sibi velle quempiam arripere, vnde fratrum suorum honorem imminuere ex quātulacunque parte videatur. Cum ergo nos hunc honorem nolumus oblatū suscipere, pensate quàm ignominiosum sit hunc sibi quempiam violenter vsurpasse voluisse. Propterea sanctitas vestra in suis Epistolis neminē vnquam vniuersalem nominet, ne sibi debitum detrahat, cum alteri honorem offert indebitum. Nec hac in re de serenissimis dominis animum vestrum mordeat sinistra suspicio, quia omnipotentem Dominum metuit & contra statuta Euangelica, contra sacratissimos canones agere aliquid nullo modo consentit, &c. Obtestor ergo vt constanter ac sine pręiudicio seruetis sicut accepistis Ecclesias, & nihil sibi in vobis hęc tētatio diabolicæ vsurpationis adscribat: state fortes, state securi, scriptaq; cum vniuersalis nominis falsitate nec dare vnquam, nec suscipere præsumatis, &c.

B

C

Epistola alia Gregorij Papæ primi ad Episcopum Alexandrinum. *Gregorius, Eulogio Episcopo Alexandrino.* *Ex tomo 2. concil. pag. 816.*

MAter & custos bonorum omnium caritas, quæ multorum corda vniendo cōstringit absentem non æstimat eum, quem oculis mentem habet pręsentem. In huius ergo radice cum frater carissime teneamur, nihil sibi in nobis corporalis absentia, nihil poterit regionū vindicare lōginquitas, quippe quia scilicet lōgè à nobis non sumus, qui vnū sumus. Hāc autē esse nobis cū cęteris fratribus cōmunē sēper optamus. Est tamē aliquid quod nos erga Alexādrinā Ecclesiā quadā peculiaritate cōstringit, & in eius amore proniores existere speciali quodāmodo lege cōpellit. nam sicut omnibus liquet, quod beatus Euangelista Marcus S. Petro Apostolo magistro suo Alexādriā sit trāsmissus, sic huius nos magistri & discipuli vnitate constringimur, vt & ego sedi discipuli præsidere videar propter magistrum, & vos sedi magistri propter discipulū, &c. atque ideo sanctitatis vestræ susceptis apicibus, quātum cor nostrum de fraterna visitatione gauisum est, tantum de indictis quæ significatis oneribus męstitia præmitur, & fraterna compassione vobiscum gemimus, quod doletis, &c. sed studendum magis est, vt patienter tolerando vincamus,

D

camus, quod omnino deuitare non possumus. Quanta autem nos à Longobardorum gladijs in quotidiana nostrorum ciuium deprędatione vel detruncatione atque interitu patimur, narrare recusamus, &c. Latorem autem præsentium Isidorum diaconum, communem filium cum ea quâ oportuit caritate, suscepimus, benedictionem nobis sancti Marci Euangelistæ deferentem. Et vos quidem bonæ vitę merito resplendentes ea, quæ paradiso vicina beneuolentia nobis ligna transmisistis. Nos verò quia videlicet peccatores sumus, ab Occidente vobis ligna trāsmisimus, quæ construendis apta nauibus, nostræ mentis tumultum signantia in marinis semper fluctibus agitantur: & quidem transmittere maiora voluimus, sed hęc nauis angustia non recepit. Mense Augusto, Indictione decimaquarta. A B

Ex tom. 2. Concil. pag. 830.

Epistola tertia Gregorij Papæ primi ad Episcopum Alexandrinum.

Gregorius, Eulogio Episcopo Alexandrino.

SVauissima mihi sanctitas vestra multa in epistolis suis de sancti Petri Apostolorum principis cathedra locuta est, dicens quod ipse in ea nunc vsque in suis successoribus sedeat. & quidem ego indignum me esse non solum in honore præsidentium, sed etiam in numero stantium agnosco. sed cuncta quæ dicta sunt, in eo libenter accepi, quod ille mihi de Petri cathedra locutus est, qui Petri cathedram tenet. & cum me specialis honor nullo modo delectet, valde tamen lętatus sum, quia vos sanctissimi quod mihi impendistis, vobismetipsis dedistis. Quis enim nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatã, C qui firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur? cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claues regni cęlorum. Cui rursus dicitur, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Iterumque: Simon Ioannis amas me? pasce oues meas. Itaque cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis sedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est. ipse enim sublimauit sedem in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. ipse decorauit sedem in qua Euangelistam discipulum misit. Ipse firmauit sedē, in qua septem annis, quamuis discessurus sedit. Cum ergo vnius atque vna sit sedes, cui ex auctoritate diuina tres nunc Episcopi præsidēt, quicquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. si quid de me boni creditis, hoc vestris meritis imputate, quia in illo vnum sumus, qui ait. Vt D omnes vnum sint, sicut & tu Pater in me & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. debitum autem salutationis alloquium persoluens, indico quia magno gaudio exulto quod vos contra hæreticorum latratus assidue laborare cognoui, &c. Præterea ligna transmittere volui, sed beatitudo vestra si esset necessaria nō indicauit, & maiora multo mittere possumus, sed nequaquã talis nauis huc mittitur quę hęc capere valeat, &c. paruulam verò benedictionem de amatoris vestri sancti Petri Ecclesia, sex minora Aquitanica pallia, & duo oraria transmisi, &c.

A **Epistola quarta Gregorij Papæ primi ad Episcopum Alexandrinum. Agit de conuersione gentis Anglorum, commemoratque in Sancta Chalcedonensi Synodo Papam Romanum vniuersalem appellatum fuisse.**

Ex tomo 2 concil. pag. 840.

Gregorius, Eulogio Episcopo Alexandrino.

COmmunis filius præsentium lator sanctitatis vestræ scripta deferēs, ægrum me reperijt, ægrum reliquit, &c. sed quoniam verè in bonis quæ agitis accrescit quod & alijs congaudetis, vestræ uobis gratię uicem reddo, & non dissimilia nuncio, quia dum gens Anglorum in mundi angulo posita, in cultu lignorum ac lapidum perfidia nuncusque remaneret, ex uestræ mihi orationis adiutorio placuit, ut ad eam monasterij mei monachum in prędicationem transmittere Deo auctore debuissem. qui data à me licētia, à Germaniarum Episcopis Episcopus factus, B cum eorūm quoque solatijs ad prædictam gentem in finem mundi perductus est, & iam nunc de eius salute & opere ad nos scripta peruenerunt, qui tantis miraculis uel ipse, uel hi qui cum eo transmissi sunt in gente eadem corruscant, vt Apostolorum virtutes in signis quæ exhibēt imitari videantur. In solemnitate autem Dominicæ natiuitatis quæ hac prima indictione transacta est, plusquam decem millia Angli ab eodem nunciati sunt fratre & coepiscopo nostro baptizati. Quod idcirco narraui, vt cognoscatis quid in Alexandrino populo loquendo, & quid in mūdi finibus agitis orando. vestræ enim orationes sunt in eo loco vbi non estis, quorum operationes sanctæ monstrantur in eo loco in quo estis. Præterea de Eudoxij hæretici persona, de cuius errore in latina lingua C nihil reperi, mihi à vestra beatitudine largissimè gaudeo satisfactum. Virorum quippe fortissimorum Basilij, Gregorij, atque Epiphanij testimonia protulistis, & manifestè peremptum cognoscimus eum in quem heroes nostri tot iacula dederunt. De his verò erroribus, qui nunc in Constantinopolitana Ecclesia probātur exorti, doctissimè omnia, & vt iudicium tantæ sedis proferre decuit respondistis. Vnde omnipotenti Deo gratias agimus, quia adhuc arcæ Dei insunt tabulæ testamenti. Quid est enim sacerdotale cor nisi arca testamenti? in qua quia spiritalis doctrina viget, proculdubio tabulæ legis iacent, &c. Nam dixi nec mihi vos nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere, & ecce in præfatione epistolæ, quam ad meipsum qui prohibui direxistis, superbæ appellationis ver- D bum vniuersalem me Papam dicentem, imprimere curastis. quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra vltra non faciat, &c. Et quidem in sancta Chalcedonensi Synodo, atque post à subsequentibus Patribus hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas nouit. Sed tamen nullus eorum vti hoc vnquam vocabulo voluit, vt dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum. Proinde debitum salutationis alloquium soluens peto, vt in sanctis orationibus vestris mei memores esse dignemini, quatenus à peccatorum meorum nexibus, quia meis meritis non valeo, vestris intercessionibus me Dominus absoluat.

Epi-

Digitized by Google

Epistola quinta Gregorij Papæ primi ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum. A

Ex tom. 2. concil. pag. 882.

De hæresi Agnoitarum, quæ Græcorum & Latinorum Patrum consensu confutata est.

Gregorius, Eulogio Patriarchæ Alexandrino.

TRansacto anno suauissima sanctitatis vestræ scripta suscepi, quibus pro ægritudinis meæ nimietate respondere nuncusque non valui &c. Scripsit autem mihi dulcissima & semper honoranda beatitudo vestra, quòd ei communis filius Anatholius diaconus de Constantinopolitana vrbe scripserat ad me quosdam monachos de Hierosolymorum partibus venisse, qui me aliquid de Agnoitarum errore requirerent: & dicitis quia petijt vt vestra mihi sãctitas scriberet quid de eadem debuisset inquisitione sentire. sedneque ad me de Hierosolymorum partibus requirentes aliqui monachi venerunt, neque eundem communem filiũ B nobis potuisse aliquid aliud quàm erat scribere, sed interpretẽ suspicor in eius epistolis errauisse. Nam idem diaconus mihi iam ante biennium scripsit: quia à prædictis partibus ad Constantinopolitanam vrbem talia requirentes monachi venerunt, meque studuit requirere quid sentirem. Cui ego ante longum tempus quàm vestra scripta susciperem contra eandem hæresim respondi, quæ post modum in epistola vestræ sanctitatis inueni, atque omnipotenti Deo magnas gratias retuli, quia de cunctis inquisitionibus Romanorum atque Græcorum Patres, quorum nos sequaces sumus, vno spiritu sunt locuti. In multis enim eandem vestrã epistolam ita reperi, ac si contra prædictam hæresim scripta latinorum Patrum legerem, &c. C

APPELLATIO DVODECIMA.

Ex tom. 2. concil. pag. 885.

Epistola sexta Gregorij Papæ primi ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum.

Gregorius, Eulogio Patriarchæ Alexandrino.

Anno Domini 600.

SIcut aqua frigida animę sitienti, sic nuncius bonus de terra lõginqua: Quis vero mihi esse nuncius bonus ad sanctæ Ecclesiæ adiutorium potest, nisi vita atq; incolumitas suauissimæ mihi vestræ sanctitatis, quæ ex percepta luce veritatis, & eandem Ecclesiam prædicationis verbo illuminat & ad meliorem viam morum suorum exemplis informat? &c. Communis autem filius Anatholius diaconus suis mihi scriptis innotuit in vrbe regia nonnulla Ecclesiastica, quædam tamen de causis terrenis mota. Sed credo quod prius hoc mihi nunciauerit, quàm de causis Ecclesiæ beatitudo vestra loqueretur. & gaudeo quia vbi vos adesse contingit, me non arbitror defuisse. nam veritatis minister Petri sequax, & sanctæ Ecclesiæ prædicator scit quia illa sic loqui potuisti, quæ de sede Petri Apostoli per os doctoris sonare debuerunt, &c. In eodem autem sensu iamdudum communi filio nostro Anatholio Diacono plurima scripseram. Ita autem doctrina vestra per omnia latinis Patribus cõcordauit, vt mirum mihi non esset quod in diuersis linguis spiritus non fuerit diuersus. Nam hoc quod de ficulnea dixistis, in eo sensu propriè beatus Augustinus loquitur, quia cum Euangelista subiungit: non dũ enim D

erat

A erat tempus ficorum, apertè cognoscitur, quòd per ficum Dominus in synagoga fructum quæsierat, quæ folia legis habuit, sed fructum operis non habebat, &c. De eo verò quod scriptum est: quia diem & horam neque Filius neque Angeli sciunt: omnino rectè vestra sanctitas sensit, quoniam nō ad eundem filium, iuxta hoc quod caput est, sed iuxta corpus eius quod sumus nos, est certissimè referendum. Qua de re multis in locis idem beatus Augustinus eo sensu vtitur. Dicit quoq; & aliud quod de eodem filio possit intelligi, quia Deus omnipotens aliquando more loquitur humano, sicut ad Abraham dicit: Nunc cognoui quia times Deum. non quia se Deus tunc timeri cognouerit, sed quia tūc eundem Abraham fecit agnoscere, quia Deum timeret. Sicut enim nos diem lætum dicimus, non quod ipse dies lætus sit, sed quia nos lætos facit: ita & B omnipotens filius nescire se dicit diem, quem nesciri facit, non quod ipse nesciat diem, sed quia nunc sciri minimè permittat. Vnde & Pater solus dicitur scire, quia consubstantialis ei filius ex eius natura, quæ est super Angelos, habet vt hoc sciat quod Angeli ignorant. Vnde & hoc intelligi subtilius potest: quia incarnatus Vnigenitus, factusque pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis nouit diem & horam iudicij, sed tamen hunc non ex natura humanitatis nouit. Quod ergo in ipsa nouit, non ex ipsa nouit qua Deus est homo factus, diem & horam iudicij non nisi per Deitatis suæ potentiam nouit; sicut & in nuptijs cum mater Virgo diceret vinum deesse, respondit: Quid mihi & tibi est mu- C lier? nondum venit hora mea. neque enim Iesus Angelorum dominus, horæ subiectus erat, qui inter cuncta quæ creauerat, horas & tempora fecerat: sed quia mater Virgo cum vinum defuit, per eum miraculum fieri volebat, statim ei responsum est: Quid mihi & tibi est mulier? ac si apertè diceret: Vnde facere miraculum possum, hoc mihi ex patre non ex matre est. ex matre enim mori poterat, qui ex natura Patris miracula faciebat. vnde & in cruce positus, eandem matrem moriēs recognouit, quam discipulo commendauit, dicens: Ecce mater tua. ait ergo, quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea, quòd est dicere: In miraculo quod ex tua natura non habeo, te minimè matrem recognosco, D sed cum hora mortis venerit cognosco te matrem, quia vnde mori possum hoc ex te habeo. Itaque scientiam quam ex humanitatis natura nō habuit, ex qua cum Angelis creatura fuit, hanc se cum Angelis, qui creaturæ sunt, habere denegauit. Diem ergo & horā iudicij scit: quia Deus est homo. Res autem valde manifesta est: quia quisquis Nestorianus nō est, Agnoita esse nullatenus potest. nam qui ipsum Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere esse aliquid quod Dei sapientia ignoret? scriptum est: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: omnia per ipsum facta sunt. si omnia, proculdubio etiam dies iudicij & hora. Quis ergo ita desipiat vt dicere præsumat, quia Verbum Patris fecit quod ignorat? scriptum quippe est:

ſciens Ieſus quia omnia dedit ei Pater in manus. ſi omnia, profectò diem A iudicij & horam. Quis ergo ita ſtultus eſt, vt dicat quia accepit filius in manibus quod neſcit.

De eo verò loco in quo mulieribus de Lazaro dicit: Vbi poſuiſtis eũ? ipſa ſpecialiter ſenſimus quæ ſenſiſtis: quia ſi negant ſciſſe Dominum ubi fuerat Lazarus ſepultus, atque ideo requiſiſſe, proculdubio compellentur fateri quia neſciuit Dominus in quibus locis ſe Adam & Eua poſt culpam aſconderant, cum in paradiſo dixerat: Adam vbi es? aut cum Cain corripuit dicens: Vbi eſt Abel frater tuus? qui ſi neſciebat cur protinus adiunxit, ſanguis fratris tui de terra clamat ad me? &c. Menſe Februarij, Indictione tertia.

Epiſtola ſeptima Gregorij Papæ primi ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum. B

Gregorius Eulogio Patriarchæ Alexandrino.

MAgnas omnipotenti Deo gratias reddimus, quia in ore cordis dulcis ſit ſapor charitatis, &c. Hæc quoque mihi eſt exultatio addita: quia & imminutos ore veſtro Eccleſiæ hoſtes, & multiplicatos dominicos greges agnoui. creſcunt enim quotidie per linguæ veſtræ vomerem grana cæleſtia, &c. Præterea tranſmiſi crucem paruulam in qua de catenis amatorum veſtrorum ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorũ inſerta eſt benedictio, quæ oculis veſtris aſſiduè ſupponatur: quia multa per eandem benedictionē miracula fieri cõſueuerunt, &c. Eulogias verò ſancti Marci à beatiſſima fraternitate veſtra tranſmiſſas, cum ea caritate qua ſunt directæ, ſecundum notitiam earum ſuſcepimus, & gratias C affectui veſtro referimus: quia ex his exterioribus, quales erga nos interius ſitis, agnoſcimus.

In huius Operis initio dixi, ne dicendorum prolixitate Lectorem tædio afficerem, non vltra octigenteſimum Domini annum, hæc quę probanda ſuſcepi, me extēſurum. quamobrem perpaucas alias ſupra annũ Domini milleſimum epiſtolas exhibitas, conſultò omiſi. quæ autem infra annum Domini octingenteſimum traditæ fuerunt, hæ ſunt, nec aliæ extant, quas præfato octo ſeculorum tempore, Romana cathedra ad Alexandrinum Patriarcham dedit, pręter has quas hìc perpendendas propoſuimus. In his autem ſubordinatio & obedientia quam olim Alexandrina Eccleſia Romanæ Petri cathedrę obtulit, manifeſta eſt; & ea paſtoralis cura, quam Romani Pontifices erga prædictam Alexandrinam D Eccleſiam exercuerunt, & olim ab initio ſuſceperunt, patet. cur autem deinceps obtemperare renuerit, ego qui cæterorum peccata enarrandi munus non ſuſcepi, ſilebo. perſpicuum tamen omnibus erit, & ſemper fuit, quid ſit tranſgredi terminos antiquos, quos Patres poſuerunt. quid ſit extra Petri Nauim exire. quid extra Petri ouile vagari. & quid magiſterium & doctrinam cathedræ Petri abijcere. & an ſit ſancti Marci legitima doctrina, quæ cathedrę Petri, qui Marci pręceptor fuit & doctor, aduerſatur. Deus qui diues eſt in miſericordia, mundum hunc, quem

Digitized by Google

A Verbo suo mirabiliter creauit,& Verbi incarnati passione redemit, iterũ gratia sancti Spiritus visitare dignetur,vt vbique terrarum Saluatoris nostri gloria, & salutis animarum aditus redintegretur. Amen.

Contra hanc præmissam, quam probauimus, Conclusionem quispiã ea obijcere posset, quæ Gregorius Papa in Epistolis ad Eulogium nuper præmissis enarrat ac edicit; nempe titulum vniuersalis Patriarchæ nemini conuenire, nec Romano Pontifici iurè obtingere: ergo cum Romanus Pontifex nõ sit Patriarcharum Patriarcha, seu Pastor vniuersalis Ecclesiæ, non est cur iustè conqueramur, si Alexandrinus Patriarcha, Romanæ Cathedræ nunc non præstet obsequium.

Respondeo: esse prorsus impossibile vt Gregorius dictis suis sibi con-
B tradicat, & factis seipsum destruat: nam ipse fatetur Pelagium Papam præcessorem suum iure cassasse Synodum Constantinop. quę Episcopũ Constantinopolitanum Oecumenicum, seu vniuersalem Patriarcham esse decreuerat. Et ipse in epistola, quam præfato Ioanni Episcopo Cõstantinop. in causa hac tradidit, minatur pænas & censuras. Ipse Patriarchas iudicauit,eorumque appellationes suscepit. nunc sic à Gregorio reuerenter & humiliter peterem. Si tu non es Patriarcharum Patriarcha & vniuersalis Ecclesiæ Pastor, quo alio iure hoc tibi vendicas? par in parem non habet potestatem; si ergo potestatem non habes super Patriarchas, hæc quæ super Patriarchas exequutus es, iniustè fecisti.

Præterea,si Conciliũ generale Chalcedonense,vt ipse fateris, hoc Ro-
C manum Pontificẽ iure diuino obtinere testatus est, quomodo quod Saluator sanciuit in Petro & successoribus suis, tu verum non esse pronuncias? Præterea, vt quatuor generalia Concilia iam celebrata, tamquam quatuor Euangelia in vniuerso Orbe veneranda sanxisti; si Ecclesię vniuersalis Pastor non es, quo iure vniuersæ Ecclesiæ hoc præcipisti? Quid ergo dicendum est, Virum hunc sanctitate & doctrina præstantissimum contradictoria affirmare & operari voluisse? haudquaquam.

Rem igitur recta lance examinemus,& quid ipse citatis verbis in epistolis ad Eulogium Alexandrinum Patriarcham docere intenderit, aperiemus. Constantinopolitanus Episcopus æquales honores cum Romano Pontifice exoptabat, vt patet ex Actione vltima Concilij Chalcedo-
D nensis furtim habita, absentibus scilicet Papæ Legatis. Leo Pontifex hęc gesta cassauerat, vt sæpe dictum est. Ioannes præfatus Constantinopol. Episcopus,annuente sibi Imperatore,quandam Synodum habuit,& statuit hoc nomen sibi iure obtingere, & Episcopum Constantinop. Patriarcham vniuersalem esse, eo modo videlicet quo Romanus Põtifex Patriarcha vniuersalis Ecclesiæ dicebatur, & erat: nec opinor in tantam insaniam hunc Ioannem voluisse prorumpere, vt in Synodo sua particulari se esse supra Romanum Pontificem, voluisse statuere. Id verò Pelagius Papa Gregorij præcessor irritum & cassum declarauerat: Ioannes autem de quo loquimur,consultò Gregorio Pontifici scripserat & sæpissimè

simè hoc nomen vniuersalis Patriarchæ sibi attribuit, quasi decretū Pe- A
lagij nihilifaciens. Gregorius cum hanc Ioannis Epistolam perlegisset, per suam quam rescripsit acriter illum redarguit; & Alexandrinū & Antiochenum Patriarchas alijs literis monuit, hunc Ioannis titulum nō tantùm Romano Pontifici, sed & illis etiam iniuriosum esse, vt in epistolis præmissis constat. & Romanos Pontifices hoc non vti titulo, ne & cæteris iniuriam inferre viderentur, subiunxit. & hac ratione aduersus illū eos prouocauit. Itaque Gregorius coactus fuit ad Antiochenum & Alexandrinum Patriarchas prouocandos, asserere, vocem illam Patriarchæ Oecumenici etiam ipsis noxiam & incommodam existere: ideoque Romanos Pontifices illa non vti. Non tamen rem & significatum ipse vt Romanus Pontifex, & vt Petri successor abijciebat. igitur ad Constan- B
tinopolitanos Antistites coercendos, neminem vti tali voce debere, affirmauit; non negauit autem Romanum Pontificem esse vniuersalis Ecclesiæ Pastorem; cum sæpissimè in scriptis suis Petrum vniuersæ Ecclesiæ Pastorem à Saluatore constitutum fuisse, docuerit, vt Tom. 1. lib. 2. diximus. concludendum ergo est Gregorium ad Episcopum Constantinopolitanum fortiùs arguendum, nomen Vniuersalis Patriarchæ abiecisse, at rem retinuisse.

Sed, vt verum fatear, ineptias Constantinopolitanorum Antistitum illius temporis non possum non mirari, qui talia patrare audebant? vbi est Græcæ Nationis fortitudo & sapientia, dicente Apostolo, *Græci sapientiam quærunt? numquid dicentes se esse sapientes stulti facti sunt;* vt inquit Apostolus C
ad Rom. 1. quomodo Petro Apostolorum Principi, qui à Saluatore audiuit: *Tibi dabo claues Regni Cælorum. & Pasce agnos & oues meas,* Episcopus Bizantinus qui sub parçcia Hæracleensi fuerat, æquari poterat? & quis Saluatori, qui hoc statuerat, poterat comparari? nunquid Imperator, vel Episcopi habent similem cum Vnigenito Dei in re hac potestatem? sed Gregorius Papa tamquam illius Vicarius de quo legitur, *Magnus de cælo venit medicus,* hanc Constātinopolitanorum Episcoporum infirmitatem peritè aperire & curare voluit, quamobrem Ioanni Episcopo Constātinopolitano hanc medicinalem dedit epistolam: & habetur tom. 2. Cōcil. pag. 794.

Gregorius, Ioanni Episcopo Constantinopolitano. D

EO tempore quo fraternitas vestra in Sacerdotalem honorem prouecta est, quantam Ecclesiarum pacem atque cōcordiam inuenerit, recolit. Sed quo ausu, quoue tumore nescio, nouum sibi conata est nomen arripere, vnde omnium fratrum corda potuissent ad scandalū peruenire. Qua in re vehementer admiror, quia ne ad Episcopatum venire potuisses, fugisse velle te memini. Quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eū ambitiosè desiderio cucurrisses. Qui enim indignū te esse fatebaris, vt Episcopus dici debuisses, adhoc quandoque perductus es, vt despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari. Et quidem

Digitized by Google

A hac de re ſanctæ memoriæ deceſſoris mei Pelagij grauia ad ſanctitatem veſtram ſcripta tranſmiſſa ſunt. in quibus Synodi quæ apud vos de fratris quondã & conſacerdotis noſtri Gregorij cauſa congregata eſt, propter nefandum elationis vocabulum, acta diſſoluit: & archidiaconum quem iuxta morem ad veſtigia dominorum tranſmiſerat, miſſarum vobiſcum ſolemnia celebrare prohibuit. Poſt eius verò obitum, cum indignus ego ad Eccleſiæ regimen adductus ſum, & ante per alios reſponſales meos, & nunc per communem filium meum Sabinianum diaconũ alloqui fraternitatem veſtram, vt à tali ſe præſumptione compeſceret, non equidem ſcripto ſed nudo ſermone curaui. Et ſi emendari nollet, eum miſſarum ſolemnia cum fraternitate veſtra celebrare prohibui, vt

Gregorius teſtatur regimen Eccleſiæ habere id eſt v. niuerſalis.

B ſanctitatem veſtram prius ſub quadam verecundiæ reuerentia pulſarẽ: quatenus ſi emendari nefandus ac profanus tumor verecundè non poſſet, tunc ad ea debuiſſet, quæ ſunt diſtricta atque canonica peruenire. Et quia reſecanda vulnera prius leui manu palpanda ſunt, rogo, deprecor, & quanta poſſum dulcedine expoſco, vt fraternitas veſtra cunctis ſibi adulantibus, atque erroris nomen deferentibus cõtradicat, nec ſtulto ac ſuperbo vocabulo appellari conſentiat, &c. Perpende, rogo, quia in hac præſumptione temeraria pax totius turbatur Eccleſiæ, & gratiæ contradicitur, communiter omnibus effuſę, &c. Quid Chriſto vniuerſalis Sanctę Eccleſię capiti, in extremi iudicij es dicturus examine, qui cũcta eius membra tibimet conaris vniuerſalis appellatione ſupponere?

Gregorius minatur cenſuras Epiſcopo Conſtantinop.

C Quis rogo in hoc tam peruerſo vocabulo, niſi ille ad imitandum proponitur, qui deſpectis Angelorum legionibus ſecum ſocialiter conſtitutis, ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere, vt & nihil ſubeſſe, & ſolus omnibus præeſſe videretur? Qui etiam dixit, In cælum conſcendam ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Quid enim fratres tui omnes vniuerſalis Eccleſię Epiſcopi, niſi aſtra cæli ſunt? quorum vita ſimul & lingua inter peccata erroreſque hominum quaſi inter noctis tenebras lucent. quibus dum cupis temetipſum vocabulo elationis prępонere, eorumque nomen tui cõparatione calcare: quid aliud dicis, niſi in cęlum conſcendam, ſuper aſtra cæli

D exaltabo ſolium meum? An non vniuerſi Epiſcopi nubes ſunt, qui & verbis prædicationis pluunt, & bonorum operum luce & miraculis coruſcant? quos dum veſtra fraternitas deſpiciens, ſub ſe prẹmere conatur: quid aliud dicit niſi hoc, quod ab antiquo hoſte dicitur. Aſcendam ſuper altitudinem nubium? Quæ cuncta ego cùm flens conſpicio, & occulta Dei iudicia pertimeſco, augentur lachrymæ, gemitus ſe in meo corde non capiunt, quod ille vir ſanctiſſimus Domnus Ioannes tantæ abſtinentiæ atque humilitatis, ſuorum familiarium ſeductione linguarum ad tantam ſuperbiam erupit, vt in appetitu peruerſi nominis, illi eſſe conetur ſimilis, qui dum ſuperbè eſſe ſimilis Deo voluit, etiam dona-

tæ similitudinem gratiam amisit, & veram beatitudinis perdidit, quia A
Petri primatus. falsam gloriam quæsiuit. Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quam singularium sunt plebium capita? & tamen sub vno capite omnes membra sunt Ecclesiæ. Atque vt cuncta breui cingulo locutionis astringam, sancti ante legem: sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti. & nemo se vnquam vniuersalem vocare voluit. vestra autem sanctitas agnoscat quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumpsit, qui sanctus fuit, &c.

Ad hanc epistolam Constantinop. Antistites illius opinionis remitto: quam cum perlegerint, dicam Prosit vobis. B

Secunda obiectio. Gregorius Romanus Pontifex annuit non decere etiam Romanum Pontificem nomen vniuersalis Patriarchæ assumere, & tamen aliquando quidam Romani Pontifices, vt Leo & alij hoc vsi sunt nomine. ergo in sentẽtia Gregorij errauerũt, cũ temeritatis nota sit.

Respondeo quosdam Romanos Pontifices iure hoc nomen vniuersalis Episcopi assumpsisse, quia reipsa Ecclesiæ vniuersæ Pastores, vt Petri veri successores, existunt. Verissimum autem est quod Gregorius affirmat, ad Saluatoris humilitatem sectandam, similia nomina non semper assumenda esse. nam Saluator Petrum Apostolorum Principem designauerat, & tamen Apostolis super hoc quærentibus: dixit Lucæ 23. *Reges Gentium dominantur eorum & qui potestatem habent super eos benefici vocantur, vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut ministrator. nam quis maior est qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Monet humilitatem assumendam esse; & vt Maior in Ecclesia, cæteris humilitatis exemplum præbeat. quod documentum semper Romani Pontifices præ manibus habuerunt: nam licèt maiores sint omnibus, tamen nomen Episcopi passim & seruorum Dei acceperunt, vt in eorum epistolis constat. cum autem opus fuit, se vniuersæ Ecclesiæ Pastores esse proclamare, omnemque Christianum, & cuiuscunque ordinis Principes illis subiectos esse aperire, & hoc munus non omiserunt. sic Stephanus Papa scribens Augusto, dixit sibi vt ouem subiectũ esse, & altioris ordinis esse Pontificiam potestatem Imperiali iure, sicut D cælestia terrestribus perfectiora & digniora manent. sed Imperator qui Pontificiam potestatem in Christi Saluatoris nostri iniuriam deprimere intendebat, causa extitit. Sic Leo sanctissimus, Legatis suis in Chalcedonensi Concilio commiserat, vt Pontificiam dignitatem à superbis hominibus vindicarent. sed à Græcis Constantinopolitanis, qui illius vrbis Episcopum Romano Pontifici æquare contendebant, (quod Christi Ecclesiæ ordinem confundit) id ortum est. nam Leo in suis epistolis, solius Episcopalis nominis titulo vtebatur. & sic de cæteris qui Pastoris vniuersalis nomen assumpserunt. pro quibus dicimus, quòd sicut hoc vti titulo

titulo

A tulo ostentationis causa, Christiana professione res est indigna, sic valde indecens est Romanis Pontificibus, si nomen vniuersalis Pastoris omittant, cùm eorum ius violatur, & potestas contemnitur. enimuero remoto à Christiano ouili supremo visibili Pastore, Ecclesia propter hæreses & schismata tueret, vt alibi demonstrauimus. & quemadmodum exercitus sine Duce, turba est: sic Ecclesia sinè supremo Pastore, multitudo esset confusissima, velut turris Babel; vt patet de nostri temporis hæreticis, qui tot varias phanaticas opiniones habent, quot sunt homines. & cũ dogma hoc de primatu Petri & Romani Pontificis impugnatur, valde necessarium est, vt Pastoris vniuersalis nomen & rem omni conatu omnique studio perseueranter assumant.

B Gregorius Romanus Pontifex, hunc titulum abijciendum esse asseruit, vt Constãtinopolitanus Episcopus illum, quem ineptè assumpserat, dimitteret: at de re huius primatus, qui illi vt Petri successori obtingebat, alibi egregiè disseruit, & tali iure sæpissimè vsus fuit, & in eadem Epistola, quã suprà commemorauimus, illud testatur & aperit, vt legenti patebit. Itaque Gregorius fastum huius nominis à Romanis Pontificibus fugiendum, sed rem & munus non abijciendam esse docuit: imò eo cũ opus est vtendum, affirmauit: quemadmodum ipse fecit, dum censuras præcipuè eidem Ioanni Constantinopolitano Patriarchæ comminabatur: quod exequi minimè potuisset, si reuera Patriarcharum Patriarcha & vniuersalis Ecclesiæ Pastor non extitisset. res patet.

C

DISPVTATIO SECVNDA.

De Appellationibus Ecclesiæ Antiochenæ.

ANtiochia Syriæ metropolis, magna ab initio nascentis Ecclesiæ à Deo accepit beneficia: nam vt sacra Actorum narrat historia, multitudo Antiochenorum ciuium illicò fidei obediuit: quamobrem Apostoli ad hanc vrbem *Barnabam miserunt, qui cum peruenisset, & vidisset gratiã Dei, gauisus est: & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino*. Sic enim in Actis cap. 11. legimus. *Profectus est autem Barnabas Tarsum vt quæreret Saulum, quem cum inuenisset, perduxit Antiochiam. & annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesia: & docuerunt turbam multam, itaut cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli Christiani.* & cap. 13. *Erant autem*
D *in Ecclesia quæ erat Antiochiæ prophetæ & doctores, in quibus Barnabas & Simon qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenẽsis & Manahen, qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus, & Saulus.* Et Apostoli omnes in Concilio quod in vrbe Hierosolyma coegerant, synodalem Epistolam ad Antiochenos direxerunt: nam cap. 15. dicitur: *Tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis & mittere Antiochiam, cum Paulo & Barnaba, Iudam qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus, scribentes per manum eorum. Apostoli & seniores fratres his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus salutẽ.* & postea: *Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiam, & congregata multitudine tradiderunt epistolam, &c. Paulus autem & Barnabas demorabantur Antiochiæ docentes & Euangelizantes cũ alijs pluribus verbum Domini.*

Idcircò Petrus Apostolorum Princeps ad hanc à Deo dilectam Vrbẽ accessit, ibiquè summi Pastoris munus septem annis exequutus est. hinc

Grego-

Digitized by Google

Gregorius in epistola ad Eulogium Episcopum Alexādrinum, quæ habetur tom. 2. Concil. pag 830. inquit: *Antiochenam Sedem Petrus firmauit, in qua septem annis, quamuis discessurus sedit.* Et Nicolaus primus ad Bulgaros c. 92. ait, *Antiochenam Ecclesiam beatus Petrus priusquam Romam veniret, per annos aliquot gubernauit.* Verùm quia Petrus Romam, non sinè Domini nutu ad Euangelizādum, accessit, Antiochenæ Ecclesiæ Euodium discipulum suum, Episcopum, præfecit: eique non tantùm Antiochenam Vrbem regendam commisit, sed & cæteras vicinas Prouincias: ideoque Antiochenæ vrbis Episcopus ab eodem Petro, omnis Ecclesiasticæ iurisdictionis origine, Patriarcha, institutus fuit, cum ea tamen subordinatione ad Petri cathedrā, quæ omni discipulo erga Magistrum suum obtingit & competit. A

Consueuerunt enim Apostoli, vt in Ecclesiasticis historijs versatis notum est; in Pagis & villis simplices presbyteros, in magnis ciuitatibus Episcopos instituere, illisque eos præficere; in maioribus autem, Archiepiscopos, quibus plures Episcopos subordinabant. Quod etiam Gentiliū falsi & inanes Pontifices fecerant; nam Flamines in magnis ciuitatibus; & in maioribus ciuitatibus Archiflamines constituerāt. id autem à naturæ luminæ dictabatur: etenim omnibus in rebus ordo & dispositio à natura præmonstratur. Quod ergo ab Apostolis in re huiusmodi statutum fuit, non ad imitationem Gentilium exequebatur, sed ad Ecclesiasticas Prælationes ordinatè stabiliendas, factum est. Nam vt ait Gregorius Papa hom. 29 in Euāgelia super illud Habacuc, *Eleuatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo:* Post Saluatoris in cælū ascēsionem, Ecclesia miro ordine, & super cælesti elegātia propagabatur, & vbiq; venustè disponebatur. *Quis enim* inquit, *Solis nomine nisi Dominus: & qua Luna nomine, nisi Ecclesia designatur? quousque enim Dominus ascendit ad cælos, sancta eius Ecclesia aduersa mundi omnimodo formidauit: at postquam eius ascensione roborata est, apertè prædicauit, quod occultè credidit. eleuatus est ergo Sol, & Luna stetit in ordine suo: quia cum Dominus cælum petijt, Sancta eius Ecclesia in auctoritate prædicationis excreuit, &c.* B C

Quia ergo Romani Cæsares Antiochenam vrbem nobili Præfectura super plures Prouincias decorauerāt: Petrus Ecclesiæ Princeps eādem spirituali Præfectura, Patriarchali nempe dignitate ornare decreuit: idcirco huius vrbis Episcopo, Archiepiscopos multarum Prouinciarum subdidit ac subordinauit. & quemadmodum hæc Petrus statuens & decernēs pro Alexādrino & Antiocheno Episcopis, nō destitit esse Petrus, scilicet, Christi Domini vicarius, & vniuersæ Ecclesiæ Princeps & Pastor: sic & Alexandrinus & Antiochenus Patriarchę ab obsequio, veneratione, & subordinatione erga Petri cathedram desistere nec possunt, nec debent: sicut ab initio id præstare & exequutioni mādare præfatarum vrbiū Patriarchæ non omiserunt. quapropter Heliæ seu Hierusalem Antistes Iuuenalis, Ioānem Antiochenum Patriarcham, quia ad tertiā generalem Synodum accedere non properabat, iurè coram Synodi Patribus redarguit, sic dicens: vt Actione quarta eiusdem Synodi legitur. D

Ioannes, Episcopus Antiochiæ debebat statim venire ad Synodum, seque purgare propter Apostolicam Sedem magnæ Romæ ibi considentem, & obedientiam ac honorem deferre, apud quam mos est

A *est ex Apostolica ordinatione & traditione vt ipsa sedes Antiochena dirigatur & iudicetur: sed quia solita superbia vsus est &c.* Constat ergo ab initio has Patriarchales sedes, Cathedræ Romanæ S. Petri subditas ac subordinatas fuisse. his præmissis.

Dicimus Patriarcham Antiochenum Romanæ cathedræ sancti Petri, sicut ouis Pastori suo, subiectum esse. Probatur. Cuicunq; ab alijs, superueniente occasione, fieri debent Appellationes ad vltimam controuersiarum obtinendam decisionem, eidem pariter tanquam supremo Iudici & Principi in illo ordine Appellans subiectus est & subditus: sed Patriarchalis Ecclesia Antiochena de facto ab initio vsque ad annum Domini nongentesimum, Romanam Petri Cathedram appellauit, ergo de facto Patriarchalis Ecclesia Antiochena, Romanæ cathedræ sancti Petri
B subiecta est, & subdita, sicut scilicet ouis Pastori suo. Maior est euidens: Minor probatur per ea quæ facta sunt & euenerunt, seu per Appellationes iam actu exhibitas.

APPELLATIO PRIMA.

Anno Domini 304. Marcellus Romanus Pontifex eligitur, qui ad Antiochenam Ecclesiam hanc dedit Epistolam, in qua de Romanæ Ecclesiæ primatu & auctoritate differit, & habetur tomo primo Concil. pag. 223.

Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis per Antiochenam Prouinciam cõstitutis, Marcellus.

SOlicitudinem omnium Ecclesiarum iuxta Apostolum circumferentes, diuinæ circa nos gratiæ memores esse debemus, qui nos per dignationis suæ misericordiam, ob hoc ad fastigium sacerdotale prouexit, vt mandatis ipsius inhærentes, in quadam sacerdotum eius specula con-
C stituti, prohibeamus illicita, & sequenda doceamus. Vnde directis per Bonifacium diaconum nostrum literis, admonemus, vt quæ malè pullulant abscindantur, & malefacta corrigantur, atque bona sectentur, & Patrum nostrorum exempla & statuta imitẽtur. Rogamus ergo vos fratres, vt non aliud doceatis neque sentiatis, quàm quod à beato Petro Apostolo, & à reliquis Apostolis & Patribus accepistis. Ab illo enim primò instructi estis: ideo nõ oportet vos propriũ derelinquere Patrem, & alios sequi. Ipse enim caput est totius Ecclesiæ, cui ait Dominus. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Eius enim sedes primitus apud vos fuit, quæ postea iubente Domino, Romam translata est, cui adminiculante gratia diuina, hodierna præsidemus die. Nec ab
D eius dispositione vos deuiare oportet, ad quam cuncta maiora Ecclesiastica negotia, diuina disponente gratia, iussa sunt referri, vt ab ea regulariter disponantur, à qua sumpsere principia. Si vestra verò Antiochena, quæ olim prima erat, Romanæ cessit sedi, nulla est, quæ eius non subiecta sit ditioni, ad quam omnes, quasi ad caput, iuxta Apostolorum eorumque successorum sanctiones, Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit, suffugere, eamque appellare debent, vt inde accipiãt tuitionem & liberationem, vnde acceperunt informationem atque consecrationem. Quod omnibus minimè conuenit denegare Episcopis, sed absque vlla custodia, aut excommunicatione, vel damnatione, vel expo-

Digitized by Google

liatione, liberè ire concedatur. Simulque ijdem, inspirante Domino, cõstituerunt, vt nulla Synodus fieret præter eiusdem Sedis auctoritatem, nec vllus Episcopus, nisi in legitima Synodo suo tempore Apostolica auctoritate conuocata, super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur vel iudicetur: quia vt paulò superiùs prælibatum est, Episcoporum iudicia, & summarum causarum negotia, huius sanctæ vniuersalis & Apostolicæ Ecclesiæ sunt retractanda iudicio, si huius Ecclesiæ Põtifex præceperit. Nec cui liceat sine præiudicio Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri, relictis his sacerdotibus, qui in eadem Prouincia Dei Ecclesias nutu diuino gubernant, ad alias conuolare Prouincias, vel aliarum Prouinciarum Episcoporum iudicium experiri vel pati, sed omnibus eiusdem Prouinciæ Episcopis congregatis, iudicium auctoritate huius sedis terminetur, quod tamen, vt præfatum est, per eius vicarios, si libuerit, erit tractãdum: & quidquid iniustè actum est, reformandum. Pastoralis ergo cura officij nos admonet, & destitutis succurrere, & cuncta neglecta vel malè acta reformare, vt ignis ille, quẽ Dominus veniens misit in terram, motu crebro emẽdationis vel crebræ meditationis agitatus, sic calescat, vt ferueat: & sic inflammetur, vt luceat, &c. Data Kalendis Aprilis, Maxentio & Maximo viris clarissimis Consulibus.

A (margin, beside line 1) · B (beside "dicium auctoritate…")

APPELLATIO SECVNDA.

Epistola prima Damasi Papæ primi ad Paulinum Antiochenum Episcopum.

Ex tom. 1. Concil. pag. 497. C

Dilectissimo fratri Paulino, Damasus.

Damasus Papa anno Dom. 64. electus fuit

Damasus Papa Antiocheno Patriarchæ in agendis regulam præscribit.

PEr filium meum Vitalem ad te rescripta direxeram, tuę voluntati & tuo iudicio omnia derelinquens, & per Petronium presbyterum breuiter indicaueram, me in articulo iam profectionis eius aliqua ex parte commotum, &c. Quicunque huic epistolæ subscribere voluerit, ita tamen, vt in Ecclesiasticos canones, quos optimè nosti, & in Nicænam fidem ante subscripserit, hunc habebis absque aliqua ambiguitate suscipere. Non quòd hæc ipsa, quæ nos scribimus, non potueris conuertentium susceptioni proponere, sed quo tibi consensus noster liberum in suscipiendo tribuat exemplum.

APPELLATIO TERTIA. D

Epistola secunda Damasi Papæ ad Episcopos Orientis appellantes: quæ ibidem habetur.

QVod vestra charitas debitam Sedi Apostolicæ reuerentiam tribuit, filij honoratissimi, vobis ipsis quoque maximo sanè honori est. Nã tametsi S. Ecclesia, in qua sanctus Apostolus sedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula quę suscepimus tractãda sint, nobis primę partes deferuntur: tamen confitemur, nos illo dignitatis gradu longè inferiores esse. Verùm ob hanc causam omnibus modis laboramus, vti ad gloriam beatitudinis eius, si qua ratione possimus, tandem aliquãdo perueniamus. Sciatis, velim, fratres, nos Timotheum illum profanum Apol-

linaris

Alinaris hæretici diſcipulum cum impio ſuo dogmate iampridem abdicaſſe: & ob eam cauſam credimus reliquias eius nihil in poſterum momenti habituras,&c. Iam enim ſemel formulã edidimus, vt qui ſe Chriſtianum profiteatur, illud teneat quod ab Apoſtolis traditum eſt &c. Itaquè quid eſt cur abdicationem Timothei à me rurſus requiratis, qui etiam hic iudicio Sedis Apoſtolicę, Petro quoque Alexandrię Epiſcopo præſente, abdicatus eſt cum magiſtro ſuo Apollinare, qui item in die iudicij debitas pænas & ſupplicia perſoluet? &c.

APPELLATIO QVARTA.

Epiſtola Innocentij primi ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum appellantem. Et habetur tom. 1. Concil. pag. 578.

B *Innocentius Alexandro Epiſcopo.*

QVàm grata mihi, quàm pia, quàm neceſſaria legatio à tua ſanctitate, frater chariſſime, ad nos directa fuit, geſtorum ipſorum replicatione cognoſces. Voluit enim compresbyter noſter Caſſianus, hanc amicitiarum noſtrarum paginulã per compresbyterum〈que〉 noſtrum Paulum, Nicolaum diaconum, & Petrum ſubdiaconum filios noſtros, quaſi primitias pacis noſtræ conſcribi. Saluto itaque & tuã mihi in Chriſto germanitatem, & omnem illam quæ tecum tam benè ſentit Eccleſiam. Noſque vt facitis, & alloquamini, peto, crebrius literis, & frequentius de veſtra ſalute lætificetis. Dabit enim vt confido, Dominus, totius nos prętenti temporis diſpendia amãtiſſimo literarum colloquio recõpenſare. *Innocentius primus creatur Põtifex anno Dom. 402.*

C

APPELLATIO QVINTA.

Epiſtola eiuſdem Innocentij Papæ ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum appellãtem.

APoſtolici fauoris gratia, magno pacis vſque ad nos decore reſplenduit: tantumque lucis gaudiorumque infulſit fidelibus, vt dicentes Deo maximas laudes, maiores debere nos fateamur, &c. Libẽter prętere a de Epiſcopis Helpidio atque Pappo cognoui, quòd ſine quæſtione ſuas Eccleſias recuperauerint, & multum in geſtis, vt ſubſcripta teſtantur, ſolicitus inquiſiui, vtrum omnibus eſſet conditionibus ſatisfactum, in cauſa beati & verè Deo digni ſacerdotis Ioannis. Et quum per ſingula aſſertio legatorum ex voto completa eſſe fateretur, gratias agẽs Domino, communionem Eccleſiæ veſtræ ita recepi, vt præ me feram,
D Apoſtolicę Sedis condiſcipulos primos dediſſe cęteris viam pacis, in qua firmatos vos, noſque Domini Chriſti ita benignitas amplexabitur atque communiet, vt nullo de cætero titillamento, vel leui cuiuſquam contentionis pudore pulſetur. Scripta autem Attici Epiſcopi, quoniam cum veſtris ſunt porrecta, ſuſcepimus, ne per veſtram iniuriam ille, qui olim à nobis ſuſpenſus fuerat, repudiaretur. & tamen ſatis abunde, quæ in Actis ſtatuimus, ſicut dignanter relegere procurabis, quid in eius perſona debeat cuſtodiri, vt ſi per omnia veſtris conſilijs, actibuſque tam ſanctis ſe rogauerit eſſe communem, præſtetur ſanè fauore veſtro noſtroque iudicio communionis atque literarum à nobis gratia prorogata.

cum dogmate suo perculit, Iuuenalis Episcopus ad obtinendum Pale- A
stinę Prouincię principatum, credidit se posse sufficere, & insolentes au-
sus per commentitia scripta firmare. Quod sanctę memoriæ Cyrillus A-
lexādrinus Episcopus meritò perhorrescens, scriptis suis mihi, quid præ-
dicta cupiditas ausa sit, indicauit, & solicita præce multùm poposcit,
vt nulla illicitis conatibus præberetur assensio. Nam cuius epistolæ ad
nos exemplaria direxisti sanctæ memoriæ Cyrilli, eam in nostro scrinio
requisitam, nos authenticam noueris reperisse. Hoc tamen propriū dif-
finitionis meæ est, vt quantumlibet numerus sacerdotum amplior, ali-
quid per quorundam surreptionem decernat, quod illis trecētorum de-
cem & octo Patrum constitutionibus inueniatur aduersum, id iustitiæ
consideratione cassetur: quoniam vniuersæ pacis trāquillitas non aliter B
poterit custodiri, nisi sua canonibus reuerentia intemerata seruetur &c.
Nam quod ab illorum regulis constitutionibusque discordat, Apostoli-
cæ Sedis nunquam obtinebit consensum. Quanta verò hoc diligentia
custodiatur à nobis, exemplaribus eius epistolæ, quam ad Constantino-
politanum Episcopum, refrenantes ipsius cupiditatē direximus, instrue-
ris: quam in omnium fratrum & sacerdotum nostrorum facias notitiam
peruenire, vt nouerint pacem Ecclesiasticam per concordiam Deo pla-
citam debere seruari. Illud quoque dilectionem tuam conuenit præca-
uere, vt præter eos qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi ius docendi
& prædicādi audeat vendicare, siue sit ille monachus, siue sit laicus, qui
alicuius scientiæ nomine glorietur. Quia etsi optandum est, vt omnes C
Ecclesiæ filij, quæ recta & sana sunt, sapiant: non tamen permittendum
est, vt quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus, gradum sibi
prædicatoris assumat, quum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conue-
niat, vt in vno Christi corpore, & excellentiora membra suum officium
impleant, & inferiora superioribus non resultent. Data 3. idus Iunij, O-
pilione viro clarissimo Consule.

Epistola Simplicij Papæ ad Zenonem Augustum pro Ecclesia Antiochena.
Ex tom. 2. Concil. pag. 210.
Simplicius Episcopus, Zenoni Augusto.

Simplicius eligitur Pōtifex anno Dom. 467.

DE Ecclesia Antiochena venerandos mihi semper vestrę pietatis a-
pices gauisus accepi, quibus ingenito vobis studio catholicę reli- D
gionis post defensionem fidei, quæ vos seruat ac custodit, impietatis au-
daciam & facinora apud Antiochiam perpetrata coercita reperimus.
Exultantes vobis inesse animum fidelissimi Sacerdotis & Principis &c.
Sed vt loquar fiducialiter principi Christiano, si pręteritarum literarum,
quas de Petri aliorumque nomine iamdudum ad fratrem & coepisco-
pum meum Acacium scripsisse memini, ordo teneretur, ad hoc non po-
tuit peruenire, quod iure nunc meruit vindicare. Mādaueram namquè
vt facta suggestione pietati vestræ prædictus vt & cæteri, qui per occa-
sionem tyrannicæ dominationis inuaserant Ecclesias Dei, extra metas
vestri

A vestri pellerentur imperij, ne pestiferis sensibus quibusque simplicioribus ore sacrilego virus infunderent,& verbis impijs contra fidem otthodoxam innocentiores animas sauciarent,quod tum apparet,cùm minus ista curãtur, & leuia esse creduntur: actum est, vt quemadmodum perhibetis inter altaria, non iam plebs persuasionibus eorum, sed ipsi quoque Præsules, & prædicatores fidei perirent funestis gladijs sacerdotes. Vnde si quæ aliæ reliquiæ sub vestro reperiuntur imperio, eas vel nunc in exteriores terras iubete propelli,ne qua deinceps in eo sit necessitas & causa supplicij: quia melius est aditum obstruxisse, quàm pœnam exegisse peccati: & quoniam seditiones Antiochenas religiosissimo proposito sedãdas non aliter existimastis, nisi præter præiudicium venerãdi illius

B Concilij Nicæni apud Constãtinopolim ijsdem petentibus ordinaretur Antistes, quod in eius tãtummodo persona sic memorastis assumptum,vt deinceps secundũ definitiones Patrum Orientali Synodo creatio Antiocheni Pontificis reseruetur,nec haberi loco vultis iniurię,quod dissentionis gratia factum est auferendę. Tenet hanc pietatis vestrę beatus Petrus Apostolus sponsionem,& Christianissimi fidelissimique principis mentem in hæc verba iurasse, quòd posthàc in Antiochena Vrbe, veteri more seruato à comprouincialibus suis Episcopis ordinetur, ne quod nunc frater & coepiscopus meus Acacius verbis vobis est iubentibus exequutus, in vsum posteritatis veniat, & statuta patrum, quæ præcipuè præstatis illæsa, confundat. Vnde quæ à vobis amore quietis, san- *Papa dispensat contra canonem Concily Nicani, vt seruetur pax.*

C ctè, & religiosè sunt ordinata reprobare non possumus, ne status Antiochenæ Ecclesię sub nostra dubitatione videatur ambiguus, pręcipuè cũ his qui legitur ordinatus, testimonio clementiæ vestræ,& tãta sit prædicatione subnixus, vt in eo præter horum vulnerum dolorem posito possimus & Ecclesiæ quæ illum meruit gloriari. Hæc repẽsis sermonibus & venerationis officio respondere curaui, vt tãtas hæreticorum fraudes & facinora, diuinis & sæcularibus legibus persequenda,quæ sæpius probatis esse tam noxia, de memoria & conuersatione hominum iubeatis auferri, quorum impietas nulla, quãtum videtis, pòtest auctoritate compesci. Data 10. Kalendas Iulias post consulatum tertium V. C. *Papa dispensat in gratiam Imperat.*

D Epistola Simplicij Papæ ad Acacium Episcopum Constantinopolitanum pro Episcopo Antiocheno. habetur ibidem.

Simplicius Episcopus, Acacio Episcopo Constantinopolitano.

CLementissimi Principis literis, tuęquè dilectionis de sacrilega & funestissima cæde, quæ apud Antiochiam facta est, sauciatus & nimium affectus mærore, respondeo; astruens si quæ iamdudum de Petro & alijs complicibus eorum scripseram,& vt pietati eius cum cæteris,qui aderãt fratribus suggerere postulatam, vt optauerat ordinatum fuisset: hæreticorum temeritas ad tãtum facinus non veniret: ne aliquid necessitatis existeret, vt non aliter prædictæ subueniretur Ecclesiæ, nisi vt aliquid de iure eius curatio ipsa minueret. Quãuis enim profecerit ad quie-

tem,

tem,quòd Christianissimi Principis iussione,vel sine præiudicio canonũ A à tua caritate, fuerit Antiochenus Episcopus ordinatus, tamen non est sine inuidia factum, cuius cauendum deinceps etiam ille testatur, qui præcepit exemplum. In quo pietati eius gratias dignum est nos referre: quoniam ita gloriæ suæ moderatus est potestatem, vt fidelissima deuotione patrum regulis submittere quæ iuberet, nec in auctoritatem recipi quod sequenti constituit ætate prohiberi, vt scilicet in hac tãtummodo Persona, quam iussu eius & studio quietis Antiochensibus,non tua vsurpatione Antistitem consecrasti, quod factum est necessitate sufficeret. In quo tuæ dilectionis nõ irrationabilem cognoscimus fuisse famulatũ: quia Ecclesiarum iura respiciens, diu te non immeritò suspendisse testaris, ne videreris ambire quod tanto Principi, & in tam graui causa non B poteras abnegare. Quapropter frater charissime, institutorum veterum, quæ in te sunt probata non immemor, sicut veniale iudicare non peruides quod tibi certum est imperatum, ita ipse dans honorem patribus,labora ne necessitas sit vlla faciẽdi quod optas nunc satisfactione purgari.

Epistola Simplicij Papæ ad Acacium qua Calendionis Antiocheni Episcopi electionem confirmat.

Simplicius Episcopus, Acacio Episcopo Constantinopolitano.

ANtiocheni exordium sacerdotis,qua ratione fuerit serius indicatũ, quàmuis minimè nos latere potuerit, tamen & ipse vel Synodus ipsius indicauit. Quod sicut non optauimus fieri, ita faciles excusationi, quam necessitas fecit extitimus,quia quod voluntarium non est, vocari C nõ potest in reatum: & ideo per fratrem & coepiscopum nostrum Anastasiũ, qui ex prædicta regione directus est, literis quoque tuæ dilectionis acceptis, alterni vicissitudinem sermonis tuæ reddidimus caritati,necessario fratris & coepiscopi nostri Calendionis sacerdotium gremio Apostolicæ Sedis amplexi in consortium nostrum per gratiã Christi Dei nostri tantæ vrbis Antistitem collegij vnione numeramus. Miramur autem nihil nos de statu Antiochenæ Ecclesiæ te instruente didicisse, quẽ nunc ita habere se comperimus, vt improbi per occasionem obitus sanctæ memoriæ Timothei, eandem Ecclesiam conentur habere captiuã. Vnde agendum est dilectioni tuæ cum clementissimo Principe, ne conuellatur sub eius imperio, quod tyranni temporibus potuit obtineri. D Data idibus Iulijs Seuerino V. C. Conf.

Ad harum epistolarum intelligentiã sciendum est ex Binio loco supra citato,quòd Stephanus Antiochiæ Catholicus Episcopus, dum vna cum suis in magna Ecclesia sacram synaxim solemniter celebraret, Petrus Cnaphęus omnium hominum perditissimus hęreticus Euthichianista, confecto agmine Ecclesiam ingressus, in Dei sacerdotes irruit, eosdem sæuissimè trucidauit; sanctissimumque ipsum Antistitem Stephanum, in quem potissimùm maiore odio æstuabat, atrocissimis tormentis confecit: cuius corpus deinceps in Orontem amnem proiecit. At Ze-

no Im-

A no Imperator missis Antiochiam militibus vltoribus, de sacrilegis homicidis debitas pœnas sumpsit. iussitque postea vt Anthiochenus futurus Episcopus, Cōstātinopoli eligeretur, vt quieti & paci illius ciuitat. prospiceret: timebatur enim obducta cicatrix in vlcus vicissim eruptura, si de Antistite deligendo Anthiochiæ comitia haberentur. quamobrem electus est Constantinopoli Stephanus iunior: sed cum id præter regulas Ecclesiasticas & antiquam Anthiochenæ Ecclesiæ consuetudinem accidisset, vt pote quæ non nisi in Concilio omnium Syriæ Episcoporum, Antiochenum Episcopum ordinare soleret, Zeno Imperator ad Pontificem scripsit, vt ea quæ gesta erant, à Romano Pontifice rata haberentur. Pontifex respondit se factam ordinationem libenter ratam habiturum, modo exemplum hoc extraordinarium posteris nihil præiudicij adferat, idque Imperator iuramento promittat. Ita nouo & prorsus inaudito exemplo contigit, vt qui à totius, Syriæ Episcopis ordinari soleret Antistes Anthiochenus, agente Imperatore, & ratum habente Pontifice Romano Stephanus iunior, ab Acacio Constantino politano Episcopo ordinatus fuerit.

Anno autem Domini 482. sub Consulatu Seuerini, Stephanus Iunior prefatus Antiochenus Episcopus, tertio anno sedis suę ex hac vita migrauit: collectaque ibidem synodo vicinorum Episcoporum, electus est in eius locū Calendion Episcopus, qui iuxta mortem ad Romanum Pontificem, tunc Simplicium, pro confirmatione electionis misit, cui libenter Simplicius illam tribuit; & de re hac Acacium Episcopum Constantinopolitanum per epistolam quam nuper attulimus monuit, & certum fecit. at Acacius ipsum Calendionē criminis lęsæ maiestatis reū adeoque Episcopatu indignum esse denunciauit; tum quòd factiosis quibusdam contra Zenonem adhæsisset: tum etiam quod nomen eiusdem Zenonis è Dyptichis abstulisset. quapropter ab vrbe Antiochena eiectus est & Petrum Fullonem qui hæreticus erat, per vim & dolum introduxerunt. cùi Felix Romanus Pontifex qui anno Domini 483. electus fuit, hanc, quæ subsequitur scripsit admonitoriam Epistolam.

Epistola Felicis Papæ ad Petrum Fullonem Episcopum Antiochenum. quæ habetur tomo 2. Concil. pag. 218.

D *Felix Episcopus, Petro Episcopo Antiochiæ.*

QVis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? qualem autem & dignum fletum adducam animæ meæ, condolens Domini & Saluatoris nostri Christi sanctæ catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ! ipsa enim plorans plorauit super filios & filias suas, & non est qui consoletur eam, ex omnibus qui diligunt eam. Vniuersi Tyranni & hæresiarchę persequentes ipsam apprehenderunt eam per te frater honoratissime, & affligentes ipsam, facti sunt in caput eius. &c. Quos enim fouerat, quos enutrierat, quos ad mensuram ætatis produxerat, lacteque pauerat propheticis & Apostolicijs doctrinis, hos tu vno tem-

poris momento veneno necasti &c. Ex pluribus enim Orientalibus Prouincijs litteras suscepimus significantes nobis quomodo veneratio tua dudum sopitum Valentiniani dogma resumpsit, & irritatur à vobis Saluatoris incarnatio, quodque in Manicheorum dogma & Arrij, & Apollinaris Paulique samosateni incidistis. Dicere enim vnigenitum Filium & Dominum nostrum CHRISTVM IESVM perfectũ non esse in Deitate, atque in humanitate perfectum nec ipsum subijsse passionem crucis, sed vnam Verbi Dei naturam incarnatam, corpusque Domini sine anima & mente, Apollinaris hæresim roborat, &c. Valentini item & Marcionis, Manicheorumque ac gentilium innouare vis dogmata. Si enim Deus est qui diuisibiliter atque substantialiter est mortuus, similiter sanctus Spiritus Deus, & ipse diuisibiliter ac substantialiter inuenietur: sicque iuxta tuam & illorum rationem tres Dij erunt, ac per hoc plurium Deorum inualescet error &c. Non cogitasti quod scandalizare vel vnum solum ex his qui credunt in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, quàm graui cruciatui facit obnoxium? sed incautè vt serpens Euæ, tu ipse quoquè erroris venena multitudini fidelium atque auribus infudisti, traditamque ab Angelis sanctissimam laudationis formã corrupisti, inferens illi: Qui crucifixus es pro nobis. Ergo ne non aduertisti quod Paulum Samosatenum Photinumque & Arthemium impietate transcendis, qui duos Dei filios posuerunt, vnum quidem ante sæcula, alterum vero nouiter natum, cum ipse quoque Trinitati inuexeris pluralitatem, duos Dei filios dicens, vnum fortem & alterum crucifixum? Ad hæc fidelissimum Christi gregem in Manichei opinionem præcipitare contendis, qui Spiritum sanctum asserit crucifixum. Nam quod post illud, sanctus immortalis quod est Spiritus sanctus, tunc infers, qui pro nobis crucifixus es, miserere nobis: quaternitatemque non Trinitatem, populo insinuare videris. Nempè si ex humana traditione manasset hæc laus, non ita incautè crucem insereres laudi, in qua filij appellatio, fortis scilicet ponitur. Quoniam verò ab Angelis nobis laus ista profluxit, qui ante crucem dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus: sicut respicere Isaias meruit cap. 6. Post crucem verò cum laude clamabant: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis. Denique cum terremotu Constantinopolis quateretur, populusquè in campo oraret, infantulus toto populo spectante cum Proclo ciuitatis Episcopo, in cælum per vnam horam raptus est, ibique huiusmodi didicit hymnum: Rursumque descendens nunciauit quæ in æthere audierat, dicens de cęlo quasi de multitudine psallentium huiusmodi laudes insonuisse auribus suis, dictumque sibi, vt eam laudationem populo indicaret, quam vbi populi inceperant, ciuitatem receperunt, Deoque per huiusmodi laudem propitio facto, ab imminenti ira liberati sunt. At tu quàm temerè vt scripturas diuinas relinquas, ita & Angelorum laudem peruertere præsumsisti, &c.

Fuge

A Fuge obsecro huiusmodi errorem. corruisti, noli in ruina persistere. Peccasti, iam peccare noli. Expectat te sancta Dei Ecclesia: cupit amplecti pœnitentem in vanis propositionibus tuis, &c. Hæc tibi scripsi, vnà cum præsente Synodo, conueniens te coram Deo & sanctis Angelis, vt eà doceas, eà nobiscum sentias, vt illibata fides nostra permaneat in gloriam Dei.

Altera Felicis papæ Epistola ad Petrum Fullonem. Episcopum Antiochenum ex tomo 2. Conc. pag. 220.

QVoniam importabilibus verbis impiè garrulasti & non iudicasti cedere prædictis sanctis Patribus qui ordinarunt sedem beatæ memoriæ & multum triumphantis Ignatij martyris, cuius tu indignus existens, nescio quomodo insiluisti inchoare nouitatem in catholica Ecclesia tuis prophanis legibus & impijs Dogmatibus, & iudicasti non oportere dicere Christum crucifixum propter nos: sed passionem ideo impassibili impiè induxisti, & immortali Patri mortem imponere, & non horruisti ea, quæ suscepisti ex diuinis Euangelijs & Apostolis, &c. & non statuisti credere veritati & literis nostris ad te scriptis, nunc incœpi sententiare contra te: imò ille qui vertex est omnium pastoralium sedium in sanctis laudibus florens, Apostolorum verò optimus Petrus, cuius tu nomine æqualis es, sed non opinione neque fide, quoniam ab istius recta intentione & immaculata fide valde declinasti. & non solũ contra te sententio, sed & contra eos qui non erubuerũt characteres venerabilium Euangelistarum & Apostolorum eos sequentium ac perfectorum doctorum sermones, &c. Dicemus ergo tibi sicut & contra illos: Quoniam dilexisti iniquitatem magis loqui quàm iustitiam, dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa, propter hoc destruet te in finem. Et non solum ab Anthiochena Ecclesia, sed ab omni ciuitate deponet: & firma sit hæc tua depositio à me & ab his qui vna mecum Apostolicum thronum regunt, & ab Acacio Constantinopolitanæ Ecclesiæ Pastore, & à venerabilibus Episcopis sibi subiectis, quoniam ipsorum munimenta non substinuisti &c.

Romanus Pōtifex deponit Patriarcham Antiochenum.

B and C (margin letters)

Epistola Felicis Papæ ad Zenonem Imperatorem

Nunciat Imperatori Petrum Fullonem Synodali iudicio sententia anathematis condemnatum, ideoque ab eius communione abstinendum esse Hortatur eundem Imperat. vt Petrum depositum ex Antiochena Ecclesia expellat.

D *Gloriosissimo ac Serenissimo filio Zenoni Augusto, Felix Episcopus in Domino salutem.*

COnuenit clementiæ tuæ rerum ordinem nunciare gestarum pro tranquillitate imperij serenitatis tuæ, & oro suscipias precem meam, ac si ipse præsens essem benignis auribus tuis, vt Christianissimus Imperator: & nequaquam arbitretur pietas tua, illum puro nos corde diligere quicumque te pacem cum Deo habere non vult. &c. Cum ergo Saluator dixerit quòd portæ inferi non præualebunt aduersus ipsius Ecclesiam, vt ab ea ipsius denominationem tollant, quæ dicitur CHRISTVS IESVS, & Dei omnipotentis Filius: Petrus Fullonus pri-

mogenitus & diaboli filius, & qui ſanctæ Antiochenæ Eccleſiæ indi- A gniſſimè ſe ingeſſit, ſanctamq; ſedem pontificatus Ignatij martyris polluit, qui Petri dextera Epiſcopus ordinatus eſt, &c. quia auſus eſt, &c. Reſpice ad prdeceſſorem tuum pijſsimum Imperatorem Martianum, & illius fidem libenter amplectere, hæreticam tyrannidem Petri Fullonis quàm citiſsimè eradica: Valentini & Eutichetis diſcipulum expelle à ciuitate ſimul & Eccleſiaſtico regimine, & a dignitate hierarchica eiectũ eſſe ſancito &c. Hæc legat ſancta Dei Apoſtolica & catholica Eccleſia, vt ab ipſa propter prædictas cauſas depoſitum, ad communionem non ſuſcipias: ſed per diuinos apices veſtræ ſerenitatis ab Antiochiæ confinio propellite. Pro ipſo autem conſtituite virum operibus Sacerdotium ornantem, cuſtodemque diligentem ſanctæ Chalcedonenſis Synodi, & B eorum quæ in ea firmata ſunt. Omnipotens Deus cuſtodiat veſtram potentiam in pace ſemper.

APPELLATIO NONA.

Epiſtola Archimandritarum & cæterorum Monachorum ſecundæ Syriæ Appellantium. Scribunt quæ pro fide Catholica ab Eutychianiſtis, quos Imperator minimè coërcendos curauerat, patiuntur: & ab Imperatore non auditi, Romanum Pontificem tanquam communem Patrem interpellant. habetur tom. 2. Conc. pag. 331.

Anno D. 514. Hormiſda eli[g]. Pontifex.

Sanctiſſimo & beatiſſimo vniuerſæ orbis terræ Patriarchæ Hormiſdæ, continenti Sedem principis Apoſtolorum Petri, Deprecatio & ſupplicatio minimorum Archimandritarum, & cæterorum Monachorum veſtræ ſecundæ Syriæ prouinciæ.

GRatia Saluatoris omnium noſtrum Chriſti immiſit nobis ad veſtrã beatitudinem refugere, velut de hyeme & tempeſtate ad portum C tranquillitatis &c. Quoniam verè Chriſtus Deus noſter principem paſtorum & doctorem & medicum animarum conſtituit vos & veſtrum ſanctum Angelum, dignum eſt paſsiones quæ nobis contingerunt exponere, & immiſericordes oſtendere lupos qui diſsipant gregem Chriſti, vt auctoritatis baculo eos expellat de medio ouium, verbo autem doctrinæ animam ſanet, & orationis medicamentis mitiget. Qui autem ſint iſti, & qui os aduerſum nos armauerint, audiſtis vtique beatiſsime, Seuerus ille & Petrus, qui numquam in Chriſtiano numero reputati ſunt, qui per ſingulos dies ſanctam Chalcedonenſem Synodum ſanctiſſimũque & beatiſsimum Patrem noſtrum Leonem publico anathemate impetentes, qui iudicium Dei nihil æſtimantes, & colendos canones ſan- D ctorum Patrum conculcantes: Epiſcopos quidem principali potentia facientes exhiberi, & nos cogentes illudere, prædictam ſanctam Synodum ſupplicijs inextimabilibus affligentes. Vnde & quidam eorum iniectas plagas minimè ſuſtinéntes, de hoc ſæculo tranſierunt, & noſtrorũ verò non exigua multitudo perempta eſt, &c. Deprecamur ergo beatiſſime, ſupplicantes & rogantes vt exurgatis cum feruore & zelo, & condoleatis iuſtè pro corpore laniato. Nam caput eſtis omnium, & vindicetis fidem contemptam, canones conculcatos, patres blaſphematos, & talem Synodum anathemate impetitam. Vobis à Deo data eſt poteſtas

A & auctoritas ligare & soluere, &c. Vobis autem veris pastoribus & doctoribus, quibus cura pro salute ouium commissa est, occurit ipse grex cognoscere suum pastorem &c. Non ergo despiciatis nos sactissime, qui à bestijs ferocibus quotidie vulneramur. Ad perfectam autem notitiam vestri sancti Angeli anathematizamus in eadem nostra depræcatione virtutem habente libelli, omnes proiectos & excommunicatos à vestra Apostolica Sede. Dicimus autem Nestorium qui fuit Constantinopolitanus Episcopus, Euthychen, Dioscorum, & Petrum Alexandrinum, qui cognominatus est Balbus, & Petrum, qui dicebatur Fullo, Antiochenum, nihilominus & Acacium, qui fuit Constantinopolitanus Episcopus, eorum communicatorem; & omnes qui vnum illorum hæreticorum defendunt, & subscripserunt omnes. Ego Alexander misericordia
B Dei præsbiter & Archimandrita sancti Maronis depræcatus sum, &c.

Epistola Hormisdæ Papæ ad Archimandritas & Monachos secundæ Syriæ.

Hormisdas Episcopus Præsbyteris, Diaconis, & archimandritis in secunda Syria existentibus, & reliquis ortodoxis inquocumque Orientali climate degentibus, & in Apostolica Sedis communione permanentibus. tom. 2. Conc. pag. 448.

LEctis litteris vestræ dilectionis, per quas inimicorum Dei insipientia manifesta est, & infidelium furia tristis manifesta facta fuit, qui quoniam in spiritu malè viuentes oderunt Dominum, membra illius impiè persequuntur, quantum à certitudine est cognoscere, benedixit Dominum, qui fidem militum suorum in medio hostium seruauit. & rursus Ecclesiarum commotionem, & seruorum Dei molestias ac labo-
C res considerans, gemens secundum Prophetam clamaui. Surge Domine iudica causam tuam. Recordare opprobriorum tuorũ, quæ ab insipiente sunt tota die &c. Etenim sicut oportet nos firmitatem fidei seruare, ita non conuenit de iustitia diuini iudicij diffidere. non est fratres hic labor Ecclesiæ nouus: tamen dum in ipso humiliatur, exaltatur: & per illa per quæ depauperari videtur, ditatur, &c. Per generale salutare mandatum vos moneo, quodcumque aduersarium canonibus Patrum ex quibuscumque actis prolatum, nullis vos incomodi, smandatis vel nouis diffinitionibus innouet: siquidem sæculares sunt, & non possunt Ecclesias retinere, quoniam his conuenit doceri magis quàm docere, &c. Cognoscat itaq; non esse Deo accepta quæ ex ipsis mandatis à præsuntuosis sub-
D ripiuntur: quando vnum ad ostensionem sententiæ punitio magnæ deformitatis lepræ seruauit, alios velox flamma consumpsit, &c.

APPELLATIO DECIMA.

Epistola Gregorij Papæ primi ad Anastasium Episcopum Antiochenum appellantem. ex tomo 2. Concil. pagina 825.

De Cyriaco Episcopo Constantinopolitano; & profano vocabulo vniuersalis, quo temerè vtebatur.

Gregorius Anastasio Episcopo Antiocheno.

DEsideratam suauissimæ vestræ Sanctitatis epistolam communi filio meo Sabiniano diacono deferente suscepi, in qua non lingua, sed animæ verba profluebant, &c. Et quidem in suscipienda fratris & con-

Digitized by Google

consacerdotis nostri Cyriaci Synodica epistola dignum non fuit vt pro A
causa profani vocabuli moras facerem, ne vnitatem sanctę Ecclesiæ perturbarem: sed tamen de eodem superstitioso & superbo vocabulo eum admonere studui, dicens: quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus apostata inuenit. Vos tamen eandem causam nullam esse dicere non debetis, quia si hanc æquanimiter portamus, vniuersæ Ecclesiæ fidem corrũpimus. Scitis enim quanti non solum hæretici, sed etiam hæresiarchæ de Constantinopolitana Ecclesia sunt egressi. Et vt de honoris vestri iniuria taceam, si vnus Episcopus vocatur vniuersalis, vniuersa Ecclesia corruit, si vnus vniuersus cadit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc leuitas ab auribus meis. In omnipotente autem Domino confido, quia quod promisit, citius impleturus est. Omnis qui se exaltat humiliabitur. Hæc occupatus in multis ad B
epistolarum vestrarum dicta in breuitate respondi, &c.

APPELLATIO VNDECIMA.

An. D. 641 Theodorus eligitur Pontifex.

Epistola Sergij Cypriensis Insulæ Episcopi ad Theodorum Romanum Pontificem de duabus Christi voluntatibus contra Monothelitas.

Sanctissimo & beatissimo à Deo nostro honorabili domino meo, Patri patrum, Archiepiscopo & vniuersalis Papa domino Theodoro, Sergius humilis in Domino salutem.

FIrmamentum à Deo fixum & immobile atque tituli formam lucidissimam fidei vestra Apostolicam sedem constituit ò sacer vertex, Christus Deus noster. Tu es enim, sicut diuinum veraciter pronunciat verbum, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt: tibi & claues cælorum commisit, atque ligare & soluere po- C
testatiuè, quæ in terra & in cælis sunt, promulgauit. Tu profanum hæresum depositor existis, vt Princeps & doctor orthodoxę & immaculatę fidei. Igitur non despicias patrum tuorum, Pater, fidem æstuantem, & ab aliquibus hæreticis ventis violentatam, nec nos periclitantem: resolue nepulam insipientium lumine tuæ diuinæ scientiæ, ò Sanctissime. Abscinde blasphemias & iactantiam vaniloquiorum, & nouiter emergentium hæreticorum doctorum, &c. Nos autem à Deo inspirati, & sanctorum Apostolorum confabulatores & consacerdotes sapuimus, confitemur atq; confessi sumus à pristinis temporibus, & ex ipsis cunabulis secũdum sanctum atque beatissimum Papam Leonem prædicantes omnibus & confitentes: Operatur vtraque natura cum alterius communione. D
Cum quo beatissimo viro & omnes à Deo inspirati & sancti Patres fatẽtur. & hęc quidem à nobis humillimis seruis vestris atque discipulis prosecuta sunt. multiloquium autem & contradictionem aduersariorum non admittimus, quia parati sumus pro orthodoxa fide, auxiliantibus vobis sanctissimis & orantibus, martyrium suscipere, &c. Sic enim & sãctissimæ memoriæ Thius noster Archadius sapuit, vestram orthodoxam sequens doctrinam, cuius vestigia & nos omni virtute sequi oramus, cõsonantes orthodoxæ & à Deo inspiratæ doctrinæ vestræ sanctissimæ dominationis atque Paternitatis, &c.

Ecclesia Regni Cypri subordinatur Patriarcha Antiocheno.

A Patet itaque Antiochenam Ecclesiam olim subiectam & subordinatam fuisse Romanæ cathedræ sancti Petri, velut ouis Pastori suo: quod in præmissa Conclusione probandum assumpsimus. nam & ipsa Petri Romanam Cathedram appellauit: & à Romana Cathedra, ipsa correcta, directa, & censurata fuit: vt reipsa demonstratum est: ergo cum nunc temporis eidem Petri Cathedræ Romanæ non subiaceat, nec debitum præstet obsequium; Patribus suis aduersatur: antiquitatem improbat, & consequenter schismatis & hæresis pestilenti infirmitate laborat: à qua supercœlestis medicus Christus Iesus misericorditer eam liberare dignetur. Amen.

B

DISPVTATIO TERTIA.

De Appellationibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ.

Byzantium antequam à Constantino Romanorum Imperatore in ampliorem vrbem permutaretur, non fuisse ignobilem ciuitatem, antiquissimorum Auctorum scripta declarant, nam Cicero in oratione, quam habuit de Prouincijs consularibus, magna cum laude eiusdem meminit; liberam ornatissimam, & Romanis ciuitatem fidelissimam, eã dicens. Postea tamen ciuitas hæc multis cladibus exagitata, & naufragijs pluribus iactata fuit: sed benignitate Imperatoris Antonini Caracallę, teste Spartiano in eodẽ Caracalla, in pristinum restituta est. at Gallieno imperante iterum opprimitur, & sic vastatur, vt prorsus nemo ciuiũ
C suorum superesset, vt Trebellius monet, quamobrem à peregrinis hominibus inhabitata est. sed Gallienus deinceps loci amænitatem perpendens, per Cleodamum & Atenęum Byzantios adeò restaurauit & firmissimè muniuit, vt in bello Liciniano, Byzantium propugnaculum fortissimum Constantinus nequaquam expugnare potuerit, sed propugnatoribus sponte se dantibus, eo potitus est.

Hanc ciuitatem antiquitate & rebus gestis non ignobilem, Constantinus mirificè auxit & illustrauit. Cum enim deuictis hostibus, imperiũ iam toto Orbe terrarum pacatum teneret, multis prodigijs ad Byzantiũ potius, quàm Ilium restaurandum admonitus, non tantum nomine, sed etiam reipsa illam ciuitatem alteram Romam facere conatus est. Statuis
D & simulachris præclaro opere factis, quasi tropheis de deuictis hostibus Gentilium dijs, ad ludibrium publice expositis, vrbem exornauit. Simulachro magnitudine & artificio spectabili, ex ære super porphyreticam columnam in foro dedicato, suum nomen imposuit: in cuius manu collocauit malum aureum, cum imposita cruce & tali inscriptione: *Tibi Christe Deus Verbum, hanc commendo.* Quatuordecim templa magnificentissimè extructa amplissimis donarijs exornauit. In eadem, ne qua vrbis perfectio desiderari posset, scientiarũ scholas ædificauit, & excellentissimos Oratores ac Philosophos adhibuit, eosque amplissimis decorauit priuilegijs. Bibliotheca ibidem ædificata, centum viginti millia librorũ

con-

continens, quæ tempore Basilisci Imperatoris diro incendio flagrauit, A magni Constantini opus fuisse putatur. Nouam quoque Romanorum ciuium coloniam Constantinopolim transtulit, ex quibus senatus amplissimus coagmentatus fuit. Anno imperij sui vigesimo quinto, nouam Romam, in sanctissimæ Virginis Dei genitricis Mariæ memoriam, Christiano ritu Deo dicauit ac consecrauit. Huius ciuitatis Episcopus sub iurisdictione Archiepiscopi Heracleensis fuit ab initio & vsque ad id tempus, cùm Concilium generale secundum contra Macedonium celebratum est. tunc enim quendam canonem præfatæ Synodo Græcorum Patrum quidam apposuerunt, quo post Romanum Episcopum primũ locum inter Patriarchas Constantinopolitanum Antistitem obtinere debere decreuerunt: dubium est autem an talis canon cũ reliquis an à centum & quinquaginta illius Concilij Patribus constitutus fuerit, probabile tamen est post discessionem Timothęi Patriarchę Alexandrini qui ibi adfuit, in cuius præiudicium vertitur, hunc canonem editum & furtiuè Actis Concilij superadditum fuisse. hinc est quòd in epistola Synodica, post aliarum rerũ in Synodo gestarum mentionem, rem hanc penitus silentio obuolutam Græci Patres reliquerunt. Nec à Damaso tunc Papa aliquid huius Synodi confirmatũ fuit, præter condemnationẽ Macedonianæ hæreseos. vt testantur Gregorius lib. 6. epist. 125. Leo magnus: Gelasius. & alijs infra, citandi itaque vt sæpe diximus, Constantinopolitani Episcopi exaltatio, nec rectũ, nec solidum, nec iuris ordine seruato, habuit initium: sed violenter, Principum potentia freti, id sibi Græci C Patres vsurpauerunt; consentiẽtibus deinceps Romanis Pontificibus: & demũ firmissimo statuto in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio anno Domini 1215. sancitum est, vt in superioribus disputationibus enarrauimus.

Stante tamen & admissa inre huiusmodi quacũque vsurpatione: nũquam à Petri Romanæ Cathedræ obsequio & veneratione abire, salua catholica fide, valuerunt: quia Constantinopolitana Ecclesia sæpissimè Romanã Cathedram, vt propriũ Iudicem, appellare non destitit: & Romanus Pontifex non rarò Constantinopolitanos Episcopos deposuit, anathematizauit, redarguit, & supremo magisterio docuit, vt dictũ sæpè fuit, & infra probabitur, illius enim vrbis Episcopi, qui sanã doctrinam D & fidem catholicã, recta conscientia tenebant, non solùm id ore confessi sunt, sed opere obedientiam & obsequiũ Romanæ Petri Cathedræ præstiterunt. qui autem hoc exequi aliquando renuerunt, hæretici fuerunt & scismatici, qui tandem diuinã & humanam vltionem subterfugere minimè potuerunt. his ergo præmissis.

Dicimus Patriarcham Constantinopolitanũ Romanæ Cathedrę sancti Petri, sicut ouis pastori suo, subiectũ esse. Probatur, Cuicunque ab alijs, superueniente occasione, fieri debent Appellationes ad vltimã controuersiarũ obtinendã decisionẽ, eidẽ pariter tanquã supremo iudici &

A Principi in illo ordine Appellans subiectus est & subditus: sed Patriarchalis Ecclesia Constantinopolitana de facto ab initio & vsque ad annũ Domini nongentesimum Romanam Petri Cathedram appellauit, ergo de facto Patriarchalis Ecclesia Constantinopolitana Romanæ Petri Cathedræ subiecta est, sicut ouis Pastori & Iudici suo. Maior est euidens, Minor probatur per ea quæ facta sunt & euenerunt, seu per Appellationes iam actu exhibitas.

Anno Domini 402. Ioannes Chrysostomus Episcopus Constantinopolitanus, per factionem Theophili Alexandrini Episcopi, instigante Imperatrice Eudoxia in exilium pulsus, & paulopost ob populi seditionem reuocatus: ac rursus non multo post per eandem factionẽ eiectus,
B Innocentium Romanum Pontificem legatis & literis missis appellauit: vt pro sua auctoritate, se inimicorum factione oppressum tueretur, & Ecclesiarum perturbationi prospiceret. Per eosdem etiam legatos scripserunt quadraginta Episcopi, qui Ioanni communicabant, & Clerus Constantinopolitanus. Innocentius rei indignatione vehementer commotus, Synodo Romæ habita communionem quidem vtriusque partis admisit, sed Theophili iudicium irritum esse decreuit, & Synodum Orientalium & Occidentaliũ missis Legatis fieri oportere censuit. Legati, inscio Imperatore, & Imperatrice agente, malè accepti & vexati, cũ nec mandatorum exponendorum facultas eis permissa fuisset, Romam
C reuerterunt. Interim Ioannes per diuersa loca raptatus moritur. Quibus omnibus Innocentius plurimùm indignatus, Imperatorem & Imperatricem excommunicat: Theophilum anathematizat & deponit: Arsacium, qui viuenti Chrysostomo substitutus fuerat, etiam defunctum, exautoratum è numero Episcoporum excludit: Atticum suspendit, & donec eius causa cognoscatur, Proclo Cirici Episcopo Ecclesiam Constantinopolitanam regendam committit.

APPELLATIO PRIMA.

Epistola Ioannis Chrysostomi ad Innocentium primum Romanum Pontificem.

Innocentio Episcopo Romæ Domino meo Reuerendissimo Pientissimoque, Ioannes in Dño salutem.

ETiam antequam redditæ sunt literæ nostræ, opinor pietatem vestram audiuisse, quidnam hic patrare ausa fuerit iniquitas. Ea enim *Ex tom 1. com.p.585.*
D rerum est magnitudo & grauitas, vt nulla fermè Orbis pars relicta sit, quæ tristem hanc tragediam non audierit. Quandoquidem fama vsque ad fines terræ perlata, plurima vbique lamenta & eiulatus excitauit. Verùm quia non satis est plangere, sed opus etiam, vt cura geratur, & spectetur qua ratione, & quo consilio grauissima illa Ecclesiæ tempestas sedetur, Proinde necessarium esse duximus, vt persuadeatur Demetrio, Pansophio, Pappo, & Eugonio, dominis meis maximè venerabilibus pijsque Episcopis, relictis negocijs proprijs, pelago se committere: susceptaque longinqua peregrinatione hac, ad vestram properare charitatem, de omnibus vos manifestè docentes, quò quantocius

rebus succurratur. Misimus autem cum eis venerabiles dilectosq; diaconus Paulum & Cyriacum, qui & ipsi quæ facta sunt, charitati vestrę exponent: & nos quoque paucis, in epistolæ forma docebimus. Theophilus ille qui Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopatum regendum suscepit, cum à pientissimo rege, cui aduersus illum quædam nunciata erant, iussus est venire solus, collecta multitudine Episcoporum non paucorum huc venit, quo præludio quasi declarare volebat, se ad bellum & ad aciem pergere, cumque in magnam, diuinoque cultui deditam vrbem Constantinop. ingressus esset, iuxta consuetudinem & constitutionē hactenus obseruatā, non intrauit ad Ecclesiā, neq; ad nos accessit, neq; participem se fecit vel sermonis, vel præcū, vel communionis: sed egressus e naui, & prætercursis Ecclesiæ vestibulis, alicubi extra vrbem diuersatus B est, tametsi nos plurimum obsecraremus & ipsum, & eos qui cum ipso erant, vt apud nos diuerterent. Erant enim diuersoria & omnia alia quę oportebat, benè instructa, at neque illi, neque ipse nobis morem gerebant. Vnde nos ea videntes valde consternabamur animo: & quamuis iniustarum illarum inimicitiarum causam nullam inuenire possemus, nihilominus tamen officium eis, quod illi nobis debebant, impendimus. Nam iterum atque iterum eum obsecrauimus vt se nobis coniungeret, ac diceret cuius gratia, statim ab initio tantum excitaret bellum tantamque vrbem seditiosam faceret. Verùm cum illę causam dicere nollet, neque vrgerent accusatores eius: vocauit nos Rex pientissimus, & iussit vt iremus ad locum, inquo ille agebat, reiq; summam ab eo audiremus. C Nam insidias & cædes, & alia plurima causabantur: nos autem scientes legem patrum, viroque honorem habentes, habentes etiam super hac re eius literas: Oportere in quibusque Prouincijs sua negotia tractari, transmontanosque ad nostra iudicia non trahendos, fortiter detrectauimus, ne causam susciperemus iudicandam. Porrò ille sicut & prius nobis obluctari cæpit, & multa authoritate vocato Archidiacono meo, quasi iam Ecclesia viduata esset, ac Episcopū non haberet, clerū omnē sibi per illum adiunxit: factæque sunt Ecclesiæ seditiosæ, & è singulis Ecclesijs adducebantur clerici & instruebantur vt nos accusarent, & libellos aduersus nos producerent, Post hæc vocauit & nos ad iudicium, nō dum dilutis quæ aduersum se erant causis, id quod contra omnes canones & leges est. Porrò nos scientes quòd non ad iudicium, sed ad hostē & inimicum perrecturi essemus, id quod satis declarant quæ prius & postea sunt facta, misimus ad eum Episcopos, Demetrium Episcopū Pisinatium, Eleusium Apameæ, Lupinum appiariæ: præsbyteros autē Germanum & Seuerum, qui congrua lenitate responderent ac dicerent: Nō vitare nos iudicium, sed inimicum apertum & hostem manifestum. Nā qui nondum acceptis libellis statim ab initio talia fecit, & seipsum abstraxit ab Ecclesiæ præcibus & cōmunione, & insuper accusatores subornauit, clerum ad se traxit, Ecclesiam desolauit, quomodo idoneus cē-

seri

A fieri possit huiusmodi, vt iudicis thronum conscendat sibi minimè congruentem? Neque enim congruum est, vt hi qui in Ægypto sunt, iudicēt eos qui in Thracia, & præsertim ille qui ipse reus est, inimicus & hostis. At ille nihil horum reueritus, magno studio anhelabat, vt perficeret ea quæ mente conceperat. Cum autem constaremur paratū nos ad diluendum crimina, & ad innocentiam, sicut & innocentes sumus, declarandā coram centum vel mille Episcopis, non assensit: sed licèt absentes essemus, & ad Synodum appellaremus, & iudicium inquireremus: & non auditorium, sed manifestas inimicitias fugeremus, ipse tamen accusatores suscepit, meos excommunicauit, & de illis qui nondum de se suis purgauerant criminibus, libellos collegit: quæ omnia legibus & canoni-
B bus prohibita sunt. Et quid opus est multùm dicere? non destitit omnia facere & tractare, donec nos vi & potentia è ciuitate & Ecclesia eijceret, etiam in prouecta vespera, & vniuerso populo nos attrahente. Tractus igitur vi, & abductus à magistratu ciuitatis, in media ciuitate, & in naui coniectus per noctem nauigaui, eò quod ad Synodum & iustum iudicium prouocaram. Quis hæc sine lachrimis, etiam si cor lapideum habeat, audiret? Verùm sicut prius dixi ea quæ perperam fiunt, non solùm deploranda, sed & corrigenda sunt: & ideo charitatem vestram obsecro, vt prouocetur ad condolendum, faciendumque omnia, quo mala hæc sistantur. &c. Igitur domini maximè venerandi & pij, cum hęc ita se habere didiceritis, studium vestrū & magnam diligentiam adhi-
C bete, quo retundantur hæc quæ in Ecclesias irrupit iniquitas. Quippe si mos hic inualuerit, & fas erit cuiuis in alienam parrochiam irrumpere, idque ex tantis interuallis, & eijcere quos voluerit, & authoritate propria quæque pro libidine sua facere, scitote quod breui transibunt omnia, & totus orbis præmetur bello non indicto, omnibus ab omnibus eiectis, & omnes eijcientibus. Quapropter ne confusio hæc, omnem quæ sub cælo est nationem inuadat, obsecro vt scribatis quòd hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis, & non declinantibus iudicium, non habeant robur, sicut neque sua natura habent: illi autem qui iniquè egerunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subiaceant, nobis verò, qui nec conuicti,
D nec redarguti, nec habiti vt rei, literis vestris & charitate vestra, aliorumque omnium, quorum scilicet & antea societate fruebamur, frui concedite, &c. Hæc igitur omnia cum ita se habere intellexeritis à dominis meis pientissimis fratribus nostris Episcopis, obsecro, vt pręstetis id quod petent officij. Quo non solum nobis glorificabimini, sed & Ecclesiarū vniuersitati, mercedemque accepturi estis à Deo, qui nihil non propter Ecclesiarum pacem facere dignatur. Semper vale & ora pro me domine dignissime & sanctissime.

Epistola Innocentij Papæ ad S. Ioannem Chrysostomum, à sua Sede per iniuriam deiectum, vt legitur in Nicephoro Calisto libro 13. Capit. 32. A

TAmetsi innocentem bona omnia expectare; & à Deo misericordiam petere conueniat: tamen nos quoque qui tolerantiæ malorum suasores sumus, literas hasce pro eo atque decuit, cũ Cyriaco diacono ad te dedimus, ne aduersariorum iniuria plus possit quàm bona conscientia, dum in spe cum illa luctatur. Non enim opus est doceri te tot populorum doctorem & pastorem, optimos quosq; sępe atq; adeò sẽper probari, an in vigore patientiæ persistant, neque alicui dolorum labori cedant. Et est profectò res stabilis & firma, conscientia bona in malis quæ iniustè accidunt omnibus; quæ nisi quis patientia vincat, indiciũ de se male suspicionis præbet. Omnia namque sustinere debet, qui Deo primùm, deinde suæ quoque confidit conscientiæ: quandoquidem bonus atque honestus vir exerceri ad patientiam maximè potest, vinci autem non potest. nam mentem eius diuinæ custodiunt, scripturæ. Abundant autem exemplis lectiones sacræ quos populo tradimus: & omnes prope sanctos varijs modis & continenter malis afflictos esse cum fide attestantur, quippe qui tanquam in aliquo iudicio explorati, tandem sic ad coronã patientiæ peruenere. Consoletur igitur charitatem tuã, frater reuerendissime, conscientia tua, quæ in tribulationibus solatium virtutis obtinet. Inspiciente namque ipso Christo Domino, in portu pacis petra constabit conscientia. B

Epistola Innocentij Papæ ad Clerum & populum Constantinopolitanum. ex Nicephoro lib. 13. cap. 32. C

Innocentius Episcopus præsbiteris & Diaconis totique Clero & populo Ecclesiæ Constantinopolitanæ quæ sub Ioanne Episcopo est, fratribus dilectis salutem.

Ex tom. 1. Cõc p 587 EX literis dilectionis vestræ, quas per Germanum præsbiterum, & Cassianum diaconum ad nos dedistis, scenam malorum, quam ob oculos posuistis, anxia solicitudine cognoui, & quibus ærumnis malisq; fides laboret, repetita sæpius lectione perspexi, &c. Cæterùm quid contra istos in præsentia agendum? Synodali cognitione peropus est, quam dudum etiam cogendam esse censuimus. Sola enim illa talium procellarum motus sopire potest: quam vt obtineamus, vtile nunc fuerit medicinã & opem hanc ad voluntatem magni Dei & Christi eius Domini nostri referre. Omnia quæ diaboli inuidia ad fidelium explorationem, sunt perturbata, pacabuntur. stabilitate fidei nihil non sperare à Domino debemus. Nos quidem multum deliberamus & dispicimus, quomodo vniuersalis Synodus congregetur, vt de voluntate Dei turbulenti isti motus compescantur. Itaque interea sustineamus, & patientię muro circumuallati, omnia auxilio Dei nostri restitutum iri speremus. Quæcunque vero vos sustinuisse scripsistis, ea quoque omnia antea, quamuis diuersis maximè temporibus, à collegijs vestris Episcopis, Demetrio, Eulysio & Palladio, qui Romam venerunt, & nobiscum fuerunt, percunctatione accurata cognouimus. D

Epi-

A Epistola Ioannis Chrysostomi ad Innocentium Papam.
Innocentio Episcopo Romæ, Ioannes in Domino salutem.

CORpus quidem nostrum vno eodemque loco tenetur & stabilitum est: animus autem charitatis ala in vniuerso Orbe circumuolitat. Proinde licèt tanta itineris intercapedine separatissimus, à pietate tamen vestra non absumus, sed quotidie vobis præsentes sumus. Animi enim oculis videmus vestram illam fortitudinem, & sinceram affectionem, constantiamque non mutabilem, & quod vos consolari nos plurimum & perpetuò cupiatis, &c. Ea propter & gratias vobis habemus multas & desideramus quidem ad vos dare crebras literas, id quod maximo nobis foret solatio. Verùm quia solitudo huius loci intantum vos à nobis separat: neque facilè ad vos peruenire valet hi qui nobiscum agunt, vel etiam qui in vicino habitant, tum quod in extremis finibus locus ille situs sit, tum quòd latrones vias illas vndique obsident: præcamur vt diuturnium silentium nostrū efficiat, quòd magis nobis condoleatis, quàm quod nos reo putetis negligentiæ. Perpetuas enim vobis gratias agimus, quòd paternā erga nos beneuolentiā declarastis; nam quantū in vestra pietate situm fuit, iam res omnes sedatæ & emendatæ & sublata omnia scandala fuissent, gauderentque Ecclesiæ tranquilla & syncera pace &c. Cæterum vestram oro vigilantiam, quòd licèt illi omnia tumultibus impleuerint, laborauerintque morbis incurabilibus, & pœnitentiæ non capacibus: si tamen curari morbo voluerint, ne affligantur, neq; à cœtu abijciantur, considerata tanti operis magnitudine, &c. Nam & nos tertium nunc annum in exilio versamur, expositi pesti, fami, bello, continuis obsidionibus, solitudini indicibili, quotidianæ morti, & sauricis gladijs: & non mediocriter nos consolantur solida vestra fides & charitas, quæ se in me tam tenui & simplice oblectant. Hic noster murus, hæc securitas: hic potius absque fluctibus, hic bonorum multorum thesaurus, hæc lætitiæ mirificæque voluptatis causa est. Et si in desolatiorem, quàm ille est, locum iterum abigemur, non paruam hinc habentes nostrarum afflictionum consolationem, abimus.

Ex tom. 1. Conc pag. 589.

B

C

Quâta pas sus est Chrisostomus in exilio.

Epistola Innocentii Papæ ad Arcadium Augustum scripta post mortem Chrysostomi in exilio.

D VOx sanguinis fratris mei Ioannis clamat ad Deum contra te, ò Imperator, sicuti quondam Abel iusti contra fratricidam Cain: & his modis omnibus vindicabitur. Nec id modo admisisti, sed etiam pacis tempore persecutionem magnā aduersus Deum & Ecclesiam eius concitasti. Eiecisti è throno suo, re non iudicata, magnum totius Orbis doctorem, & vna cum eo Christum persecutus es. Neque de illo ita queror (sortem enim seu hæreditatem cum sanctis Apostolis in Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi regno consecutus est) quamuis intolerabilis iactura ea sit: sed affligor propterea, quòd primùm de animarum vestrarū salute, deinde de eis, qui sapientissima spirituali & diuina doctrina &

Ibidem.

institutione eius orbati, fame verbi Dei conficiuntur, sum sollicitus. A
Non enim Ecclesia tantùm Constantinopolitana mellitæ illius linguæ iacturam fecit, Sed & Orbis sub sole totus ad orbitatem reductus est, viro tam diuino amisso, persuasione vnius mulieris fabulam hanc & spectaculum exhibentis. *Verùm excipiet illa & præsentem hic pœnam, & futurum sempiternum supplicium non post multos hosce dies ei adueniens.* Tametsi enim beatus Ioannes vitam reliquit, fide seruata & fluctuantibus confirmatis, in æterna tamē sæcula sempiternarum deliciarum & immortali vitæ hæreditatē est cōsequutus. Noua autem Dalila Eudoxia, quæ paulatim te erroris seu deductionis nouacula totondit, execrationem ex multorum ore sibi ipsi induxit, graue & quod gestari nequeat, peccatorum pondus colligans, atque id prioribus peccatis suis superaddens. Itaq; ego minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego te & illam à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri. Episcopum etiam omnem aut clericum ordinis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui administrare aut exhibere ea vobis ausus fuerit, ab ea hora, qua præsentes vinculi mei legeritis literas, dignitate sua excidisse decernō. Quod si vt homines potentes quenquā ad id vi adegeretis, & Canones vobis à Saluatore per sanctos Apostolos traditos transgressi fueritis, scitote non paruum id vobis peccatum fore in horrenda illa iudicij die, cum neminē huius vitæ honor & dignitas adiuuare poterit: arcana autem & abdita cordium sub oculos omnium effundetur atque exhibebuntur. Arsacium quem pro magno Ioanne in thronum Episcopalem produxistis, etiam post obitum exauthoramus, vna cum omnibus, qui consultò cum eo communicarunt Episcopis: cuius etiam nomen sacro Episcoporum albo non ascribatur. Indignus enim eo honore est, vt qui Episcopatum quasi adulterio polluerit. Omnis siquidem plantatio, quæ à patre nostro in cœlis plantata non est eradicabitur. Ad Theophili (nempe Alexandrini Episcopi) abrogationem addimus excommunicationem, anathematismum, & absolutam à Christianismo alienationem.

Innocentius Papa futura prænunciat.

(B and C margin letters beside "atque id prioribus…" and "…produxistis" respectively.)

APPELLATIO SECVNDA.

Epistola Nestorij Episcopi Constantinopolitani ad Cælestinum Romanum Pontificem.

Ex tom. 1. pag. 646.

FRaternas nobis inuicem debemus collocutiones vt vnanimiter nobiscum obtinente concordia impugnaturi diabolum pacis inimicū &c. Vnde & nos non modicam corruptionem Orthodoxiæ apud quosdam hic reperientes, & ira & lenitate circa ægros quotidie vtimur. Est enim ægritudo non parua, sed affinis putredinis Apollinaris & Arrij: Dominicam enim in homine vnionem ad cuiusdam contemperationis confusionem passim commiscent, adeò vt & quidam apud nos clerici, quorum alij ex imperitia, alij ex hæretica fraude in se olim celata, quæ plurima & Apostolorum temporibus contigerunt, tanquam hæretici ægrotent, & apertè blasphement Deum, Verbum Patri homousion, tanquam originis initium de Christotoco Virgine sumpsisse, & cum- D

tem-

Digitized by Google

A templo suo ædificatus esset, & carni consepultus: eandemque dicunt post resurrectionem commiscuisse carnem, sed in naturam transijsse Deitatis, vt in compendio dicam, & Deitatem vnigeniti & ad originem coniunctæ carnis referunt, & commortificant carni. Carnem vero coniunctam Deitati ad Deitatem transisse blasphemant ipso verbo Deificationis: quod nihil est aliud nisi vtrumque corrumpere: sed & Virginem Christotocon ausi sunt cum modo quodam Theotocon dicere, hanc enim Theotocon vocantes, non perhorrescunt quòd sancti illi & supra omnem prædicationem Patres per Nicæam nihil amplius de S. Virgine dixissent, nisi quia Dñs noster Iesus Christus incarnatus est ex Spiritusancto & Maria Virgine. & taceo Scripturas, quæ vbiq; Virginem matrem
B Christi, nõn Dei Verbi, & per Angelos & per Apost. prædicarunt, &c.

Nestorius Constantinopolitanus Episcopus, nouas hæreses disseminare incipiens, duas Personas in Christo existentes prædicabat, nec Beatissimam Virginem matrem Dei sed tantùm Christi genitricem dicendam esse docere cœpit. Cælestino Romano Pontifici hanc quam nunc proposuimus epistolam misit qua hanc suam phanaticam opinionem esse Patrum fidem, oppositam autem sententiam nouam hæresim esse, suadere nitebatur: quasi ipse non auctor hæresum esset, sed contra hæreses hac sua opinione pugnaret & doceret. iusta omnium hæreticorum consuetudinem, qui nouas hæreses, antiquam fidem catholicam esse, persuadere student. At eodem tempore Cyrillus Alexandrinus Cælestino Papæ, Nestorij nouas hæreses denunciauerat, quamobrem idem Cælestinus Cyrillo hanc, quæ subsequitur dedit epistolam.

Calliditas hæretic. hæreses Patrum fidem esse ostentare conatur.

C

Cælestinus dilecto fratri Cyrillo Episcopo Alexandrino S. D.

Literę quas sanctitas tua per filium nostrum Posidonium ad nostram mœstitiam misit multa nos lætitia affecerunt: & si interim gaudiũ quod in illis offerebatur vicissitudine quadam cum dolore commutauerimus. etiam dicta illius intuentes, anxiaque cogitatione pertractantes, qui prauis suis sermonibus Constantinopolitanam Ecclesiam turbare nititur, non mediocriter animo sauciati, diuersis cogitationum stimulis agitamur. assiduè id vnum mente versantes, quo pacto fideles, vt in suscepta semel fide cõstanter retinenda perseuerẽt, adiuuari possint, &c.
D Quamobrem nostræ sedis auctoritate ascita, nostraq; vice & loco cũ potestate vsus, eiusmodi non absque exquisita seueritate sententiam exequeris: nempe, vt nisi decem dierum interuallo ab huius nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quàm & Romana & tuæ sanctitatis Ecclesia & vniuersa denique religio Christiana prædicat, illico sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat. Is verò modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat: vt qui omnem medentium curam aspernatus, nec non instar pestiferi morbi per vniuersum Ecclesię corpus insano

Ex tom. 1. conc pag. 716.

Cyrillus Patriarch. Alexandrinus fit Legatus PP.

Cælestinus Papa deposuit Nestor. Episcopum Constantinopolitanũ.

modo

modo grassatus, tam seipsum, quàm cęteros omnes sibi commissos in extremum exitium præcipitare studuerit. Eadem hæc & ad Sanctos quoq; fratres & coepiscopos nostros Ioannem, Rufum, Iuuenalem, & Flauianum perscripsimus, quò nostra imò verò diuina Christi Domini nostri sententia pluribus de eo sit manifesta. Datæ 3. idus August. Theosio xiij. A

Epistola Cælestini Papæ ad Nestorium. Dilecto fratri Nestorio, Cælestinus. S.

Tom. . . . pag. 717. POST impium illud profanumque sæpenumero condemnatum Pelagij ac Cœlestij dogma ab vrbe semel proscriptum, Catholica fides aliquot vitæ nostræ diebus pacem obtinuit. &c. Non ita pridem literas tuas accepimus quibus tam subitò responderi non licuit: erant enim prius in Latinam linguam conuertendæ, id quod propter vrgentem necessitatem haud segniter fieri curauimus. Cæterùm per filium nostrum Posidonium diaconum à sancto fratre & coepiscopo nostro Cyrillo, Sacerdote sanè probatissimo, eiusmodi de te literas accepimus, quæ magna nos animi ægritudine afficiunt. cernimus enim præclarum illud testimonium olim tibi datum, in nihilum recidisse, tuaq; honesta illa initia, malum rumorem consecutum esse. Honesta autem initia ideo appello, quia tantis illa apud nos laudum præconijs euehebantur, vt nos quoq; in responsione ad fratrum relationem gaudium conceptum dissimulare nequiuerimus. At nunc verò graues prædicti fratris nostri de te quærelas tuasque epistolas, quæ latinè redditæ, manifestas blasphemias præseferunt, animo pertractantes, illud Apostoli nobis depromendũ video. Vellem mutare vocem meam quoniam confundor in vobis, imò verò iamdudum mutaui, nisi impietatis præco à præcipitio in quod abductus es, pedem quam primùm reuocauerit. Necessum est namque vt quemadmodum iubemur, malum à nobis abscindamus. Legimus igitur epistolarum tuarum contextum, accepimus & tuos quoq; libellos, tradente illos filio nostro Antiocho viro apprimè illustri. Ex his re examinata, in graues errores prolapsus depræhenderis, veritatemque multis inuoluisse tenebris, & omnia tandem sursum deorsumque permiscuisse conuinceris: Nam pleraquę quæ confiteri debueras, inficiaris: alia rursum quæ negata oportuerit, confiteris. At verò in epistolis tuis apertam non tam in nostram fidem, quam in temetipsum sententiam profers: vt potè longè aliter de Dei Verbo docere contendens, quàm communis omnium fides patitur, &c. Delusa est ergo illorum opinatio, qui magna sibi de te pollicebantur, sed nõ prorsus temere: Quis enim lupum rapacẽ intra ouinam pellem latitare suspicaretur? &c. Dic obsecro, isthec ne veluti ignota te prætereunt? an vero vt cognita aspernaris? Si te tanquã ignota fugiunt, ne verearis, quod rectum est discere: quemadmodum quod peruersum est & discere & docere non es veritus. Sin autem veluti nota contemptui ducis, cogita tibi nullam excusationem relictam esse, cum concreditum tibi talentum abs te reposcet ille, qui semper è sacro illo fœnore lucrum à nobis expectat. &c. Quid ita ijs de rebus quę-

stio-

A ſtiones incoeptare voluiſti,quos vel cogitare blaſphemia eſt? Vnde Epiſcopo in mentē venit, vt ea in vulgus ſpargeret,per quæ Virginei partus maieſtas & reuerentia grauiter conſauciatur? meritò ſanè blaſphemi in Deum ſermones priſcæ fidei ſynceritatem interturbare non debuerant. Quis vnquam anathemate non dignus exiſtimatus eſt qui fidei quippiam appoſuiſſet, vel de ea quippiam ſuſtuliſſet? Quæ enim plenè & planè nobis ab Apoſtolis tradita ſunt, ea augmentum vel imminutionē non ſuſcipiunt.&c. Præparauimus igitur cauterium & ferrum,ſiquidem vulnera quæ tolerari alioqui non poſſunt, maturè excidenda ſunt. Nouimus enim magna vitia,citra magnam moleſtiam facilè curari non ſolere. Cæterum inter multa impiè abs te prædicata, quæ catholica Ec- *Neſtorius Symbolum detruncauerat.*
B cleſia auerſatur, ſummopere deploramus, ea per te verba à Symbolo ſublata eſſe, quæ totam vitæ ſalutiſque ſpem nobis pollicentur. hoc ipſum autem quo animo feceris,id tuæ epiſtolæ non diſſimularunt, &c. Cum itaque frater noſter Cyrillus alteris iam literis ad ſanam mentem te reuocare enixè,vt ſcribit,ſtuduerit: & poſt vnam & alteram illius admonitionem, etiam noſtra hæc, quam tertiam eſſe conſtat, increpatio acceſſerit: niſi nunc tandem quæ peruerſè docuiſti per te corrigantur, in eamque viam primo quoque tempore redieris,quam ſe Chriſtus eſſe palam eſt profeſſus; in poſterum & à noſtro conſortio, & ab omnium Chriſtianorum cœtu alienum te fore, nihil quicquam dubites, &c. Dominus alias oues ſe adducturum promittit: tu autem quas habes deper- *Myſteriū de Eccl. Conſtantinopolitana.*
C dis. Quamuis interim obſcurum non ſit, cum iſtuc vſu venit, non tam oues interire paſtoribus, quàm paſtores, ouibus, &c. Veteres hæreticos in mentem reuoca, qui & ipſi quoque eiuſmodi quæſtiones & controuerſias in Eccleſiam inuexerunt. verùm quis vnquam ex illis victor ab iſtiuſmodi certaminibus receſſit? habes ciuitatis tuæ exemplum. Paulus Samoſatenus Eccleſiæ Antiochenæ gubernacula quondam ſortitus, vt prædicandi ſementem fecit, ita & meſſuit. Reliquos malorum inuentores,qui quondam Eccleſias obtinuerunt,ſimilis ſententiæ ſeueritas ſemper proſtrauit &c. Cæterùm ad Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ clerum cæteroſque qui iſtic Chriſti nomine inſigniti ſunt literas quales neceſſitas exigebat, perſcripſimus: Quò his nimirum inſtructi commonefacti-
D que (ſi quidem in peruerſæ doctrinæ contumacia perſtiteris, neque illum ipſum quod frater noſter Cyrillus nobiſcum docet, tu quoque docueris) intelligant à noſtro te cœtu excluſum eſſe: Tibi enim nulla deinceps ſocietas nobiſcum eſſe poterit. Diſcant nihilominus & hoc exemplo præmuniti, qua ratione animæ ſuæ maturo deliberatoq; coſilio proſpicere debeant. Quamobrem hoc tibi perſuaſum habeas velim,niſi de Chriſto Deo noſtro ea tenueris & docueris, quæ & Romana & Alexandrina & vniuerſa Eccleſia catholica tenet & docet, ſanctaque magnæ Conſtantinopolis Eccleſia, vſque ad tuum Epiſcopatū tenuit & docuit: & perfidam illam nouitatem, quæ ea diuellere nititur, quæ ſacra Scrip-

tura coniungit, intra decem dies post hanc admonitionem ad te perlatam enumerandos, aperta scriptaque confessione detestatus fueris ac repudiaueris, ab vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ communione quamprimũ te expulsum proscriptumque iri: & hoc nos planè facere, in animum induxisse. Quam nostri in te iudicij formulam, cum cæteris omnibus chartis & commentarijs, per filium nostrum Possidonium diaconum, cuius supra meminimus ad sanctum Cyrillum memoratæ Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum, qui ea ipsa quoque de re fusius ad nos retulerat, transmisimus; vt noster hac in parte Vicarius efficiat, quò nostrum decretũ & tibi & reliquis quoque omnibus fratribus pateſiat: nam cùm aliqua de re cõmuni deliberatio suscipitur, tunc omnes, quid actũ, statutũ ve sit, intelligere oportet. Data 4. idus Aug. Theodosio 13. & Valentiniano 3.

A

Cyrillus fit Vicar. PP.

B

Notet quæsò pius Lector quam olim subiectionem Constantinopolitana Ecclesia Romanæ Cathedræ exhibuit: & quam auctoritatem super illam Romanus Pontifex exequutioni mandauit: cum illius vrbis Episcopum ante generale Concilium deposuerit, & anathematizauerit. Ne autem eadem bis enarrare videamur, Appellationem Flauiani Episcopi Constantinopolitani ad Leonem Papam exhibitam, & eiusdem Leonis decisiuam sententiam in ea causa, quam hìc recensere nunc oporteret omittimus: cum in præcedentibus disputationibus satis de prędicta appellatione dixerimus, Episc. Constantinop. habetur lib. 1 disp. 3.

APPELLATIO TERTIA.

C

Quæ fuit Flauiani.

Epistola Leonis Papæ ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum, vbi primùm eum de fide in Chalcedonensi Concilio laudat: deinde arguit quòd contra Nicænam Synodum, Alexandrinam atque Antiochenam Ecclesias sibi subdere voluisset.

Ex tom. 1. Conc. pag. 963.

LEO Anatolio Episcopo. Manifestato, sicut optauimus, per gratiam Dei lumine Euangelicæ veritatis; & ab vniuersali Ecclesia perniciosissimi erroris nocte depulsa, ineffabiliter gaudemus in Domino, quòd creditæ nobis dispensationis labor ad desideratum peruenit effectum, sicut etiam epistolæ tuæ textus eloquitur, vt secundum Apostolicam doctrinam, idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata: Simus autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. In cuius operis deuotione gratulamur dilectionem tuam esse consortẽ, vt & corrigendis tua prodesset industria, & ab omni te deuiantium participatione & factione purgares. Decessore enim tuo beatæ memoriæ Flauiano, propter defensionem catholicæ veritatis eiecto non immeritò credebatur quod ordinatores tui contra sanctorum canonum constituta, viderentur sui similem consecrasse. Sed adfuit misericordia Dei, in hoc te dirigens atque confirmans, vt malis principijs benè vtereris, & non te iudicio hominum sed Dei prouectum benignitate monstrares. Quod verè ita accipiendum est, si hanc diuini muneris gratiam alia offensione non perdas. Virum enim catholicum, & præcipuè Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari. Di-

D

Digitized by Google

A cente quippe Scriptura sancta, Post concupiscentias tuas non eas, &c. Post illa itaque ordinationis tuæ inculpata principia, post consecrationem Episcopi Antiocheni, quam tibimet contra canonicam regulam vendicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, vt sacratissimas Nicænorum canonum constitutiones conareris infringere, tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit quo secundi honoris priuilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit, vt his locis iuri tuo subditis, omnes Metropolitani Episcopi proprio honore priuentur. Quibus inauditis, & nunquam ante tentatis, ita præueniris excessibus, vt sanctam Synodum, ad extinguendam solùm hæresim & confirmationem fidei catholicæ B studio Christianissimi Principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, &c. Nimis ergo hæc improba, nimis sunt praua, quæ sacratissimis canonibus inueniuntur esse contraria. In totius Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit concilio Synodali, vt fratres in fidei tantummodo negocium conuocatos, & definitione eius causæ quæ erat curanda perfunctos, ac consentiendum sibi, aut deprauando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim fratres nostri ab Apostolica sede directi, qui vice mea Synodo præsidebant, probabiliter atque constanter illicitis ausibus obstiterunt, apertè reclamantes, ne contra statuta Nicænæ Synodi, præsumptio reprobæ nouitatis assurgeret. nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus etiam C in epistola tua ipse conquereris, quod conatibus tuis voluerint obuiare. in quo eos quidem multum mihi hæc scribendo, commendas: sed temetipsum quòd eis parere nolueris, dum illicita moliris, accusas superfluè non concedenda appetens, & in salubriter contraria concupiscens, quę nullum vnquam potuerunt nostrum obtinere consensum. Absit enim à conscientia mea, vt tam praua cupiditas meis studijs adiuuetur, ac nō potius & meo & omnium qui non alta sapiunt sed humilibus consentiunt, opere subruat, &c. Non conuellantur prouincialium iura primatuum, nec priuilegijs antiquitus institutis Metropolitani antistites fraudentur. Nihil Alexandrinæ sedi eius, quam per sanctum Marcum Euāgelistam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis: nec Dioscoro D impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primùm prædicante beato Apostolo Petro, Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseueret, & in gradu tertio collocata, nunquam se fiat inferior. Aliud enim sunt sedes, aliud Præsidentes, & magnus vnicuique honor est integritas sua, &c. Hæc tibi scribens frater in Domino, hortor ac moneo, vt deposito ambitionis desiderio, spiritu potius ferueas charitatis, eiusque virtutibus secundum doctrinam Apostolicam proficienter orneris. est enim patiens & benigna, & non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit

Episcopus Constantinopol. debet Legatis Papæ obedire.

Leo minat excommunicationem Episc. Constantinop.

quæ sua sunt. Vnde si charitas non quærit propria, quantum peccat qui concupiscit aliena? A quibus volo vt te prorsus abstineas, memorque sis eius sententiæ quæ dicit. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Nam si concessa quæsieris, ipse te tuo opere atq; iudicio vniuersalis Ecclesiæ pace priuabis. Frater autem & coepiscopus noster Lucianus, & filius noster Basilius diaconus, quantum in ipse fuit, studiosè his quæ eis iniunxeras affuere. Sed actioni eorum iustitia negauit effectum: Data 11. Kal. Iunij. Herculano viro clarissimo Consule. A

Epistola Leonis Papæ ad Martianum Augustum, vbi de eius gratulatur fide quæ in Chalcedonensi Concilio gesta est. Et de Anatolio Constantinopolitano Episcopo conqueritur qui in eodem Concilio Alexandrinam & Antiochenam Ecclesias contra statuta per ambitum sibi voluit subiugare.

Leo Episcopus Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ, Martiano Augusto.

Ex tom. 1. concil. pag. 964.

MAgno munere misericordiæ Dei, totius Ecclesiæ catholicę multiplicata sunt gaudia, cum sancto & glorioso clementiæ vestræ studio perniciosissimus error extinctus est, vt labor noster citius ad desideratum perueniret effectum, quē Deo seruiens principatus vester, & fide & potestate iuuisset, &c. His autem propter quæ tanta facta est congregatio Sacerdotum, bono & optabili fine compositis, miror & doleo, quod pacem vniuersalis Ecclesiæ diuinitus reformatam, ambitionis rursus spiritus inquietat. Quamuis enim necessariè sibi frater meus Anatolius consuluisse videatur, vt ordinatorum suorum errorem deserens, in assensum catholicæ fidei salubri correctione transiret, custodire tamen debuit, vt quod vestro beneficio noscitur consecutus, nullius cupiditatis prauitate turbaret. Nos enim vestræ fidei & interuentionis habentes intuitum, cum secundum suæ consecrationis authores eius initia titubarent, benigniores circa ipsum quam iustiores esse voluimus, quo perturbationes omnes, quæ operante diabolo fuerat excitatæ adhibitis remedijs leniremus: quæ illum modestum magis quàm immoderatum facere debuere. Qui etiam si præcipuis meritis, optimoque iudicio legitimè fuisset ac solemniter ordinatus, contra reuerentiam tamen canonum paternorum, contra sancti Spiritus instituta, contra antiquitatis exempla, nullis posset suffragijs adiuuari. Apud Christianum & verè religiosum, verèque orthodoxum Principem loquor: multùm Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmēto. Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana ciuitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur Imperio. Alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia diuinarum: nec pręter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio. Propria perdit qui indebita concupiscit. Satis sit prædicto, quod vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu, Episcopatum tantæ Vrbis obtinuit. Non dedignetur regiam ciuitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem, nec vllo speret modo quòd per aliorum possit offensio-

Papa dispensat electionem Anatolij factam contra conciliorum canones.

B C D

A fensiones augeri. Priuilegia enim Ecclesiarum, sanctorum Patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ synodi fixa decretis, nulla possunt inprobitate conuelli, nulla nouitate mutari: In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est me perseuerantem exhibere famulatum; quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum si paternarum regulæ sanctionum, quæ in synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen, Spiritu Dei instruente sunt conditæ, me, quod absit, conniuente violentur, & maior sit apud me vnius fratris voluntas, quàm vniuersæ domus Domini communis vtilitas, &c. Vnde quia conuenit fidei vestræ vel gloriæ, vt sicut hæresis, Deo per vos agente, destructa est, ita etiã omnis ambitus retundatur: agite quod & Christianæ est probitatis & regiæ, vt prædictus Episcopus pareat Patribus, B consulat paci, neque sibi æstimet licuisse, quod Antiochenæ Ecclesiæ sine vllo exemplo, contra statuta canonum Episcopum ordinare præsumpsit, quod nos amore reparandæ fidei & pacis studio retractare cessauimus. Abstineat ergo ab Ecclesiasticarum iniuria regularum, & illicitos declinet excessus, ne se ab vniuersali Ecclesia, dum inimica paci tentat, abscindat. Quem opto magis irrepræhensibiliter agentem diligere, quam in hac præsumptione, quæ illum ab omnibus separare poterit, perdurare. Frater autem & coepiscopus meus Lucianus, qui cum filio meo Basilio diacono, clementiæ vestræ ad me scripta portauit, omni deuotione partes susceptæ legationis impleuit, qui non est æstimandus C negocio defuisse, quem potius causa deseruit. Data 11. Kalendas Iunij Herculano viro clarissimo Consule.

Altera Leonis Papæ Epistola ad Martianum August. qua obsecrat vt Anatolium arguat.
Leo Episcopus Martiano Augusto.

QVam excellenti pietate & quam glorioso clementiæ vestræ studio in integrum nuper fides Christiana reuocata sit, totus mundus agnoscit, & saluti suæ singulare præsidium per vos à Domino esse reparatum, &c. Anatolij Episcopi ordinationem, sicut scientia Dei testis est, suspectam (quod fatendum est) mihi fecerant consecrationis eius authores, nec dissimilem ab eligentibus arbitrabar electum: secuutumque est vt dum à communione Apostolicæ sedis existeret alienus, diu dan- D dis ad eum epistolis pacis meæ abstinerem. Sed cum illi pietatis vestræ testimonium suffragaretur, quum de fide atque vnanimitate eius optãda quæque & placitura promitteret, professionem eius ita credidi esse sinceram, vt tamen qua obseruantia se agere deberet, non desinerem commonere, sedulò ipsi ac diligenter inculcans, vt de persecutoribus beatæ memoriæ Flauiani neminem auderet in suo habere consortio, & Eutichianæ hæreseos defensorem à se indicare esse deiectum. Sequutumque est vt de his que pro catholica fide in synodali concilio fuerant definita, tali ad me scripserit, qualia catholicum Sacerdotem scribere cõgruebat. Cum ergo ad commendanda ipsius primordia ista præ-

Digitized by Google

cesserint, miror quid causæ aut occasionis emerserit, vt virum catholicę fidei & Nestorianis atque Eutijchianis hæreticis constanter etiam aduersum, Archidiaconum sub honoris specie degradaret, & dispensationem totius causæ & curæ Ecclesiasticæ in Andream Eutichianistam repente transferret, adeo nimia commotione turbatas, vt consecrationem quam pro iniuria dabat sexta Sabbati, traditiones Apostolicę aut nescius aut oblitus inferret: quasi non ad Episcopum magis quam ad presbiterū ordinationis illius vitium pertineret, qui non inueniens quod argueret in fide. quod improbaret in moribus, deiectionem innocentis per speciem prouectionis impleuit, addens sententiæ illud iniuriæ, vt eum cæmeterio deputando, cōdemnaret exilio. Quem tamen pietati vestræ cōmendare præsumo, ne vllis vlterius noxijs ingrauari possit insidijs, quem Dominus, vt comperi, sub vestra defensione constituit. Adijcio autem etiam hanc obsecrationem, vt prædictum Episcopum à professione sua dissonum, & nimium testimonij vestri ac fauoris oblitum, necessariè increpare dignemini. Cesset catholicos insectari, cesset eos qui sanctæ memoriæ Flauiano placuere, conterere, & eorum societatē quos improbauit eligere. Fraternam enim illi charitatem non aliter poterimus impendere, quàm vt se inimicos catholicæ fidei approbet execrari, eiusq; à se consortium, quem meritò abiecit, abscindat, qui etiam si magna fuisset satisfactione purgatus, post dubium tamen reuersus errorem, catholicis diaconibus postponi debuit, non præponi. Illud quoq; clementiæ vestræ beneuolentiam peto, vt veneratorem vestrum fratrem meum Iulianum Episcopum, in vestro, sicut facere dignamini, habeatis affectu, cuius obsequijs præsentiæ meæ vobis imago reddatur. Nam & de fidei eius synceritate confidens, vicē ipsi meam, contra temporis nostri hæreticos delegaui: atque propter Ecclesiarum pacisque custodiam, vt à comitatu vestro non abesset exegi: cuius suggestiones, pro concordia catholicæ vnitatis, tanquam meas audire dignemini, placentes Deo, qui vobis præter regiam coronam, etiam sacerdotalem conferat palmam. Data 6. idus Martij. Opilione viro clarissimo Consule.

Leo arguit Anat. quia Archidiac. Eccles. Cōstantinopol. degradauerat, eiusque opere deinde restitutus fuit

Ad præsentium autem Epistolarum intelligentiam sciendū est quòd Leo Pontifex Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, Patriarchalis sedis dignitatem & prærogatiuam ambientem, epistola quadam, quam supra recensuimus, meritò redarguerat: approbatisque ijs quæ de fide in Chalcedonensi concilio definita erant, decretum de primatu sedis Constantinopolitanæ Nicænis canonibus contrarium, irritum esse declarauerat. Quas cum Anatolius accepisset, aduersus Pontificem calcaneum suum mouit, maioreque fastu & arrogantia in eum insilijt. Nā occultatis literis Papæ, primùm susurros, inde rumores in vulgus spargere cœpit, Pontificem Romanum Chalcedonense concilium reprobasse, & quod graue est, ab eodem defensores fidei orthodoxæ occultari, suspectosque de fide exaltari. His omnibus per fideles nuncios ad Martianum

A num Imperatorem delatis, coniuges Augusti Romanum Pontificem per literas, vt ex epistola Leonis, quæ est sexagesima ad Pulcheriā scripta, colligere licet, admonuerunt, & simul obnixè rogarunt vt calumniā de non recepto Concilio Chalcedonensi sibi illatam datis literis circularibus & Enciclicis aboleret. Præstitit id Pontifex hac epistola quam nunc proponemus, qua declarat se iam ante ad Anatolium aliosq; scripsisse ea quæ de Concilij Chalcedonensis decretis & cōstitutionibus sentiret: nimirum se omnia ea quæ ibidem de fide contra Eutychen aliosq; hæreticos definita sunt, approbasse, atque etiamnum approbare, tueri, ac defendere. Ea verò quæ Legatis sedis Apostolicæ absentibus, per sūmam fraudem & ambitionem Anatolij de primatu sedis Constantino-B politanæ surreptitiè ibidem contra Canones Nicæni concilij & Apostolicas traditiones constituta fuerunt, improbasse & respuisse, atque etiam num publicis hisce literis Encyclicis improbare atque detestari. Quam improbationem ratam habuit Imperator, & gauisus est quòd Leo Pontifex Nicænos canones seruandos præciperet, vt patet ex epistola eiusdē Leonis ad Martianum Imperatorem, quæ est Leonis quinquagesima nona. Epistolæ autem Leonis, quæ subsequitur, inscriptio posita est, tanquam si eodem tempore data esset, cùm concilium Chalcedonense absolutum fuit, adhoc vt ad omnes Episcopos qui concilio interfuerant mitteretur, cum tamen post annum alterum scripta fuerit.

Leo Episcopus sanctæ Synodo apud Chalcedonem habitæ.

C OMnem quidem fraternitatem vestram nosse non ambigo, definitiones sanctæ Synodi quæ ob confirmationem fidei in Chalcedonensi ciuitate celebrata est toto corde me fuisse complexum: quia nulla sinebat ratio, vt qui vnitatem catholicæ fidei dolebam ab hæreticis fuisse turbatam, non exultanter in integrum redijsse gauderem. Hoc autē non solùm ex ipso beatissimæ consensionis affectu, sed etiam ex epistolis meis, quas post reditum meorum ad Constantinopolitanæ vrbis antistitem dedi, potuissetis agnoscere; si vobis responsionem sedis Apostolicæ manifestare voluisset. Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, vtrum quæ in Synodo Chalcedonensi per vnanimitatem vestram de fide statuta sunt approbem hæc ad omnes fratres & coepis-D copos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt scripta direxi, quæ gloriosissimus & clementissimus Princeps, sicut poposci, in notitiam vestram mittere pro catholicæ fidei amore dignabitur, vt & fraterna vniuersitas & omnium fidelium corda cognoscant, me non solùm per fratres, qui vicem meam exequuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium, propriam vobiscum inijsse sententiam, in sola videlicet fidei causa, quod sæpe dicendum est, propter quam generale Concilium, & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ sedis placuit congregari. &c. De custodiendis quoque sanctorum Patrum statutis quæ in Synodo Nicæna inuiolabilibus sunt fixa de-

Ex tom. 1. concil pag. 968.

cretis, obseruantiam vestræ Sanctitatis admoneo, vt iura Ecclesiarum sicut ab illis 318. Patribus diuinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quamtúlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, & appetitus suos conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit quicquid à prædictorum Patrum canonibus discreparit. Quorum regulis Apostolica sedes quàm reuerenter vtatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani Antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere, & me auxiliante Domino nostro, & catholicæ fidei, & paternarum traditionum esse custodem. A

APPELLATIO QVARTA. B

Epistola Theodoreti Cyri Episcopi ad Leonem Papam, qua prærogatiuam Apostolicæ Sedis confitetur, & cum à Conciliabulo Ephesino depositus esset, Leonem Papam appellat: à quo redintegratus fuit.

Ex tom. 1. concil. pag. 970.

SI Paulus præco veritatis tuba sanctissimi spiritus ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs qui Antiochię institutis legalibus contendebant, ab ipso adferret solutionem: multò magis nos qui abiecti sumus & pusilli ad Apostol. vestrā sedē currimus, vt Ecclesiarū vlceribus medicinā à vobis accipiamus. Vobis enim per omnia primos esse cōuenit, multis enim, quibus superiores estis ornatur vestra sedes. Alias enim vrbes ornat vel magnitudo vel pulchritudo, vel multitudo eorū qui inhabitant. nonnullas autē ijs priuatas, dona quædā illustrant spiritualia. Vestræ autē redundantē bonorū copiā dedit is qui est bonorū largitor. Ea est enim omniū maxima & præclarissima, & quę præest Orbi terrarum, & eorum qui inhabitant abundant multitudine. Accedit his quod hoc quoque quod rerum potitur peperit imperium, & propria sua appellatione eos quibus imperat, impertijt. Præcipuè autē & insigniter eam exornat fide dignus testis diuinus Apostolus qui clamat: fides vestra annunciatur in vniuerso mundo, &c. habet autem communium quoque Patrum & veritatis doctorum Petri & Pauli sepulchra, quę fidelium animas illuminant, &c. C

Laudat epistolã Leon. scriptã ad Flauian de incarnationis mysterio

Satis sunt etiam quę nunc à vobis scripta sunt ad significādum vestrum characterē Apostolicum. incidimus enim in ea quę scripta à vestra sanctitate de suscepta à Deo & seruatore nostro humanitate, vt quę accuratè ac perfecta scripta essent, admirati sumus, vtraque enim simul declarabant, & ęternam Vnigeniti ex ęterno Patre diuinitatē, & quę erat ex semine Abrahę & Dauid humanitatē, &c. Nos autem spiritalem admirati sapientiam tuam, quę per vos locuta est, sanctissimi Spiritus gratiam laudauimus: Hortamurq; rogamus, obsecramus & supp. sanct. tuę, vt quę tem pestate agitantur, Dei Ecclesijs opem feras. Nam cum per ea, quæ à vestra sanctitate Ephesum scripta sunt sperassemus fore, vt sedarentur fluctus, in grauiorem procellam incidimus Iustissimo enim Alexandrinorum prę suli non suffecit iniqua atq; adeo iniustissima depositio D

san-

A sanctissimi & religiosissimi Constantinopolitani Episcopi domini Flauiani, nec eius expleuit animũ similis cędes aliorum Episcoporum: quin etiam me quoq; absentē calamo similiter iugulauit, cum me nec in ius vocasset, nec quid de suscepta à Deo & Saluatore nostro humanitate sētirem, interrogasset. &c. Ego autem Ecclesiæ quidem defleo tempestatem, quietem autem amplector. nam cum vigintisex annis mihi ab vniuersorum Deo creditam Ecclesiam per vestras preces rexerim, non tēpore beatissimi Theodoti Orientis Præsulis, non tempore illorum, qui ei in sede Antiochena successore, quantumuis leuem subij reprehensionem: sed mihi diuina opem ferente gratia, plusquam mille animas liberauī à morbo Marcionis: multos autem alios à secta Arrij & Eunomij B adduxi Christo Domino, & vt in octingentis Ecclesijs Pastor essem, mihi sortito obtigit, tot enim parecias habet Cyrus: in quibus per vestras præces ne vnum quidem remansit zizanium, sed ab omni errore hæretico liberatus fuit grex noster. nouit qui omnia intuetur, quot à nefandis hæreticis lapides in me immissos sustinuerim, quàm multa in multis Orientis ciuitatibus certamina susceperim aduersus gentes, aduersus Iudæos, aduersus omnem hæreticum errorem. & post tot sudores & labores, ne in ius quidem vocatus, sum condemnatus. Ego autem vestræ Apostolicæ sedis expecto sententiam: & supplico & obsecro vestram sanctitatem, vt mihi opem ferat iustum vestrum & rectum appellanti iudicium, & iubeat ad vos accurrere, & ostendere meam doctrinam vestigia C Apostolica sequentem &c. Sed supplicationem meam quæso ne respuatis, nec miseram meam caniciem despiciatis, quæ post tot labores affecta est contumelijs. Ante omnia autem rogo, vt sciam à vobis an in iniusta hac depositione me oporteat acquiescere, an non. Vestram enim expecto sententiam, & si iudicatis me stare iusseritis stabo, nec vlli deinceps hominum molestiam exhibebo: sed quod flecti non potest, Dei & Saluatoris nostri expectabo iudicium. Mihi autem, vt Dñs Deus noster est testis nec honor curę est nec gloria, sed tantum scandalum quod factum est, quòd multi ex simplicioribus, & maximè qui ex diuersis hæresibus à nobis capti sunt, sedem eorum qui nos condemnarunt attenD dentes, existimabunt nos fortasse hæreticos, vt qui quod sit rectum perfectumque dogma videre nequeant. Quòd autem cum tot annis fuerim Episcopus, non domum possederim, non agrum, non obolum, non sepulchrum: sed sponte electam amplexus sum paupertatem, & quæ nobis à parentibus obuenerant, post illorum mortem statim distribuerim, norunt omnes qui in Oriente habitant. Ante omnia autem supplico vestro sacro & Deo amico capiti, vt præcum mihi præbeat auxilium. Hæc per religiosissimos & Dei amantissimos præsbiteros Hypatium & Abramium chorepiscopos, & Alypium præsidem eorum qui sunt apud nos Monachorum vestram docui sanctitatem, qnando quidem ne ad vos venirem, me Imperatoris literarum vincula retinuere. Sicut ergo alios,

Appellatio ad sedem Apostolic.

rogo etiam sanctitatem vestram, vt eos paternè adspiciat,& inflexas aures beneuoles eis præbeat, & quæ calumnijs appetitur & temerè oppugnatur senectutem meam vestra dignetur cura ac prouidentia, & ante omnia fidei, cui insidiæ tenduntur, omnibus viribus curam gerat,& Ecclesijs paternam suam conseruet integram hæreditatem, vt pro his quoque remunerationes accipiat sāctitas vestra à liberali & munifico Deo. A

Sciat Amicus Lector epistolam hanc scriptam fuisse ann. Dom. 449. à Theodoreto illo, qui à parentibus Deo dicatus, ex monacho Episcopus Cyri in Syria est ordinatus Antiochiæ: qui mira dicendi facultate præditus, Marcionitarum plusquam decem millia ad Ecclesiam catholicam conuertit. Hic idem aliquandiu Theodorum Mopsuestenum & Nestorium hæresiarchas pestilentissimos aduersum Cyrillū Alexandrinum constantissime defendit, eoque facto omnem priorem gloriam obumbrauit & penitus obscurauit. Diuina autem gratia sancti Spiritus aflatus, factus est desertor impietatis,scriptisq; contra Nestorium eiusq; dogmata plurimis epist. ad Ecclesiā redijt,atq; in communicatione catholicæ Ecclesię & amicitia S.Leonis diem extremum clausit,vt constat ex sequente epistola Leonis quam anno Domini 453. ad Theodoretū scripsit.vt notat Binius tom. 1. Concil. pag. 971. Exitus autem præmissæ Theodoreti appellationis optimus fuit: nam iussit S. Leo vt in pristinam restitueretur dignitatem, vt actione prima Cōcilij Chalcedonensis legimus: sic enim Senatus Imperialis qui ibi aderat dixit. *Ingrediatur Episcopus Theodoretus vt sit particeps Synodi, quia ei restituit Episcopatum sanctus Archiepiscopus Leo, & sacratissimus Imperator sanxit eum adesse sanctæ Synodo: tunc omnes Episcopi clamauerunt, hunc foras mittite quia hæreticus est: qui respondit se velle iudicari: quapropter sedit in Concil.* Concilium autem dixit Theodoretum esse hæreticum quia vt diximus, partes Nestorij deinde susceperat: cum autem Leonem appellauit & ab eo restitutus fuit, catholicus erat, vt eius testatur epistola: postea in hæreses prorupit, & tandem iterum catholicam fidem amplexus est. B C

Epistola Leonis Papæ ad Theodoretum Episcopum Cyri.
Dilectissimo fratri Theodoreto Episcopo, Leo Episcopus.

Ex tom. 1 concil. pag. 971.

REmeantibus ad nos fratribus & consacerdotibus nostris, quos ad sanctum Concilium sedes beati Petri direxit, agnouimus dilectionem tuam superno adiutorio nobiscum tam Nestorianę impietatis, quàm Eutychianæ vesaniæ extitisse victricem. Vnde gloriamur in Domino cum Propheta canentes: Adiutorium nostrum in nomine Domini qui fecit cælum, & terram, qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit: sed quæ nostro prius ministerio definierat, vniuersæ fraternitatis irretractabili firmauit assensu,vt verè à se prodisse ostenderet, quod priùs à prima omnium sede formatum, totius Christiani orbis iudicium recepisset, vt in hoc quoque capiti membra concordent, in quo nobis amplius accrescit gaudendi materia, dum & tanto magis se pertulit inimicus, quanto contra Christi ministros sæuiùs insurrexit &c. Et minus bonum videri solet pax continuata per D

Digitized by Google

A ocium, quam reddita post laborem, &c. Exulta igitur charissime frater, & in vnico Dei filio victor exulta, &c. Sed benedictus Deus noster cuius inuincibilis veritas ab omni hæreseos macula mundum te, secundum sedis Apostolicæ iudicia demonstrauit. Cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam; si talem te, qualem probauimus ac probamus, pro vniuersalis Ecclesiæ defensione seruaueris. &c.

APPELLATIO QVINTA.

Epistola Leonis Papæ ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem.

Leo Episcopus vrbis Romæ, Anastasio Episcopo Thessalonicensi.

QVanta fraternitati tuæ à beatissimi Apostoli Petri sede commissa, & qualia etiam nostro tibi fauore credita, si vera ratione perspi- *Ex tom. 1. pag. 986.*
B ceres, & iusto examine ponderares, multùm possemus de iniunctæ tibi solicitudinis deuotione gaudere. Quoniā sicut præcessores mei præcesso- *Thessalonicenses Episcopi erant olim sedis Apostolicæ Vicarij.*
ribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum sequutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui, vt curam quam vniuersis Ecclesijs principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuuares, & longinquis ab Apostolica sede prouincijs præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes: quia de continenti opportunoque prospectu promptum tibi esset agnoscere, quid in quibusq; rebus vel tuo studio cōponeres, vel nostro iudicio reseruares. Nam cum maiora negotia & difficiliores causarum exitus liberum tibi esset sub nostræ sententiæ expectatione suspendere, nec ratio tibi, nec
C necessitas fuit in id, quod mensuram tuam excederet, deuiandi. Abundant enim apud te monitorum scripta nostrorum, quibus te de omnium actionum temperantia frequenter instruximus, vt commendatas tibi Christi Ecclesias, per exhortationem charitatis, ad salubritatem obedientiæ prouocares. Quia & si plerunque existant inter negligentes vel desides fratres, quæ oporteat maiore authoritate curari, sic tamen est adhibenda correptio, vt semper sit salua dilectio. Vnde & beatus Apostolus Paulus, ad Ecclesiasticum regimen Timotheum imbuens, dicit: Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt Patrem, iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt sorores in omni castitate. Quæ moderatio si quibuscūq; inferioribus membris ex Apostolica institutione debetur,
D quanto magis fratribus & coepiscopis nostris sine offensione reddenda est? vt licèt numquā accidant quæ in sacedotalibus sint repræhendenda personis, plus tamen erga corrigendas agat beneuolentia, quàm seueritas, plus cohortatio quàm commonitio, plus charitas quam potestas. Sed ab his quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi, facilè ab hac lege disceditur: & dū dominari magis quàm consulere subditis quærunt, placet honor inflat superbia, & quod prouisum est ad concordiam tendit ad noxam. Quod vt necesse habeamus ita dicere, non de paruo animi dolore procedit. Meipsum enim quodammodò in culpā trahi sentio, quum te à traditis tibi regulis immodicè deuiasse cognosco. Qui si

tuæ existimationis parùm diligens eras, neq; saltem famę parcere debuisti, ne quæ tuo tantùm facta sunt animo, nostro viderentur gesta iudicio, &c. Venit namque ad nos cum Episcopis prouinciæ suæ frater noster Atticus veteris Epiri Metropolitanus Nicopolitanus Antistes, & de indignissima adstrictione quam pertulit, lachrymabili actione conquestus est, coram adstantibus diaconis tuis, qui quærelis flebilibus nihil contra referendo, eaquæ nobis ingerebantur, fide non carere monstrabant, &c. Multum stupeo frater charissime, sed & plurimùm doleo, quod in eum, de quo nihil amplius indicaueras quàm quòd euocatus adesse differret, & excusationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter & tam vehementer potueris cōmoueri, præsertim cum & si tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerit quid ad tua consulta rescriberem. Sed vt video benè de moribus meis existimasti, & quàm ciuilia pro conseruanda sacerdotali concordia responsurus essem, verissimè præuidisti: & ideo motus tuos exequi sine dilatione properasti, ne cùm moderationis nostræ aliud disponentia scripta sumpsisses, faciendi id quod factum est, licentiā nō haberes, &c. Sed etiā si quid graue intolerandumq; gessisset, nostra erat expectanda cēsura, vt nihil prius ipse decerneres, quā quid nobis placeret agnosceres. Vices enim nostras ita tuæ credidimus charitati, vt in partē sis vocatus solicitudinis, non in plenitudinē potestatis, &c.

Appellatio Episcoporū veter. Epiri

A

B

APPELLATIO SEXTA.

Epistola Felicis Papæ ad Acacium Episcopum Constantinopolitanum.

Scripta cum consensu concilij Romani secundi, continens anathematis & depositionis sententiam, quæ post causæ diligentem inquisitionem; omnium decreto lata est in Acacium Constantinopolitanum: quæq; ad eundem Constantinopolim transmissa, & ab illo recusata, monachi cuiusdam opera suspensa est ad pallium Acacij, dum ad sacra peragenda pergeret. Quo facto eo insaniæ prorupit, vt Dioscorum Alexandrinum imitatus, nomen Felicis Papæ è sacris Dypticis tolleret, atque catholicos Episcopos, surrogatis hæreticis & infamibus, sedibus suis exterminaret. ex Binio tomo 2. concil. pag. 221. C

Felix Episcopus, sancta Ecclesia Catholicæ vrbis Romæ, Acacio.

MVltarum transgressionum reperiris obnoxius, & in venerabilis concilij Nicæni contumelia sæpe versatus, alienarum tibi Prouinciarum iura temerariè vindicasti. Hæreticos peruasores, atque ab hæreticis ordinatos & quos ipse damnaueras atque ab Apostolica instititisti sede damnari, non modo cōmunioni tuæ recipiendos putasti, verum etiam alijs Ecclesijs, quod nec de Catholicis fieri poterat, præsidere fecisti: aut etiam honoribus quos non merebantur auxisti. Testatur hoc Ioannes, quem à catholicis Apamæe non receptum, pulsumque de Antiochia, Tyrijs præfecisti: & Humerius, tunc de diaconio deiectus, atque Christiani nominis appellatione priuatus, à te etiam in præsbyterij prouectus officium. Et quasi hæc minora tibi viderentur, in ipsam doctrinæ Apostolicæ veritatē ausu superbiæ tuæ tetendisti, vt Petrus, quem damnatum à sanctæ memoriæ decessore meo ipse retuleras, sicut testantur annexa, beati Euangelistæ Marci sedem, te conniuente rursus inuaderet, & fugatis orthodoxis Episcopis & clericis, sui procul-

Ex tom. 2. concil pag. 221.

Felix Papa deponit Acaciū Episcopum Cōstantinop.

D

dubio

A dubio similes ordinaret, pulsoque eo, qui illic fuerat regulariter constitutus, captiuam teneret Ecclesiam. Cuius tibi adeò grata persona est, & ministri eius accepti, vt Episcopos & clericos plurimos orthodoxos, nunc Constantinopolim venientes detegaris affligere; & apocrisarios eius confouere, atque anathematizantem eundem Petrum Chalcedonensis decreta concilij, & violantem sanctæ memoriæ Timothei sepulturam, sicut ad nos certiores nunc quoque Nuncij detulerunt, per Mesenum & Vitalem credideris excusandum: nec eum laudare desieris & multis efferre præconijs, itaut damnationem ipsius, quam ante retuleras, veram non fuisse iactaris. Tantum autem perseueras in hominis defensione peruersi, vt quondam Episcopos, nunc verò honore & commu-
B nione priuatos, Vitalem atque Mesenum, quos ad eius expulsionem specialiter miseramus, sublatis chartis, custodiæ passus fueris mancipari: & ad processionem, quæ tibi cum hæreticis habetur, exinde productos sicut eorum professione patefactum est, ad hæreticorum, tuamque communionem contempta, quæ vel gentium iuri seruari debuit legatione pertraxeris, præmijsque corruperis, & in lesionē beati Petri Apostoli, à cuius sede profecti fuerant, non solùm inefficaces redire feceris, sed etiam impugnatores omnium quæ fuerant mandata, monstraris. In quorum deceptione tuam nequitiam prodidisti, & ad libellum fratris & coepiscopi mei Ioannis, qui te grauissimis obiectionibus impetiuit, in Apostolica sede secundum canones respondere diffidens, obiecta for-
C masti. Felicem quoque defensorem fidelissimum nobis necessitate faciente, seriùs subsequutum, indignum tuis censuisti oculis. Eos quoq; tecum literis tuis communicare testatus es, quos constat hæreticos. Quid enim sunt aliud qui post obitum sanctæ memoriæ Timothei, ad Ecclesiam sub Petro redeunt, vel qui se ex catholicis eidem tradiderunt, nisi quod Petrus ab vniuersa Ecclesia, atque à te fuerat iudicatus? Habe ergo cum his quos libenter amplecteris, portionem ex sententia præsenti, quam per tuæ tibi direximus Ecclesiæ defensorem: sacerdotali honore & communione Catholica, necnon etiam à fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomem & munus ministerij sacerdotalis agnosce sancti Spiritus iudicio & Apostolica auctoritate damnatus, nunquā-
D que anathematis vinculis exuendus. Cælius Felix Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ, subscripsi. Data quinto Kalendas Aug. Venantio viro clarissimo Consule. & subscripserunt. 67. Episcopi.

Acacius prius citatus fuerat à Rom. Pontifice vt Rom. veniret, at quia renuit, damnatus fuit.

Epistola Gelasij Papæ primi ad Episcopos Dardaniæ & Illirici.

In qua commendat eorum religionem; Thessalonicensem Episcopum, qui hæreticorum nomina damnare recusauit, Apostolicæ sedis communione priuatum esse, & Acacium in excommunicatione mortuum non posse absolui significat.

Gelasius eligitur Pontifex an. D. 492.

Gelasius Episcopus, vniuersis Episcopis per Dardaniam siue per Illiricum constitutis.

AVdientes orthodoxam vestræ dilectionis in Christo constantiam, atque ita vos antiquæ fidei communionisque sinceræ traditionibus inhærentes, &c. Nouerit autem vestra fraternitas Ecclesiæ Thessalo-

Ex tom 2 concil pag 340.

lonicensis Antistitem nostris adhortationibus sæpius incitatum, contagia communionis externæ nunquam declinare voluisse, nec apud nos nomen Acaij, vel cæterorum similium perfidorum, hisque communicantium congrua professione damnasse. Quapropter eum communionem sedis Apostolicæ non recepisse manifestum est, quoniam nisi puris sensibus,& ab omni nefanda societate purgatũ B. Petri Apost. nec possumus nec debemus Ecclesiæ præbere cõmercia. Propterea cautius agen est cum præfato, ne catholicis mentibus, vt fit, Apostolicæ sedis reconciliatione subrebat: quam sicut dolosis artibus fallere, & circumuenire non præualet, ita sub cuius non potest obtinere auctoritatem quoque nostram, quæ ad Dalmatiarum est directa Pontifices, etiam ad vos credimus dirigendam, quatenus in veritate catholica secundum formam traditionis antiquæ tenere nos consonam noueritis vbique sententiam. Si quos verò nouos didiceritis motus exurgere, nobis fraterna debetis sollecitudine referare, quo subinde, quæ Patrum regulis congruant, præstante Domino, remedia procuremus. Nec quisquam omnino vobis persuadeat, Acatio præuaricationis suæ crimen fuisse laxatum, quia qui postquam in Collegium recidens prauitatis, iureque ab Apostolica communione secludi, in hac eadem persistens damnatione, defunctus est. Absolutionem quam superstes nec quæsiuit omnino, nec meruit, mortuus iam non potest impetrare, siquidem ipsis Apostolis Christi voce delegatum est: Quæ ligaueritis super terram & quæ solueritis super terram. Cæterum iam de eo qui in diuino est iudicio constitutus, nobis fas non est aliud decernere, præter id inquo eum dies supremus inuenit: atque ideo nisi eius nomine refutato, cæterisque consortibus huius erroris, cum nullo prorsus eorum participare debetis mensæ Dominicæ puritatem, quam maiores nostri semper ab hæretica magnopere seruauerunt pollutione discretam, &c.

Altera Gelasij Papæ Epistola ad Episcopos Dardaniæ

Qua Acatium Episcopum Constantinop. solius Apostolicæ sedis iudicio iure damnatum ostendit.

Gelasius Episcopus vrbis Romæ ad Dardanos.

Ex tom. 2. Conc. pag. 147.

VAldè mirati sumus, quòd vestra dilectio quasi nouam veluti difficilem quæstionem, & adhuc tanquam inauditum quippiam nosse desiderat, quòd Euthichianæ pestilentiæ cõmunicatores non habentes quod pro suæ perditionis obstinatione respondeant, frequenti iã ratione conuicti misera contentione submurmurant, non quia sit alicuius momenti quod garriunt, sed quia non inueniunt penitus quid loquantur, &c. Ideo Acatium non putare iurè damnatum, quod non speciali synodo videatur fuisse deiectus, & insuper dementiam suæ vanitatis accumulant, pueriliter adijcientes præcipuè Pontificem regiæ ciuitatis. Quapropter stultitiam respuentes inanium quærelarum, percurrere vos oportet ab ipsis beatis Apostolis, & considerare prudenter, quoniam patres nostri catholici doctique Pontifices in vnaquaque hæresi

quoli-

A quolibet tempore ſuſcitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atq; Apoſtolica ſecundum ſcripturarum tramitem, prædicationemque maiorum, facta ſemel congregatione ſanxerunt, inconuulſum voluerunt deinde firmumque conſtare, nec in eadem cauſa denuò quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præſumptione permiſerint, ſapientiſſimè præuidentes quoniā ſi decreta ſalubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra ſingulos quoſque prorſus errores ſtabile perſiſteret Eccleſiæ conſtitutū ac ſemper iiſdem furoribus recidiuis omnis integra definitio turbaretur. Nā ſi limitibus etiam præfixis poſitarum ſemel ſynodalium regularum non ceſſant eliſæ peſtes, reſūptis certaminibus cōtra fundamentum ſeſe veritatis attollere, & ſimpli-

B cia quęque corda percutere: quid fieret ſi ſubinde fas eſſet perfidis inire concilium, &c. Quæ maiores noſtri diuina inſpiratione cernentes neceſſariè præcauerunt vt contra vnamquamque hęreſim coacta ſynodus pro fide, communione & veritate catholica atque Apoſtolica promulgaſſet, non ſinerent poſt hæc nouis retractationibus mutilari, ne prauis occaſio præberetur, quæ medicinaliter fuerant ſtatuta pulſandi: ſed auctore cuiuslibet inſaniæ ac pariter errore damnato ſufficere iudicarunt, vt quiſquis aliquando huius erroris communicator exiſteret, principali ſententia damnationis eius eſſet obſtrictus, &c. confidimus quòd nullus iam veraciter Chriſtianus ignoret vniuſcuiuſq; ſynodi conſtitutū, quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, non aliquam magis exequi ſedē

Sedes Apoſtolica synodos confirmat.

C præ cæteris oportere quam primam, quæ & vnamquanque ſynodum ſua auctoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum, Eccleſia nihilominus ſubſequente & tenuit ſemper & retinet. Hęc dum Acacium certis comperiſſet indicijs à communione catholica deuiaſſe, diutius iſta non credens, quippe quem nouerat execuutorem ſæpe neceſſariæ diſpoſitionis ſuæ contra hæreticos extitiſſe per triennium ferè literis deſtinatis eundē monere non deſtitit, ſicut per diuerſos miſſa frequenter ſcripta teſtantur. Quibus ille cum tamquam debito ſilentio diu non reſpondere proponeret, Epiſcopalis quoque directa legatio eſt, ac nihilominus pagina deſtinata, quæ præmoneret, eum ſuorum ante

D meminiſſe geſtorū, & quæ primitùs pro fide catholica deſudaſſet, oportere reſpicere, &c. Sed Acacius non ſolùm deſpexit ſatisfacere poſtulatis, verùm etiā ipſam legationē ſedis Apoſtolicæ blandimentis, præmijs periurijſque deceptam, quibus ei cum Imperatore promiſit, integram præſulis Apoſtolici cauſam de omnibus eſſe ſeruandam Petri communione pollutam redire perfecit, in tantum ſedis Apoſtolicæ deſpiciens poteſtatem, vt non ſolùm eius auctoritati non cederet, ſed etiam potius in conſortium communionis externæ, per legatos ſuos niteretur abducere: fieretque Apoſtolicæ ſedis neceſſitas, eos ipſos, quos dixerat ſacerdotes honore pariter & communione priuare, ne tali contagione

vide-

Digitized by Google

videretur infecta, satisque monstraret non se Acatij specialiter odisse A
Legati Papæ mandata sedis Apost. nõ seruantes deponũtur & excommunicantur.
Personam, sed respuere fœdera perditorum, &c. Cur ipse in noua causa, quam synodus nulla præcesserat, Ioannem quem, suis literis impetebat, qualemcunque secundæ sedis Episcopum, in primæ sedis beati Petri Apostoli iudicio confutate despexit, & vt causam diceret seu per se, seu per alium vel venire vel destinare contempsit, indignum habens cuiuslibet ciuitatis antistes ad primæ sedis venire iudicium, ad quod secundæ sedis cerneret venisse Pontificem, quòd Anatolius Constantinopolitanæ vrbis Episcopus missis legationibus pro sua persona fecisse mõstratur? &c. An sedem Apostolicam congruebat Paræciæ Heracliensis Ecclesiæ, idest Constantinopolitani Pontificis, vel quorumlibet aliorũ, qui cum eodem vel propter eum fuerant congregandi, iudicium præ- B
stolari? cum Apostolicam eiusdem primæ sedis audientiam Constantinopolitanus Episcopus declinaret, qui vtique etiam si Metropolitani essent iure suffultus, etiam si inter sedes haberet locum, primæ tamen sedis cognitionem fas non habuit refutandi, ad quam secundum canones, appellante secundæ sedis Antistite, vocabatur ad nostrorum causam. Hoc ipso satis ostendit, reum se esse confessum, qui ad legitimum iudicium postulatus adesse contempsit, &c. Hoc tenore etiam Timotheus Elurus, atque ipse Alexandrinus Petrus, qui secundam certè sedem quoquomodo tenuisse videbãtur non repetita synodo, sed auctoritate tantummodo sedis Apostolicę ipso quoque Acatio postulante vel exequẽte probatur esse damnatus, &c. Non reticemus autem quòd cuncta per C
Sedes Petri sola damnat Patriarchas non a damnato scilicet generali concil.
mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum, sedes beati Petri Apostoli ius habeat resoluendi, vt potè quæ de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellati voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus, &c. Sed nec illa præterimus quod Apostolica sedes frequenter vt dictum est more
A sede Apostolica nõ licet aliquẽ appellare.
maiorum etiam sine vlla synodo præcedente, & absoluendi quos synodus iniquè damnauerat & damnandi nulla existẽte synodo quos oportuit, habuerit facultatem: sanctæ memoriæ quippe Athanasium synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum sedes Apostolica quia damnationi Græcorum non consensit, absoluit. Sanctæ memoriæ ni- D
hilominus Ioannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum præsulum certè damnarat, quem simili modo sedes Apostolica etiam sola quia non consensit, absoluit, itemque sanctæ memorię Flauianum Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola sedes Apostolica non consensit, absoluit, potiusque qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundæ sedis præsulem sua auctoritate damnauit, & impiam synodum non consentiendo submouit, ac pro veritate, vt synodus Chalcedonensis fieret, sola decreuit: in qua Pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Ephesino veniam poscentibus sola

con-

A conceſſit, & in ſua perfidia permanentes, nihilominus ſua auctoritate proſtrauit, &c. quoniam ſicut id quod prima ſedes non probauerat, conſtare non potuit, ſic quod illa cenſuit iudicandum, Eccleſia non ſuſcepit, &c. Riſimus autem quòd prærogatiuam volunt Acatio comparari, quia Epiſcopus fuerat regiæ ciuitatis. Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanū, Sirmium apud Treuiros multis temporibus non conſtitit Imperator? numquid nam harum Vrbium ſacerdotes vltra menſuram ſibimet antiquitus deputatam quippiam ſuis dignitatibus vſurparunt? &c. Si certè de dignitate agitur ciuitatum, ſecundæ ſedis & tertiȩ maior eſt dignitas ſacerdotum, quàm eius ciuitatis, quæ non ſolùm inter ſedes minimè numeratur, ſed nec inter Metropolitanorum iura cen-

Inane fundamentum pro exaltan de Epiſcopo Conſtantinopolit.

B ſetur: nam quod dicitis regiȩ ciuitatis: alia poteſtas eſt regni ſæcularis, alia Eccleſiaſticarum diſtributio dignitatum. Sicut enim quamuis parua ciuitas prærogatiuam præſentis regni non minuit, ſic Imperialis præſentia menſuram diſpenſationis religioſæ non mutat, &c. Poſtremò ſi ſibi de Imperatoris præſentia blandiuntur, & inde putant Conſtantinopolitanæ ciuitatis Epiſcopi potiorem fieri poſſe perſonam, audiant Martianum eiuſdem Principem ciuitatis, poſteaquam pro augumento vrbis ipſius ſacerdotis interceſſor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit: ſanctæ memoriæ Papam Leonem ſummis laudibus proſecutum, quod canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpeſſus. Audiant Anatholium eiuſdem ſedis Antiſtitem clerum potius Conſtantinopoli-

C tanum quàm ſe tentaſſe talia confitentem, atq; in Apoſtolici Præſulis totum dicentem poſitum poteſtate. Ipſum beatum Papam Leonem ſedis Apoſtolicæ Præſulem, cuius ſynodus Chalcedonenſis auctoritate firmata eſt, quicquid vltra quàm ab eodem pro fide & communione Catholica atque Apoſtolica illic agendum, conſtaret eſſe delegatum, per occaſionem congregationis illius, præter Nicænos canones noua videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuaſſe. Eaque nihilominus etiam ſub ſanctæ memoriæ Papa Simplicio legato ſedis Apoſtolicæ ſanctæ memoriæ Probum Canuſinę vrbis Epiſcopū, Leone principe tunc petente, præſente docuiſſe nullatenus poſſe tentari, nequehis prorſus præbuiſſe conſenſum, atque ideo non ad ciuitatis cuiuslibet

D reſpiciant qualitatem, ſed modum diſpenſationis Eccleſiaſticæ paterna traditione firmatum conuenienter obſeruent. Dicatur autem de Alexandrino & Antiocheno Epiſcopis certis ex cauſis principem magis illa quæ geſta ſunt, non Acatium præcepiſſe, &c. Beatæ memoriæ Ambroſius Mediolanenſis ſacerdos Eccleſiæ, maiori Theodoſio Imperatori communionem publicè palamque ſuſpendit, atque ad pœnitentiam redegit Regiam poteſtatem. beatæ memoriæ Papa Leo, ſicut legitur, Imperatorem Theodoſium iuniorem, Epheſino latrocinio liberè coarguit excedentem, ſanctæ memoriæ quoque Papa Hilarus Anthemium Imperatorem, cum Philothæus Macedonianus eius familiaritate ſufful-

tus diuersarum conciliabula noua sectarum in vrbem vellet inducere, A
apud beatum Petrum Apostolum palam ne id fieret, clara voce constrinxit, intantum vt non ea facienda cum interpositione sacramenti idē promitteret Imperator. Sanctæ memoriæ nihilominus Papa Simplicius & post eum sanctæ memoriæ Papa Felix, non solum Basiliscum tyrannum, sed etiam Imperatorem Zenonem pro ijsdem ipsis excessibus, auctoritate libera sæpius increpasse noscuntur, flectiq; posuisset, nisi Constantinopolitani Pręsulis accenderetur instinctu, qui particeps externæ communionis effectus, necessariò inquod inciderat iam fouebat, malēs in suæ præuaricationis obstinatione persistere, quàm curandus ad salubria remeare, sicut ipse rerum probauit euentus. Ecce nuper Honorico Regi Vandalicæ Nationis vir magnus & egregius sacerdos Eugenius B
Chartaginensis Episcopus, multique cum eodem catholici sacerdotes constanter resisterent sæuienti, cunctaque extrema tolerantes, hodieq; persequutoribus resistere non omittunt. Nos quoque Odoacri barbaro hæretico regnum Italiæ tunc tenenti, cum aliqua non facienda præciperet, Deo præstante nullatenus paruisse manifestum est. Hinc autem vir bonus Acatius & sacerdos eximius intantum se & suggerere potuisse mõstrauit, & noluisse deprompsit, imò fauisse patefecit: vt & Imperator cuncta se ex eius gessisse consilio non taceret, & ipse Imperatorem magnis præconijs eleuaret ista facientem, seseque prodidit his agendis rebus fuisse participem, &c. His omnibus cum non restitit suggestione qua potuit, consensit Acatius, communicando cunctis, qui in catholicorum C
locum hæretici fuerant subrogati. Apostolus dicit, Rom. cap. 1. non solùm qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus reos indubitanter adscribi: an hæc licuit sæculari potestati & actis talibus, Acatio consentiente absque vlla synodo, quam ipsa rerum nouitas exigebat, absque sedis Apostolicæ consultatione perficere & sedi Apostolicę non licuit, secundum tenorem synodi Chalcedonensis, in veteri vtiq; causa & veteri constituto iuxta definitionem damnata, inimicis synodi Chalcedonensis, Acatiũ communicantem à sua communione depellere? &c. Hæc vero sufficiant, quatenus & fidelium quisque cognoscat nihil Apostolic. sedem, quod absit, pręproperè censuisse, & non habere quod iustè possit opponere, peruersa doceatur improbitas. Rectè autem faciet vestra di- D
lectio & ista quę scribimus, pariter catholicis & contraria sapientibus innotescat, quo & sanis necessaria firmitas, & malè sanis competens medicina præbeatur. Dat. Calend. Feb. Victore viro clarissimo Consule.

Acatius redarguitur.

Qui non resistit malũ quod potest consentit.

Notandum & animaduertendum est causam hanc scribendi epistolam, Euphemium Constantinopolitanum Episcopum schismaticum fuisse, qui defuncti Acacij causam iniquam & impiam falsis testibus ornans, conatus est Orientales Episcopos à coniunctione sedis Apostolicę auellere. Vt ergo Gelasius Papa sũmè periclitãti Orientali Ecclesiæ succurreret, hanc valde prolixã sed disertam epistolam qua Acacium sedis

Apo-

A Apostolicæ iudicio iurè damnatum esse ostendit, ad Dardaniæ Episcopos transmisit.

Epistola Iustini Imperatoris ad Hormisdam Papam, qua se Imperatorem electum esse significat, imitatus antiquum morem orthodoxorum Imperatorum, qui Papam vt Patrem semper venerati sunt.

Iustinus Augustus Hormisdæ Papæ.

DEi beneficia licèt multis maximè tamen summis Pontificibus cõuenit indicari; proinde sanctitati vestræ per has sacras declaramus epistolas, quòd primum quidem inseparabilis Trinitatis fauore, deinde amplissimorum procerum sacri nostri Palatij & sanctissimi senatus, necnon electione firmissimi exercitus ad Imperium, nos licèt nolentes ac B recusantes electos fuisse atque firmatos. Præcamur proinde, vt sanctis orationibus vestris diuinæ potentiæ supplicetis, quatenus initia nostri roborentur Imperij. hoc enim & nos sperare, & vos decet implere. Dat Kalend. Aug. Constantinopoli Magno V. C. Consule. *Extem. 2. Conc pag. 335.*

Deinde sequitur Epistola Hormisdæ Papæ ad Iustinum qua inquit, illo imperante se sperare vt Ecclesiæ pax restituatur. Postea habetur alia Iustini Imperatoris epistola ad Hormisdam Papam, qua petit ad petitionem concilij Constantinopolitani per Gratum comitem, vt Pontifex ad pacem Orientali Ecclesiæ reconciliandam, & ad lapsos recipiendos Legatos Constantinopolim mittere dignetur. *Hormisda eligitur Pōtifex anno D. 5 4.*

C APPELLATIO SEPTIMA.

Iustinus Augustus Hormisdæ Papæ.

IOannes vir beatissimus huius regiæ vrbis Antistes, & cæteri viri religiosi Episcopi de diuersis locis & ciuitatibus hic reperti, nostram serenitatem docuerunt pro concordia veram & Orthodoxam fidem colentium, proque vnitate venerabilium eius Ecclesiarum literas tuæ sanctitati offerendas confecisse, ac magnopere postularunt nostras etiam epistolares paginas super hoc ad eam emanare. Quorum petitiones, vt pote semper vnitatis amatores constituti, libenter amplexi, hos diuinos apices ad tuam beatitudinem censuimus prorogandos. Quibus scriptis desiderijs supradictorum Reuerendissimorum Antistitum subuenire, pro- D què nobis & Repub. cuius gubernatio nostrę pietati coelitus credita est, supernam maiestatem suis orationibus placare dignetur. Vt autem tuæ sanctitati pacis & vnitatis atque concordiæ iura plenius patefiant, quosdam religiosissimos sacerdotes pacem amplectentes & desiderantes ad sacratissimum nostrum peruenire disponant comitatum. ob hanc enim causam Gratum V.C. sacri nostri consistorij comitem & magistrum scrinij memoriæ direximus, &c.

Huic epistolæ Hormisda Romanus Pontifex respondit, commendans eius de concilianda pace solicitudinem, & cæptis monet insistendum, nomenque Acacij abolendum esse.

Digitized by Google

Epiſtola Ioannis Epiſcopi Conſtantinopolitani per Gratum Comitem miſſa. A

Domino meo & per omnia Dei amatori ſanctiſſimo fratri & comminiſtro Hormiſdæ, Ioannes in Domino ſalutem.

Ex tom. 2. Conc pag. 341.

SAluto veſtram ſanctitatē cariſſime in Chriſto frater,& ſalutans prędico,quoniā recta fides ſalua eſt,& caritas fraternitatis firmata eſt. Hoc Deus ſolus potens per ſtudiū Chriſtianorū& pijſſimorū Imperat.fieri voluit. Scribere igitur Apoſtolicæ & reſcripta ſuſcipere fraternè Dei amore dignemini. Ego enim inquiſibili ratione doctrinam ſanctorum Apoſtolorum ſecundum traditionem ſanctorum Patrum tenens, ſimiliter honorem conſubſtantiali,& per omnia ſanctæ Trinitati offero, ſicut in Nicæa trecentorum decem & octo cætus promulgauit, & in Conſtantinopoli 150. conuetus firmauit, & in Epheſina 200. firmauit,& in Chalcedone 630. firmauit. Hanc ergo fidem vſque ad vltimum anhelitum per gratias cuſtodiens ſpiritualibus amplectimur quam veſtram ſanctitatem quàm & orthodoxas Eccleſias animo amplector, vna tecum in veritate ſentiens, & vna tecum ſperans in illo die per hanc fidem ſaluari bona voluntate Patris & Filij & Spiritus ſancti. Conſubſtantiali enim Trinitati omnis gloria debetur nunc & in ſæcula ſæculorum. Omnem in Chriſto fraternitatem, quæ cum veſtra eſt ſanctitate ego & qui mecum, plurimùm in Domino ſalutamus: tantùm ad ſatiſfaciendum ſcripſimus, vt & venerabile nomen ſanctæ recordationis Leonis quondam vrbis Romæ Archiepiſcopi in ſacris diptycis prædicetur. vt de omnibus autem ſatisfiat veſtræ ſanctitati,quoniam pacem veſtram amplectimur,& de vnitate ſanctarum Dei Eccleſiarum curamus. rogamus vos pacificos viros deſtinare,& veſtrę dignos Apoſtolicę ſedis, qui debeant ſatisfacere, & ſatisfationem noſtram ſuſcipere,vt & in hac parte Chriſtus Deus noſter glorificetur,qui per vos pacem hanc mundo ſeruauit. Accepta 13. Kalend. Ianuar. P. C. Agapiti.

Epiſcopus Conſtantinop. mittit fidei profeſſionem ad Papā eique coniungitur.

B

C

Epiſtola Hormiſdæ Papæ ad Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum reſponſoria

Hormiſda, Ioanni Epiſcopo Conſtantinopolitano.

SPirituale gaudium directis caritas tua ſignificauit affatibus, dicendo vt catholicæ religionis diſciplina ordinem ſuum veſtris paſtoribus, Deo noſtro iuuante, receperint. Hæc eſſe beneficia miſericordiæ ſupernæ quis dubitet? &c. hæc venerabilis Principis tropheis adiungi quis ambigat? quia maior ei de hac pace, quàm dequibuslibet prælijs triumphus acquiritur. iſtius laboris gloria neſcit occaſum, quia vbi Deus rectè colitur, numquam aduerſariorum creſcit iniquitas. Dilectionis tuæ confeſſionem gratanter accepimus per quam ſanctæ ſynodi comprobantur, inter quas inſtauratione conſtitutorum omnium Chalcedonenſe concilium prædicaſtis, & catholicorum numero adiungi deſiderans ſancti Papæ Leonis in diptycis nomen aſſeueras ſcriptum. Iſta laudanda ſunt, ſi perfectionis ſubſequatur effectus: quia recipere Chalcedonenſe Concilium & ſequi ſancti Leonis epiſtolas: & adhuc nomen Acatij defendere, hoc eſt inter ſe diſcre- D

A pantia vindicare. Quis Dioſcorum & Eutychen condemnans, innocentem oſtendere poſſit Acacium? quis Timotheum, & Petrum Alexandrinum, & alium Petrum Antiochenum, & ſequaces eorum declinans, ſicut diximus, non abominetur Acacium, qui eorum communionem ſequutus eſt? &c. Poſt hæc quid reſtat, niſi vt ſedis Apoſtolicæ, cuius fidem te dicis amplecti, ſequaris etiam ſine trepidatione iudicia? Igitur partibus Orientalibus oſtende per te quod ſequantur exemplum, vt omnium laus, qui correcti fuerint, tuis laboribus applicetur. Ego cum magna denunties & fidem beati Apoſtoli Petri te amplecti ſignifices, rectè credens in ea ſalutem noſtram poſſe ſubſtinere, libellum cuius continentia ſubter annexa eſt à caritate tua ſubſcriptum ad nos dirige, vt ſine B conſcientiæ formidine vnam communionem, ſicut oramus habere poſſimus. Pro perſona quoque filij noſtri Grati viri clariſſimi Deo noſtro gratias ſine ceſſatione perſoluimus, cuius fides & recta credulitas noſtrum circa ſe excitauit affectum. Dignus reuera qui tantæ curam ſuſciperet actionis, & maximi Principis ad nos mandata perferret.

Papa petit ab eo libelli fidei explicitum.

An. Dom. 519.

Indiculus quem acceperunt Legati Apoſtolicæ Sedis ad Conſtantinop. Vrbem directi.

CVm Deo propitio partes Orientales fueritis ingreſſi, ſi qui Epiſcopi vobis occurrerint, & libellum cuius continentiam percepiſtis à ſe ſubſcriptum offerre voluerint, ſuſcipite; eiſque prebete ſanctę communionis conſortium. Si verò occurrentes ipſi eo quo ſuperius diximus ordine profiteri noluerint, à vobis equidem ſub ſacerdotali affectione tra-C ctentur. Sed neque vobis ſit cum his menſa communis, neque ab his vel victualia præſumatis accipere, niſi tantùm ſubuectionem, ſi cauſa popoſcerit & hoſpitalitatem, ne credant ſe omninò faſtidioſè deſpectos. Cum autem Conſtantinopolim, Deo adiuuante veneritis, in eam ſecedite, quam Imperator præbuerit manſionem: & nullum ad ſalutationē veſtram prius permittatis accedere, exceptis his quos ipſe miſerit Imperator, aut quos noſtræ communionis eſſe cognoſcitis, donec ipſum Principem videatis, cui præſentati ſalutantes, literas noſtras offerte, ſuggerentes magnum nos de eius Imperio gaudium percepiſſe, & nimium gratulari quòd eum Deus omnipotens, ad hoc iuxta eius ſacras literas, D vt ſecundum ea, quæ ſunt ab Apoſtolicæ ſedis conſtituta præſulibus, Deo auctore, & regno eius adniteute, Eccleſiarum & pax & vnitas his temporibus deſiderata proueniat. Qui ſi vos hortatus fuerit, vt Conſtantinopolitanum videatis Epiſcopum, intimate vos præfinita habere, quę etiam ab eis ſæpe ſint cognita, quæ ab vniuerſis Epiſcopis catholicam communionem amplectentibus profeſſio debeat celebrari. Hæc ſi Epiſcopus Conſtantinopolit. implere paratus eſt, ei gratanter occurrimus: ſi verò ſedis Apoſtolicæ adhortationem ſequi contemnit, quid neceſſe eſt, vt ad occaſionem contentionis ſalutatio noſtra proficiat, quibus non eſt diſputationis aut certaminis cauſa in mandatis? Si vero Imperator ſibi aperiri voluerit, quid ſit quod ab Epiſcopo fieri poſtuletis, formam libelli

Ex tom. 2 concil. pag. 337.

belli

belli quam portatis ostendite, quod si de anathemate Acatij consentiens, successores eius dixerit recitandos, ob hoc quòd propter defensionem Calcedonensis synodi aliqui eorum fuerint exilio deportati, insinuabitis nihil vos de libelli posse forma decerpere, inqua sequaces damnatorum pariter continentur. Sed si eos ab hac non poteritis intentione deflectere, saltem hoc accquiescite, vt anathematizato specialiter per libellum quem vobis dedimus, Acatio, de prædecessorum eius nominibus taceatur, abrasis eorum de diptychorum inscriptione vocabulis. Quo facto Episcopum Constantinopolitanum in vestram communionem accipite. Libellum verò vel Episcopi Constantinopolitani vel aliorum, quos vos suscipere Deo volente, contigerit, primò agite vt præsente populo recitetur. Quod si hoc fieri non poterit, saltem in secretario præsentibus clericis & Archimandritis relegatur. Hæc omnia si Deo fuerint volente completa, Imperatorem rogate, vt destinatis sacris, per Metropolitanos Episcopos, adiunctus ipsius Episcopi literis innotescat, Episcopum Constantinopolitanum suo quoq; consensu, celebrata professione, quam sedes Apostolica destinauit, in vnitatem communionis fuisse susceptum. Quibus literis etiam ipsos hortetur similia profiteri. quòd si in hac parte Imperator aliquid difficultatis attulerit, Episcopus Constantinopolitanus directis præceptionibus Episcopis suis paræcialibus, vel cæteris Metropolitanis, eis præsentibus, qui à vobis pariter directi fuerint, quid ipse fecerit innotescat: quod ab eo modis omnibus vos oportet exigere, vt facti huius testimonio peragrante, etiam vniuersos, vel qui longè sunt positi, latere non possit.

A B C

Exemplum libelli Ioannis Episcopi Constantinopolitani.

Domino meo per omnia sanctissimo & beatissimo fratri & comministro Hormisdæ, Ioannes Episcopus in Domino salutem.

Ex tom. 2. Conc. pag. 341.

Redditis mihi literis vestræ sanctitatis, in Christo frater carissime per Gratum clarissimnm comitem, & nunc per Germanum & Ioannem Reuerendissimos Episcopos, Felicem & Dioscorum sanctissimos diaconos & Blandum presbyterum, lætatus sum de spirituali caritate vestræ sanctitatis, quod vnitatem sanctissimarum Dei Ecclesiarum, secundum veterem Patrum requiris traditionem, & laceratores rationabilis gregis Christi animo repulsare festinas. Certus igitur scito per omnia sanctissime, quia secundum quod vobis scripsi, vna tecum cum veritate sentiens omnes à te repudiatos hæreticos, renuo & ego pacem diligens. Sanctissimas enim Dei Ecclesias, idest superioris vestræ, & nouellę istius Romæ vnam esse accipio, illam sedem Apostoli Petri, & istius augustæ ciuitatis vnam esse definio. Omnibus actis à sanctis istis quatuor synodis, idest Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, & Chalcedonensi, de confirmatione fidei & statu Ecclesiæ assentio, & nihil titubare de benè iudicatis patior, sed & conantes aut enixos vsque ad vnum apicem placiturum perturbare, lapsos esse à sancta Dei generali &

D

Apo-

A Apoſtolica Eccleſia ſcio, & tuis verbis rectè dictis euidenter vtens, per præſentia ſcripta hæc dico, quia prima ſalus eſt rectè fidei regulam cuſtodire, & à Patrum traditione nullatenus deuiare: quia non poteſt Domini noſtri Ieſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hæc quæ dicta ſunt rerum probantur effectibus: [quia in ſede Apoſtolica inuiolabilis ſemper catholica cuſtoditur religio.] De hac igitur fide non cadere cupientes, & Patrum ſequentes in omnibus conſtituta. Anathematizamus omnes hæreſes, præcipuè Neſtorium hæreticum, qui quondam Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopus damnatus in concilio Epheſino à beato Cæleſtino Papa vrbis Romæ, & à venerabili viro Cyrillo Epiſcopo Alexan-

Sedes Apoſtolica non poteſt errare in fide.

B drinæ ciuitatis, & vna cum illo anathematizamus Euthichem & Dioſcorum Alexandrinæ ciuitatis Epiſcopum, damnatos in ſancta ſynodo Chalcedonenſi, quam venerantes ſequimur & amplectimur, quæ ſequens ſanctam ſynodum Nicænam, Apoſtolicam fidem prædicauit, his coniungentes Thimothæum parricidam, Ellurum cognominatum, anathematizamus & huius diſcipulum & ſequacem in omnibus Petrum Alexandrinum ſimiliter condemnantes. Anathematizamus ſimiliter Acacium quondam Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopum complicem eorum & ſequacem factum, nec non & perſeuerantes eorum communioni & participationi: [quorum enim quis communionem amplectitur, eorum & ſimilem adiudicationem in condemnatione conſequitur:

C Simili modo & Petrum Antiochenum condemnantes, anathematizamus cum ſequacibus ſuis in omnibus ſuis. Vnde probamus & amplectimur epiſtolas omnes beati Leonis Papæ Vrbis Romæ, quas conſcripſit de recta fide. Quapropter ſicut prædiximus, ſequentes in omnibus ſedē Apoſtolicam, & prædicamus omnia quæ ab ipſa decreta ſunt, & propterea ſpero in vna communione vobiſcum quam Apoſtolica ſedes prædicat, me futurum, in qua eſt integra Chriſtianæ religionis & perfecta ſoliditas, promittentes in ſequenti tempore ſequeſtratos à communione Eccleſiæ catholicæ: ideſt in omnibus non conſentientes ſedi Apoſtolicæ eorum nomina inter ſacra non recitanda eſſe myſteria. Quod ſi in aliquo à profeſſione mea dubitare tentauero, his quos condemnaui, &

Promittitur obedientia Apoſtolicæ Sedi.

D per condemnationem propriam conſortem me eſſe profiteor. Huic profeſſioni verò ſubſcripſi mea manu, & direxi per ſcripta tibi Hormiſdæ ſancto & beatiſſimo fratri & Papæ magnæ Romæ, per ſupraſcriptos Germanum & Ioannem venerabiles Epiſcopos, & Felicem & Dioſcorū Diaconos & Blandum presbyterum. [Et alia manu.] Ioannes miſericordia Dei Epiſcopus Conſtantinopolitanæ nouellæ Romæ, hac mea profeſſione conſentientes, omnibus ſupradictis ſubſcripſi ſanus in Dōmino. Data menſe Martio die 27. Indictione 12. conſenſu Domini Iuſtini Imperatoris Auguſti, Eutharico viro Clariſſimo Conſule.

Suggestio Germani & Ioannis Episcoporum, Felicis & Dioscori diaconorum, & Blandi Presbyteri ad Hormisdam Papam. A

Ex tom. 2. concil. pag. 342.

NOn miramur Apostolatus vestri præcibus cuncta nobis prospera successisse, scientes quod amplius nostro ministerio, vestra pro nobis elaborat oratio. Ita enim totus se Ecclesiastici negotij tulit euentus, vt dubitari non possit beati Petri per singula prouenisse miraculum: primùm quod tantum in ipsis qui dignitate funguntur inuenimus religionis ardorem, vt Vitalianus, Pompeius, & Iustinianus nobis occurrerent in decem millibus, & de aduentu nostro cum vestra gratiarum actione gloriari non arbitrarentur indignum. Deinde quòd tanta fuit & iam in plebe deuotio, vt pars maxima populorum; cum cereis simul & laudibus vestris nostrum præstolaretur aduentum. Sub hac itaque celebritate secunda feria hebdomadæ maioris Constantinopolim sospites hilaresque conuenimus: posteroque die pijssimo Principi pręsentati tãto eius reuelati sumus affectu, vt si in alia minimè præcederent, sola nobis ad solatiũ pijssimi Principis gratia suffecisset, sed orationibus vestris maiora sequuta sunt. Nam eo die sub senatus cuncti præsentia Episcopi quoque quatuor adfuerunt, quos Ioannes Constantinopolitanus Antistes pro partis suæ defensione transmiserat, quibus Apostolicæ sedis libellum ostendimus, omniaque in eo recta canonicaque esse probauimus. Postremò quinta feria, hoc est in Cœna Domini, ad palatium in generali conuentu venit Episcopus, & perlecto libello consentiens, cum summa deuotione subscripsit: Quis explicet quanta illic principis pariter ac senatus lætitia fuerit, quas ibi lachrymas gaudia pepererint, quas voces vel in laudẽ principis, vel in sedis vestrę totius cætus & cleri fauor emisit? Explicari hæc relatione non possunt, sed considerationi vestræ portitorique relinquimus quod eloqui non valemus. à palatio in Ecclesiam summa cum celebritate peruenimus, vt fidei animorumque concordiam, communionis solemnis quoque celebritas roboraret. Vix credi potest quis fletus lætantium, quæ immensitas fuerit, exundatioque populorum: ipsa suam lætitiam turba mirabatur, nec dubitari poterat manum affuisse cælestem, quæ talem mundo contulit vnitatem: Acacij præuaricatoris anathematizati nomen de diptychis Ecclesiasticis, sed & cæterorum Episcoporum, qui eum in communione sequuti sunt, sub nostro conspectu significamus erasos. Anastasij quoque & Zenonis nomina similiter ab Altaris recitatione submota, pax est orationibus vestris Christianorum mentibus reddita: vna totius & Ecclesiæ anima, vna lætitia, solus luget humani generis inimicus, vestræ pręcis expugnatione collisus. Orate vt Antiochenam quoque similis felicitas illustret Ecclesiam, de cuius Antistite adhuc tractatus nutare conspicitur: quoniam inter diuersa vota populorum de Personæ electione non costat. Credimus tamen quod præcibus beatitudinis vestræ de ipsa quoque velociter ordinatio digna proueniat, vt cæpta pax temporibus vestris per omnem

mun-

Digitized by Google

A mundum pariter dirigatur, & cunctis in Apostolicam partibus communionem, fidemque conuenientibus perfectè sicut pridem fuerat, omnibus membris capiti suo connectatur Ecclesia.

Suggestio Dioscori diaconi ad Hormisdam Papam.

ERat optabile & voto nostro conueniens consonantia præteritis annunciare, scilicet Pontificem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Ioannem esse superstitem, & confessionem libello editam, cuius merita non est dubium Deo placere, qui inter catholicos & communicatores sedis Apostolicæ meruit ad aliam ex hac vita discedere. In cuius locum Epiphanius quidam presbyter quondam Syncellus eius successit, cuius initia bona videntur: nam rationabilia loquitur: & promittit se regulas patrum seruaturum: pacem vnitatemq; ordinatam non dissipare, sed magis augere. Ista sunt quæ promittit. Quid tamen opere possit implere adhuc ignoramus. has siquidem literas quarta post ordinationem eiusdem die reperta occasione transmisimus: necdum cum eo communicauimus, non quasi resistentes, sed quia adhuc ab eo non sumus inuitati. Superest vt beatitudinis vestræ insistat oratio, quatenus diuinæ gratiæ adiutorio talis erumpat, per quem de perfecta possimus vnitate gaudere. Accepta 7. idus Aprilis. Rustico viro clarissimo Consule.

Obitus Episcopus Constantinop.

Electio sue cessoris.

B

APPELLATIO OCTAVA.

Anno D. 530.

Relatio synodi Constantinopolitanæ de Ordinatione Epiphanij Episcopi.
Domino nostro sancto ac beatissimo Patri patrum Archiepiscopo & Patriarchę Hormisdę; Theophilus, Basiliscus, Esaias, Anastasius, Paternus, Martianus, & cætera sancta synodus quæ in Constantinopolitana est congregata ciuitate.

C

INnumerabilem & inuestigatam magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi sapientiam, quantum hominibus datur intelligi, considerantes caritatem eius immensam iustè miramur & cũ magna voce clamamus. Quis loquatur potentias Domini, &c. Nam post obitum sanctæ recordationis quondam Archiepiscopi & Patriarchæ Ioannis Constantinopolitanæ ciuitatis, Deus qui propriam sanctam Ecclesiam, in petra rectæ fidei incorrupta fundauit, & portas inferi præualere ei decreuit, dedit nobis sanctum Pastorem & Patriarcham Epiphanium, virtutibus & correptionibus, & meditatione diuinarum florentem scripturarum, rectam quoque tenentem fidem, & orbatorum paternam regentem solicitudinem, & quid amplius dicam? omnem præconiorum fontem transcendentem. his ergo virtutibus pollens, non immeritò proprias & creditas sibimet maximas Ecclesiæ curas sapienter & honorificè gessisse dignoscitur, &c. Igitur Ecclesiasticam legem impletẽs, apostolatui vestro salutationis debitæ persoluentes officium, speramus vt amplius caritatis vinculum, & paternũ affectum circa nos caritas vestra custodire dignetur, & sapienti gubernatione & humilitate quæ Christianum decet & mansuetudine, quæ ad rationabilis traditi vobis ouilis pertinet, salutem peragatis commune lucrum existimantes quod per vos & vestrum Germanum & comministratorem, nostrum autem Dominum, & Pa-

D

triarcham, pacem totius orbis Ecclesiarum esse prouisam. &c. A

Cernitur hic apertè, Amice Lector debita filialis subiectio synodi Constantinop. erga Papam quam nunc temporis negant, quia nolunt esse filij sancti Petri, sicut olim fuerunt: prætextus quos accipiunt, excusationes superbæ inobedientiæ sunt. cum æqualitatem expetant, & filiationem antiquam respuant,

Relatio Epiphanij Episcopi Constantinopolitani de sua electione: fidem catholicam profitetur, & de omnibus cum Ecclesia Romana sentit.

Sanctissimo ac beatissimo Domino fratri & comministratori, Hormisdæ, Epiphanius Episcopus in Domino salutem.

Ex tom 2. concil pag. 362.

DEus qui in alto habitat, & humilia respicit, & omnia pro salute hominum affluenter prouidet pro sua bonitate & misericordia, meam respexit paruitatem, & post obitum sanctæ memoriæ quondam B Archiepiscopi & Patriarchæ Ioannis, sedem sacerdotalem sanctę Ecclesiæ catholicæ regiæ vrbis mihi conferre dignatus est, sententia, & electione Christianissimi & iustissimi Principis nostri Iustini, & pijssimæ Reginæ, quæ ei ad omne studium communicat diuinam sequentiumq; eorum his quibus est bona conuersatio, & qui regijs honoribus sunt sublimiores, simul & sacerdotum & monachorum, & fidelissimæ plebis consensus accessit. Quapropter necessarium duxi, hoc primum iudiciũ meis inserere literis, vt ostendam quam circa vestram Apostolicam sedem, habeo voluntatem. Est mihi oratio magnoperè, beatissime, vniri me vobis, & diuina amplecti dogmata, quæ ex beatis & sanctis discipulis & Apostolis Dei, præcipuè summi Petri Apostolorum sedi sanctæ ve- C stræ sunt tradita, & nihil eis pretiosius existimare, &c. Diuinum enim reuera sanctũ & à Deo datum Symbolum trecentorum decem & octo sãctorum patrum in Nicęa congregatorum adoro & prædico, & Christiani splendoris manifestum indicium esse annuncio. Et quinquaginta & centum sanctorum Sacerdotum in hac vrbe regia factam venerabilem synodum, similiter & ducentorum Dei amatorum patrum conuentum in Ephesina factũ. sexcentorũ triginta & sex reuerendiss. patrũ & sacerdotum synodum factam Chalcedone vnam esse, & conuenientem & compaginatam prædictis factis Concilijs, ipse ego didici, aliosque docere cognoui, &c. Eos enim qui fuerũt, vel sunt eiusdem sententię, & suscipio & amplector, & vniri me eis diligo. Econtra autem eos, qui præ- D ter istas quid sentiunt, aut prædicant, vel præterito tempore aliquid conati sunt, à cætu orthodoxorũ extorres esse existimo. Similiter rectas & reuera religiosissimas epistolas venerabilis Papæ Leonis pro recta fide conscriptas circumamplector & suscipio. Habeat igitur hanc sententiã circa vestræ beatitudinis sancta fraternitas: vobis enim manifestam feci, & sub me Ecclesijs hæc prædico, festinans per omnia eas, mihique & vestræ beatitudini vinculo caritatis adunari, quas omnino oportet esse vnitas, & inuiolabiles, & corpus vnum communis Apostolicæ Ecclesiæ eundemque perpetuo custodire. Quantus enim circa vestram

Episcopi Cõstant. initio sui Episcopatus legat. Rom. mittebant cum professione catholicæ fidei.

vene-

A venerabilem fraternitatem in omnibus sit amor, iubete perpendere: quia quos vestra Apostolica sedes condemnans in sacris diptycis recitare non iussit eos, nec ego inter sacra facio nominari mysteria, &c.

Anno Domini 535. Agapetus Romanus eligitur Pontifex; cui Iustinianus Imperator, vt eius electionem cognouit, more antecessorũ suorum fidei catholicæ professionem transmisit. Huius temporibus, callido occultoque consilio impijssimæ fœminæ Theodoræ Augustæ Iustiniani coniugis, Anthimus Episcopus Trapezuntinus, Eutychianæ hæreseos occultus sectator, monstrum horrendum, post obitũ Epiphanij Orthodoxi præsulis, in sedem Constantinopolitanam intruditur: Alexandriæ verò defuncto Timotheo, fauore eiusdem fœminæ Theodosius subrogatur. Idem Agapetus Romanus Pontifex missus est à Theodato Rege Gothorum ad Iustinianum Augustum, cuius voluntati satisfacere voluit Pontifex, ne Italiæ videret excidium, quod Rex Gothorum barbarus cõminabatur, nisi Pontifex Imperatorem placatum redderet, qui contra illum iratus erat valde propter necem Amalesunthæ Reginæ quę Augusto fuerat commendata, quam Theodatus Rex ingratissimus occiderat: quamobrem ne Imperator contra eum bellum gereret, totius Italiæ regnum restituere pollicitus est. hac ergo causa Agapetus Papa Constantinopolim petijt, vbi honorifice susceptus est ab Imperatore; Antimum autem Constantinop. Episcopum spreuit, eumque ad salutandum suscipere noluit, imò cum eum cognouisset hæreticum, ipsum deposuit, & Episcopatu spoliauit, & Augusto consentiente Mennam virum catholicum elegit ac ordinauit. at Pontifex quibusdam elapsis mensibus ibidẽ ex hac migrauit vita.

Ex tom. 2 concil. pag. 416.

B

C

Legati autem sedis Apostolicæ, quos Pontifex anno 535. ad res componendas Constantinopolim præmiserat, quosque decedens ibidem nulla potestate imminutos reliquerat, summo studio post obitum Agapeti Papæ curarunt, vt quæ ab eodem Agapeto adhuc viuente constituta fuissent, nullo hæreticorum insultu labefactarentur, sed potius integra & in omnibus illibata seruarentur: induxerunt ergo Mennam Constantinopolitanum aliosque Orientales Episcopos, vt idem procurarẽt: antequam depositi nuper hæretici, potentia Imperatricis freti, rursus insurgerent; pari igitur consensu decreuerunt ex vicinioribus, ijsque qui Constantinopoli morabantur Episcopis ex Italia, synodum colligere, vt hæretici auctoritate Pontificis Agapeti compressi, legatorum etiã sedis Apostolicæ, & Mennæ qui Præfectura sedis Apostolicæ fungebatur, aliorumq; Orthodoxorum Præsulum sententia condemnarentur. Huic synodo quinquaginta Episcopi interfuerunt, eidemque præsederunt legati sedis Apostolicæ Theophanes & Pelagius vna cum Menna Constantinopolitano Episcopo & sedis Apostolicæ vicario.

Ex tom. 2. Conc pag. 470.

D

In hac tamen synodo cum, optime Lector, aliquando legeris Constantinopolitanum Episcopum dictum fuisse Patriarcham Oecumeni-

Epis. const fact. est le gatus P.

cum seu vniuersalem, scito huiusmodi titulum fuisse deinceps à Græcis additum. Nam cum acta huius concilij vera sint & legitima, atq; à Romana Ecclesia magna ex parte recepta: haud dubie contra Pelagium & Gregorium Romanos Pontifices, vsurpatum Oecumenici Patriarchæ titulum damnantes, auctoritate eiusdē concilij Constantinopolitani Antistites se constanter defendissent, si hoc titulo citra contradictionem catholicorum Episcoporum in legitimo eorundē conuentu cōdecorati fuissent. Quare cum Pelagius epist. prima ad vniuersos Episcopos: & sanctus Gregorius lib. 4. epist. 38. allegatum titulum damnauerint, nemo tamen huius concilij auctoritatem ipsis obiecit. ergo indubitatum esse debet, præfatum titulum postea à Græcis superadditum fuisse. A

B

Concilium Constantinopolit. post obitum Agapeti Papæ tempore Interregni Pontificij sub Menna anno Domini 536. post Consulatum Belisarij, contra Anthimum, Seuerum, aliosque Acephalorum Principes celebratum.

Ex tom. 2. concil pag. 422.

HVius synodi, Amice Lector, quædam notabimus & hic exarabimus, quæ sedis Apostolicæ supremam potestatem & Ecclesiæ Cōstantinopolitanæ subiectionem ad illam significant & testantur, iuxta huius Operis scopum. cum hoc demonstrare intendamus, nempe Ecclesiam Constantinopolitanam Romanæ cathedræ subditam esse, sicut ouis subiecta est Pastori suo, vt ex iteratis Appellationibus, quas hic recensemus, luculenter constat.

Igitur Actione prima habemus libellum Monachorum Imperatori post obitum Agapeti oblatum, in quo sic legitur. *Misit itaque Deus huic ciuitati Agapetum, qui verè est dilectus à Deo & hominibus, Pontificem antiquæ Romæ, in depositione Anthimi & prædictorum hæreticorum, tanquam olim Petrum magnum Apostolum Romanis in depositione Simonis Cretiani. Iste ergo honorabilis vir, sciens per libellos plurimorum nostrorum ea quæ iniquè contra Ecclesias præsumpta fuere, ea ipso visu semel accipiendo, neque ad visum suscipere voluit Anthimum, furentem aduersus canones, sed nunc iustè eiecit de Sacerdotali sede ciuitatis suæ: & coopitulante & coadunato catholicæ fidei & diuinis canonibus vestro Imperio, præfecit ipsi Ecclesiæ sanctissimum Mennam, rectæ fidei & vitæ pudicæ & honestæ conuersationis. &c. Sic fecit sanctus Cælestinus contra impium Nestorium, qui seipsum tali condemnationi subyciendo, partem cum hæreticis accepit, &c. Nam sancto viro Agapeto in præsenti vita existente, post Deum ad vestram pietatem respiciente; hæc finem à vobis accipere expectauimus. Implendo itaque quæ ab illo iustè ac canonicè iudicata fuere, & per vestram generalem sanctionem ipsa confirmando, &c.* C

Deinde leguntur multi libelli Orientalium Episcoporū qui Agapeto Papæ supplices preces exhibuerant contra Antimum Constantinop. Episcopum *vt illum à sede deponeret & corrigeret*. quorum hæc est inscriptio: *Domino nostro per omnia sanctissimo & beatissimo Patri patrum Archiepiscopo Romanorum & Oecumenico Patriarchæ Agapeto, &c.* D

(Notet Lector cuius æstimationis erat olim Papa apud Græcos.) Actione quarta sententia huius synodi contra Anthimum legitur, in qua sic dicitur. *Anthimus ad Imperatoris serenitatem deceptibilibus rationibus vsus promisit se omnia facere quæcunque summus Pontifex magnæ sedis Apostolicæ decerneret, & ad sanctissimos Patriarchas scripsit, se sequi per omnia Apostolicam sedem. At magno Deo & Saluatore nostro Iesu Christo non permittente talia vsque in finem procedere missus est huic regiæ Vrbi secundùm ipsius Deitatem, Agapetus sanctæ & beatæ memoriæ Papa beatissimus, qui statim sacris canonibus manum cum Deo porrexit, & ipsum de sede sibi non conueniente depulit, data venia his, qui talis rei participes aut communicatores sunt, & regiæ ac à Deo custoditæ ciuitati sacrum ornatum suum reddidit, cum ostendit vestram beatitudinem huic sanctæ magnæ sedi præesse, &c. Et multis quidem sudoribus ipse beatissimus Papa animam ipsius paternaliter reuocare studuit, sic tamen insanabiliter habere inuenit, & pia dogmata recusantem, insuper etiam & criminantem vocem illam de duabus naturis, quòd aduersus*

Euty-

A *Eutychen maximè sancta Chalcedonensis synodus diffiniuit, prorsus negando, & rectè condemnatos à sancta synodo recusantem euitare, &c. decernensque ipsum non habere nomen catholici neq; Sacerdotis, &c. Nos itaque venerabiles canones sanctorum patrum nostrorum sequentes, sacris aduocationibus ipsum aduocauimus, & tempus pœnitentiæ ei dedimus, & latenti ac medelam recusanti, proclamatione manifesta fecimus quæ à nobis facta sunt, &c. Sequentesque ea quæ à beatissimo Papa benè examinata sunt, conspicimus, si hic vobis adstaret, omnino ipsum tanquam membrum inutile & putidrum abijci de corpore sanctarum Dei Ecclesiarum, & extra Episcopatum Trapezuntinum esse, & alienum ab omni sacra dignitate & efficacia, & iuxta ipsius sanctissimi Papæ sententiam, à Catholica appellatione.* & Episcopus Constantinop. Mennas deinde in sua sententia contra Anthimum dixit. *Nos enim, sicut vestra caritas, Apostolicam sedem sequimur & obedimus: & ipsius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.* anno Domini 556.

Episcopus Constant. debet obed. Rom. Pont.

APPELLATIO NONA.

Epistola Pelagij Papæ ad vniuersos Episcopos qua Ioannem Episcopum Constantinopolitanum de nomine Oecumenico redarguit.

B *Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis, qui illicita vocatione Ioannis Constantinopolitani Episcopi ad synodum Constantinopolim conueniunt, Pelagius.*

Pelag. PP anno Dom 557.

MAnifesto, sicut optauimus, per gratiam Dei lumine Euangelicæ veritatis, &c. Relatum est ergo ad Apostolicam sedem, Ioannē Constantinopolitanum Episcopum, vniuersalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad synodum conuocare generalem, cum generalium synodorum conuocandi auctoritas Apostolicę sedi beati Petri singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquam synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quidquid in prædicto vestro conuenticulo (quia synodus taliter præsumpta esse non potuit) statuistis, ex auctoritate sancti Petri Apostolorum principis, & Domini Saluatoris voce, qua beato Petro potestatem ligandi atque soluendi ipse Saluator dedit, quæ etiam potestas in successoribus eius indubitāter transiuit, præcipio omnia quæ ibi statuistis & vana & cassata esse, &c. multis denuo Apostolicis & canonicis atq; Ecclesiasticis instruimur regulis non debere absque sententia Romani Pontificis concilia celebrari: quapropter vestrum non Concilium sed conuenticulum vel conciliabulum cassatur, & quicquid in eo actum est irritum habetur & vacuum. Vos quoque deinceps vt nullius hortatu talia præsumatis, si Apostolicæ sedis communione carere non vultis. Modo verò ideo suspenditur vltio, vt locum possit habere correptio. Prædecessores verò Ioannis & ipse Ioannes non semel sed sæpissimè epistolas atque libellos propria manu subscriptos, sanctis antecessoribus nostris miserunt, quibus coram Deo protestati sunt nihil vnquam proteruè contra Apostolicam sedem agere, nec de illius aut aliorum priuilegijs quicquam vsurpare. Qui hactenus in archiuio sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub sigillis ac chirographis eorum roborati habentur integri, &c. Sciat se tamen & ipse Ioannes nisi errorem suum cito correxerit, à nobis excommunicandum fore. & Apostolicæ sedis atque omnium Sanctorum Episcoporum communione carere, &c. Nullus enim Patriarcharū hoc tam profano vocabulo vnquam vtatur: quia si summus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur, &c. Orate fratres, vt honor Ecclesia-

Ex tom 2. concil pag. 692.

Pap cassat concil const

C

Græci cum Imp assensum obtin. illi à Petri cathed. obedientia recedebant

D

Papa minatur ex. communic. Epis constantinopolitan.

sti-

ſticus noſtris diebus non euacuetur: nec vnquam Romana ſedes, quæ inſtituente Domino caput eſt omnium Eccleſiarum, priuilegijs ſuis vſquam careat aut expolietur, &c. A

APPELLATIO DECIMA.

Epiſtola S. Gregorij Papæ ad Anaſtaſium de Iſauria appellantem.

Gregorius, Anaſtaſio præsbytero de Iſauria.

Ex tom. 2. concil. 817.

SIcut de eis, quos ab vnitate Eccleſiæ hæreticæ prauitatis error abſcidit, affligimur & dolemus: ita hos quos intra ſinum ſuum catholicę fidei profeſſio continet, congaudemus, &c. atque ideo dum de te Anaſtaſio præsbytero monaſterij ſancti Milæ cui eſt vocabulum Tannaco, quod in Licoanica eſt prouincia conſtitutum, contraria integræ fidei fuiſſet orta ſuſpicio, vt profeſſionis tuæ potuiſſet integritas apparere, ad B Apoſtolicam ſedem cui præſidemus, elegiſti recurrere, aſſerens te etiam corporaliter verberatum aliqua iniuſtè ac violenter feciſſe. Et quamquã ea quæ vi impulſionis fiunt, canonum minimè cenſura recipiat, & iurè habeantur infirma: quia ipſe ea diſſoluit qui iniuſtum fateri fieriq; compellit: ſed magis illa ſuſcipienda eſt & amplectenda confeſſio, quæ ex ſpontanea voluntate monſtratur procedere, ſicut apud nos feciſſe dignoſceris: ne quid tamen nobis ambiguum potuiſſet exiſtere, ſanctiſſimo Ioanni quondam fratri, & coepiſcopo noſtro Conſtantinopolitanę ciuitatis Antiſtiti de te præuidimus ſcribendum, vt ſuis nos quid actum eſſet epiſtolis informaret. Qui ſæpe à nobis admonitus, reſcribens innotuit, codicem apud te fuiſſe inuentum, in quo plurima continebantur C hæretica: & ob hoc ſe aduerſus dilectionem tuam fuiſſe commotum. Quem quia ad nos ſtuduit pro ſatisfactione tranſmittere, priores eius partes ſolicita lectione percurrimus. Et quoniam manifeſta in eo hæreticæ prauitatis venena reperimus. ne denuò debuiſſet legi vetuimus. Sed quia hunc te ſimpliciter teſtatus es legiſſe, & ad amputandam ambiguę ſuſpicionis materiam, libellum nobis manu tua porrexiſti per ſcriptum, inquo fidem tuam exponẽs omnes generaliter hæreſes, vel quicquid aduersùs catholicæ fidei vel profeſſionis integritatem eſt, apertiſſimè condemnaſti: & cuncta quæ quatuor vniuerſales ſynodi recipiunt, te ſemper recepiſſe ac recipere, & quæ condemnant condemnaſſe, condemnareque profeſſus es: eam quoque ſynodum quæ Iuſtiniani Imperatoris temporibus, de tribus capitulis facta eſt & ſuſcipere & cuſtodire promiſiſti, & prohibitus codicem ipſum legere, in quo peſtiferæ fraudis virus innexum eſt, libentiſſime conſenſiſti, reprobans etiam atque condemnans ea omnia, quæ contra catholicæ fidei integritatem in eo dicta vel latenter inſerta ſunt, nec eum te legere denuò promiſiſti. Hac ratione permoti poſtquam etiam exprobata à te libelli pagina, fides tua nobis catholica Deo cuſtodiente præclaruit, ab omni te hæreticæ peruerſitatis macula iuxta profeſſionem tuam liberum eſſe decernimus atque catholicum, & ſinceræ fidei in omnibus profeſſorem atque ſequacem. D

Cauſa hæreticorũ à ſede Apoſtol. iudicantur

Præsbyter Conſtantinop. diœceſis appell. ad PP. & ab illo abſoluitur.

Chri-

A Christi Iesu Saluatoris gratia claruisse pronunciamus; liberam quoque tribuimus licentiam ad tuum monasterium in tuo te loco vel ordine nihilominus remeare. De hoc quoque & dilecto fratri nostro Constantinopolitanæ ciuitatis antistiti, qui in supradicti sancti Ioannis loco ordinatus est, nostra volumus scripta transmittere. Sed quia consuetudo nõ est, vt priùs quàm ad nos eius synodica deferatur, debeamus scribere, id circò distulimus. Sed postquam ea nobis delata fuerit, ei hæc dum opportunum fuerit, indicabimus.

Papa non scribit ad Patriarch. nisi prius ab illis synodicã susceperit.

Epistola S. Gregorij Papæ ad Cyriacum Episcopum Constantinopolitanum.

Gregorius, Cyriaco Episcopo Constantinopolitano.

B COmmunes filios Georgium presbyterum & Theodorum diaconũ vestrum, ea qua decuit caritate suscepimus, vosque ab Ecclesiasticarum rerum cura venisse gaudemus: quia iuxta veritatis vocem qui in modico fidelis est, & in maiori fidelis erit, &c. Et pastori sanctæ Ecclesiæ dicitur, Simon Ioannis amas me? Pasce oues meas. ex quibus verbis colligitur, quia is qui valet, omnipotentis Dei oues renuit pascere, ostẽdit se Pastorem summum minimè amare, &c. Nam mittenti se Domino Ieremias respondit dicens, A, a, a, Domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum. Et cum omnipotens Deus personam ad prædicandum quæreret, dicens; Quem mittam & quis ibit ex nobis? vltrò se Esaias obtulit dicens, Ecce ego mitte me. En ab vtrisque exterius diuersa vox prodijt, sed non à diuerso fonte dilectionis emanauit, &c. Per actiuam igi-
C tur vitam prodesse proximis cupiens Esaias, officium prædicationis appetijt: per contemplatiuam vero Ieremias amori conditoris sui sedulò inhærere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit. quod ergo laudabiliter vnus appetijt, hoc laudabiliter alter expauit, &c. Præterea epistolas vestras directas plenas fide suscepimus, atq; omnipotenti Deo gratias agimus qui inconsutilem tunicam desuper contextam, videlicet Ecclesiam suam vicaria confessione fidelium in vnitate gratiæ ab omni erroris scisione custodit, &c. In hoc sacerdotes vos esse recognoscimus, si repulsa vanitate verborum, sanctitatis locum cum sancta vnitate teneatis. Ecce enim in nefandi appellatione nominis scandaliza-
D ti sumus, & non minimas quærelas seruamus in mente, & promimus in voce, &c. Præterea cùm recta à vobis fides veraciter & subtiliter sit prolata, inter eos quos per sanctissimas generales synodos damnandos esse censuistis, Eudoxium quendam vos damnasse reperimus, cuius nomen in latina lingua neque in synodis, neque in libris beatæ memoriæ Episcoporum Epiphanij, Augustini, & Philastri, quos contra hæreticos præcipuè disputasse nouimus, positum reperimus. Quod si quis eum veraciter de cathol. patribus dãnat, eius proculdubio sententiã sequimur, &c.

Ex tom. 2. Conc. pag. 818.

Episc. const. misit fidei libellũ ad Papam.

Reprehenditnomen vniuersalis Patriarchæ.

APPELLATIO VNDECIMA.

ANno Domini 858. Nicolaus primus Romanus Pontifex eligitur. cuius Pontificis tempore Ignatius Constantinopolitanus Patriar-

cha

A custodia vinculisq; cum ijs qui mecum fuere senseruntque eadem passis, detentus ante iudicium vestrorum aduentum. Cum autem ad vos literas, quibus Episcopos statum rerum omnium docebamus, per Laurentium presbyterum & duos Stephanos dedissemus (quorum alter subdiaconus, alter laicus erat) illos etiam sacramento adegimus, vti eas ipsi manu sua tuæ sanctitati porrigerent, nihil egere.

(Ex hoc Ignatij casu cognoscat Lector quàm necessariò supremus Ecclesiæ Pastor temporale dominium Vrbis & adiacentium locorum debeat possidere, ad Ecclesiasticæ potestatis liberum exequendum munus, vt Deus de facto disposuit.)

Nos verò vt iussi sumus ad tribunal Caiphano non absimile, compa-
B rere; ad sanctitatis vestræ iudicium magno clamore prouocauimus. Sed non erat qui nos audiret. alio deinde tempore rursum citati rogauimus: Quomodo nos ò patres iubetis comparere, an vt monachos & damnatos, an vt damnandos? qui renunciarunt: proinde vt digni vobis videmini. Sacro igitur ornatu induti ad Concilium, imò latrociniū dicas, processimus, cumque iam propè abessemus, submisit tyrannus in publicam viam, vt sacras vestes poneremus. Cumque iam ad Templum protrusi essemus, tres iudicum viatores, & duo sæui illi Stephani ad nos mittuntur, qui ad me: Quid tu inquiunt, tot ob crimina damnatus axauthoratusque sacram tamen stolam ausus es induere? Ergo me per vim à meis auulsum solum ad Imperatorem sistunt, qui me contumelijs extemplò
C onerat. Respondente porrò me, conuitia paulò mitiora esse tormentis, paululum repressit furorem iussoque in ligneo scamno me sedere, collato interim consilio, rogaui vt Rhodoaldum & Zachariam Legatos tuos liceret mihi salutare, factaque potestate eos consalutaui, atq; interrogaui quid adessent? Legati, inquiunt, sumus Nicolai Papæ Romani, causæ tuæ cognoscendæ gratia missi. Quærenti rursum an à sanctitate tua literas haberent: responderunt nullas se habere, eoquod, inquiebant, non ad Patriarcham, sed iam in Prouinciali Concilio suo damnatum veniremus, parati omnia ex canonum decretis definire. *Hos leg. Nicolaus Papa deposuit ac puniuit.*

Quamobrem inquio, non prius adulterum ex medio remouetis, quod si facere non potestis, iudices non estis. Qui manu Imperatorem indi-
D gitantes, ita imperat, inquiunt, ille. Deinde Palatini ad me conuersi solantur, exiguntque nunc blandiendo, nunc minitando, abdicationem. Sed frustrà fuerunt. Ergo ad Metropolitanos versi alios alijs atq; alijs calumnijs & criminationibus insectati sunt, cur qui prius exauctorationem meam probauissent, nunc denuò me Patriarcham peterent? Quibus Metropolitæ: Duobus, inquiunt, malis propositis, irâ nempe Imperatoris, ac populi seditione, minus scilicet eligimus. Enimverò vos Palatini proceres reddite nunc Patriarchæ nostro dignitatem suam, & de nobis nihil laborate. Hic rursum regia factio me impellit, vti mea voluntate sponteque animi me patriarchatū abdicem, adulteroque Ecclesiam securo

occupandam tradam: Recusante me, cùm dies abijsset, conuentus est dimissus. Idem posteà cum sæpiùs frustra tentassent, ad alias artes se conuertunt, supraque nominatos iudicum ministros ad me allegant, atque ad conciliabulum citant. Ego verò, inquiò, non compareo, neque video iudices quicquam ex præscripto Ecclesiæ facturos, Photio tyranno non eiecto, qui cum etiam communicassent, atque ad mensam eiusdem accubuissent, muneraque ab illo iam diu accepissent, &c. Huiuscemodi ego iudices non agnosco, ad Papam prouoco, illius iudicium lubens subibo. hæc vna mecum symmystæ mei magna voce clamitarunt. Deinde declaratas antea epistolas legi petiuimus, quæ canonicas Innocentij primi Papæ pro D. Chrysostomo sanctiones continebant: Ioanni Concilium adeundum non esse, priusquam loco suo throno que esset restitutus. Et in Sardicensi Concilio Canon quartus. Si quis Episcopus fuerit depositus, dicatque se habere iustam sui defensionem, non priùs sufficiatur in eius locum alius, quam de eo Romanæ Ecclesiæ Pontifex decernat, &c. Tu sanctissime Domine, ostende in me viscera miserationum tuarum, & cum magno Apostolo & ipse dicas: Quis infirmatur & ego non infirmor? intuere maiores tuos Patriarchas, Fabianum inquam, Iulium, Innocentium, Leonem, & omnes denique pro fide & veritate viriliter propugnantes, illosque æmulare, & vindex in iudicium pro nobis tam indigna passis exurge.

Epist. 30. ad clerum & Populũ Constant.

A B

Epistola Nicolai Papæ ad Ignatium.

C

Nicolaus seruus seruorum Dei sanctissimo fratri & comministro nostro Ignatio Patriarchæ Constantinopolitano.

Ex tom. 3. concil. pag. 879.

EXprimere verbis non possum Reuerendissime frater, quibus lachrymis, quantoque luctu ob tuas immensas afflictiones & ærumnas afficiar. Etenim posteaquam Apocrisarij nostri Rhodoaldus & Zacharias olim Episcopi, Constantinopolim, vt causas depositionis tuæ cognoscerent, & de sacris imaginibus quærerent, missi redierunt, nosque ex illorum relatione, atque ab ipso Imperatoris Legato didicimus, quemadmodum ipsi contra te damnationis sententiam pronunciarint, magno sanè dolore afflicti sumus quod contra ac illis imperauimus, fecerint. Quapropter præsente Apocrisario regio, vocato nostrorum Episcoporum Concilio, atque euocatis etiam ex multis aliarum regionum prouincijs, sanctissimis plurimisque Episcopis, primùm Zachariam damnauimus. De Rodoaldi autem exauthoratione quòd tunc ab esset, amplius pronunciauimus. Qui tamen postea sententiam damnationis non effugit. Insuper Photio dignitatem abrogauimus, denunciauimusque; vt si post damnationem istam thronum Constantinopolitanum denuò audeat ascendere, aut tibi quo minus ad tuam sedem redeas impedimento sit, aut sacra contingere tentarit, anathema sit. Pariter etiam Gregorium Syracusanum, à quo Photius ordinatus est, anathemate per- D

A cellimus, si posthac sacra quæcunque administrarit. Præterea quoscunque Photius sacris initiauit, gradu clericorum omni priuamus ac deijcimus. Atque hæc quidem de illis decreuimus. Te autem auctoritate supremi iudicis Domini Dei Saluatoris nostri, nec depositum nec anathemate vinctum vnquam fuisse declaramus. Quicunque verò sententiæ nostræ repugnauerit, aut à tua communione se sponte separauerit, aut demum aduersum te, sine Apostolicæ sedis auctoritate sententiam tulerit, Clericus omni honore dignitateq; Clerici exutus esto: Laicus omni benedictione paterna careto: qui nisi resipuerit, anathemate quoque ferietur. Episcopos verò, quicunque tua causa exulant, aut solio suo honoreque priuati sunt, sedibus suis & dignitati restitui iubemus. Qui-
B cunque huic nostro decreto resistere conabitur, anathema esto, quod nobis ille se subijciat. Si qui verò per criminationem sunt eiecti, illos ad suas reuocandos Ecclesias statuimus, causamque eorum ad tribunal Romani Pontificis decidendam. Hæc sunt frater, quæ in vna fratrum & coepiscoporum nostrorum, diuersis ex Prouincijs euocatorum, qui omnes maiores nostrorum instituta sequuntur, synodo constituimus, tuæq; beatitudini significare voluimus, vt nostrum erga te animum optimè affectum perspectum haberes.

Habetur etiam ibidem altera Nicolai Papæ epistola ex actis synodi quam ipse Romæ habuit, quæ est ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos & Clericos, qui sunt in Asia, Europa, & Lybia &c. in hac ea-
C dem causa Ignatij eiusdem tenoris. Igitur præfata synodus, quam Papa collegit, Photium deposuit & anathematizauit, & Ignatium restituit, & cunctis, vt hæc rata haberent, idem Romanus Pontifex mandauit.

Ex his omnibus optime Lector, Constantinopolitanæ Ecclesiæ erga Romanam cathedram omnimoda subiectio & subordinatio, quam omnis ouis catholica suo debet Pastori manifestissimè colligitur, quod in nostra conclusione probandum assumpsimus. quamobrem illi Constantinopolitani Præsules, qui olim & qui hoc tempore, hanc debitam obedientiam & reuerentiam Romanæ Petri cathedræ offerre respuunt, non nisi schismatici, Parentibus inobedientes, paternorum canonum
D contemptores, veterum sanctarum institutionum violatores, diuinæ sanctionis in Petro trangressores, Ecclesiastici ordinis & dispositionis confusores, & hæretica prauitate fœdati, extra Christi & Petri ouile compræhenduntur. Deus omnipotens & misericors, cui soli quæ sunt penitus collapsa ac dissipata restaurare contingunt, Orientalium ruinas, in pristinam sanitatem reuocare dignetur, Amen.

DISPVTATIO QVARTA A

DE APPELLATIONIBVS ECCLESIÆ HIEROSOLIMITANÆ.



E Appellationibus, quas Hierosolimitani Antistites Romanæ Petri cathedræ exhibuerunt, disceptaturus: non est opus vt originem, sanctitatem, vetustatem, antiquam præstantiam, venustatem, Regum potentiam Vrbis Hierusalē recolamus: quia prior illa vrbs prorsus abijt & funditus euersa fuit, vt Saluator noster prædixit Matth. cap. 23. [Ierusalem, Ierusalem quæ occidis Prophetas & lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos quem- B admodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti? ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. & Lucæ 19. Videns ciuitatem fleuit super illā, dicens. Quia si cognouisses & tu, & quidē in hac die tua quę ad pacē tibi: nunc autē abscondita sunt ab oculis tuis. Quia veniet dies in te: & circūdabunt te inimici tui vallo & circundabunt te & coagustabūt te vndiq; & ad terrā prosternēt te, & filios tuos qui in te sunt, & nō relinquent in te lapidē super lapidē, eoquod non cognoueris tēpus visitationis tuæ.] Quæ ergo nunc adest, eadem non est cum illa quæ olim fuit: de qua magna enarrare potuissem. Idcircò Nicolaus primus Rom. Pontifex in Responsis ad consulta Bulgarorum cap. 92. inquit. [Hierosolymitanus autem præsul, licèt & ipse Patriarcha dicatur, & secundum an- C tiquam consuetudinem ac Nicænam synodum honorandus sit, salua tamen Metropoli propria dignitate: sed & in eadem sancta & magna synodo nequaquam Hierosolimitanus, sed Heliæ Episcopus dicitur. Nam vera Hierusalem tantùm in cælis est quæ est mater nostra. illa verò Hierusalē terrestris, secundùm quod Dominus prædixit, adeo funditus ab Imperatore Romano destructa est, vt in ea nec lapis super lapidem sit derelictus, & ab Helio Adriano in alio est loco constructa: ita vt locus Dominicæ crucis extra portam, nunc intra cernatur, &, à prædicto Helio Adriano, vrbs illa Helia vocitetur.] Quamobrem Nicænum concilium de huius vrbis Episcopo sic canone septimo statuit. [Quoniam mos antiquus obtinuit & vetusta traditio, vt Æliç (idest D Hierosolymæ) Episcopo honor deferatur, habeat consequenter honorem suum, manente tamen Metropolitanæ ciuitatis propria dignitate.] testatur ergo sancta synodus huius vrbis Episcopum honorandum esse, at illum à subordinatione quam ad Cæsareæ Archiepiscopum habebat, non eximit. igitur præfatæ vrbis Præsulem nec agnouit Patriarcham nec instituit.

Cur Ierus. dicat Heliā

Titus Vesp. filius anno Christi 72. & ab eius. morte ann. 38 Ierosol. vrbem fun ditus euer. quā Ælius Adrian. à se restauratam suo nomine appellauit Æliā

Verùm quia deinceps Patriarcha dict. est & inter quatuor Patriarchas in synodis generalib. connumeratus fuit; huius rei originē & initiū perpēdere volui: & vt verum fatear, cognoui huius Episc. exaltationē affinē esse vt eiusdem farinę cum Constant. Episcopi augmento. nā vt sæpe de-

mon-

A monftrauimus, Antiftites Conftantinop. dignitatem Patriarchalem fenfim vfurparunt, Imperatorum præfidio fulti: fic Æliæ Epifcopi paulatim Patriarchalem honorem fibi arripuerunt. hinc eft quod Nicolaus Papa loco fupra citato inquit. [Conftantinopolitanus autem & Hierofolymitanus antiftes licèt dicantur Patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis quantę fuperiores (ideft Alexandrinus & Antiochenus) exiftunt.] *Ierof. Epif. dignitatem Patriarch. vfurpauer.* Et ne quod affero, voluntarium effe legentibus videatur, per Leonis I. Papæ epiftolam quæ eft 62. & habetur tomo primo Concil. pag. 969. hæc quæ afferimus probo: fic enim Leo, Maximo Antiocheno Epifcopo fcribit [Hunc autem ad omnia generaliter prænunciare fufficiat, quòd fi quid a quoquam contra Nicænorum canonum ftatuta inquacunque

B fynodo vel tentatum eft, vel ad tempus videtur exortum, nihil præiudicij poteft inuiolabilibus inferre decretis. Et facilius erit quarumlibet cõfenfionum pactum diffolui, quàm prædictorum canonum regulas ex vlla parte corrumpi: fubrependi enim occafiones non prætermittit ambitio: & quoties ob incurrentes caufas generalis congregatio facta fuerit facerdotum, difficile eft vt cupiditas improborum non aliquid fupra menfuram fuam moliatur appetere. Sicut etiam in Ephefina fynodo, quę impium Neftorium cum dogmate fuo perculit, Iuuenalis Epifcopus ad obtinendum Paleftinę prouinciæ principatum, credidit fe poffe fufficere, & infolentes aufus per commentitia fcripta firmare. Quod fanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Epifcopus meritò perhorrefcens, fcrip-

C tis fuis mihi, quid prædicta cupiditas aufa fit, indicauit, & folita præce multùm popofcit, vt nulla illicitis conatibus præberetur affenfio. Nam cuius epiftolæ ad nos exemplaria direxifti fanctæ memoriæ Cyrilli, eam in noftro fcrinio requifitam nos authenticam noueris reperiffe. Hoc tamen proprium diffinitionis meæ eft, vt quantumlibet numerus facerdotum amplior, aliquid per quorundam furreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo patrum conftitutionibus inueniatur aduerfum, id iuftitiæ confideratione caffetur quoniam vniuerfæ pacis tranquillitas non aliter poterit cuftodiri, nifi fua canonibus reuerentia intemerata feruetur. Si quid fanè ab his fratribus, quos ad fanctam fynodum, &c.] hæc Leo Pontifex,

D Patet ergo verum effe quod diximus, Æliæ fcilicet Epifcopum dignitatem Patriarchalem non iure ab Apoftolica fede obtinuiffe, fed paulatim vfurpaffe. quod tunc fecit Iuuenalis Æliæ Epifcopus in concilio Ephefino, cùm Actione quarta dixit. [Oportebat quidem Ioannem religiofiffimum Ecclefiæ Antiochenæ Epifcopum hac fancta & magna & Oecumenica fynodo confiderata, recta mox citra vllam dilationem ad eorum, quæ illi obijciuntur, purgationem accurrere, Apoftoliceq; fedi magnæ ciuitatis Romæ auctoritate nobis affiftenti, & Apoftolico fanctæ Dei Ecclefiæ Hierofolymorum Antiftiti honorem & obedientiam deferre: præfertim cùm Apoftolica ordinatione, antiquaque tra-

di-

ditione in consuetudinem abierit, vt sedes Antiochena perpetuò per A Romanam dirigatur ac iudicetur.] Hæc autem verba quæ Iuuenalis de honore sedis suę protulit, manifestè cum canone septimo concilij Nicę-ni pugnant: idcirco Leo Papa loco supracitato ait, [& insolentes ausus per commentitia scripta firmare.] falsum quippe esse quod asseruit, legenti patet: & per ea quæ superiùs diximus liquidò constat. nam ab Antiochena sede Heliæ Episcopo nullus debetur honor, cum illo dignior & superior sit.

Motiuum autem Ierosolymitani Antistitis pro sua statuenda exaltatione, & pro Archiepiscopi Cæsareæ depressione, frequentia ex toto Christiano Orbe peregrinorum ad vrbem præfatam, vt loca sancta venerarentur extitit; ideoque Ierosolymorum Antistes plus honorabatur B quàm Cæsariensis metropolita, qui eo superior erat. quam occasionem assumens Iuuenalis, Episcopis omnibus Palestinæ ad suam sententiam redactis, hanc controuersiam ad iudicium synodale tunc deduxit. Attamen licèt Iuuenali plures fauerent Episcopi, Cyrillus tamen sedis Apostolicæ legatus restitit & vnicuique sua iura ex Nicænorum canonũ præscripto, illibata conseruauit.

Sicut ergo contra Canones, sed solo Imperatorum assensu, Constantinopolitani Antistites hac vsurpata fruebantur dignitate Patriarchali: eodem modo Ierosolymitani Episcopi iure, dignitate, & loco Patriarcharum potiebantur. Sed pia omnium fidelium mater Romana Petri cathedra, cui soli conciliorum canones, soluere obtingit; contra Nicæ- C nos canones in concilio generali Lateranensi sub Innocentio tertio, & Constantinopolitano Episcopo dignitatem Patriarchalem, & primum locum inter Patriarchas; & Ierosolymitano antistiti, Patriarchalem honorem, & quartum locum inter illos, tribuit, statuit & concessit: quæ solo prius tacito consensu, absque vllo sedis Apostolicæ canone & firmo ac expresso iure obtinebant. Decretum autem concilij generalis Lateranensis hoc est.

DE DIGNITATE PATRIARCHARVM Cap. 5.

Lex quę Patriarchas instituit.

ANtiqua Patriarchalium sedium priuilegia renouantes, sacra vniuersali synodo approbante sancimus, vt post Romanam Ecclesiã, quæ disponente Domino super omnes alias ordinarię potestatis obtinet D principatum, vt potè mater vniuersorum Christi fidelium & magistra. Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolimitana quartum locum obtineat, seruata cuilibet propria dignitate, itaquod postquam eorum Antistites à Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officij Pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licentèr & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem, &c. his ergo præmissis.

Dici-

A Dicimus, Patriarcham Heliæ, seu Herosolymitanum, Romanæ sancti Petri cathedræ, sicut ouis Pastori suo, subiectum esse. Probo sic. Quicunque ab alijs, accedente occasione, fieri debent appellationes ad vltimam controuersiarũ obtinendam decisionem, eidem pariter tanquam supremo iudici & Principi in illo ordine appellãs subiectus est & subditus: sed Patriarchalis Ecclesia Hierusalem de facto ab initio & vsque ad annum Domini octingentesimum sic Romanam Petri cathedram appellauit, ergo Patriarchalis Ecclesia Hierusalem Romanæ Petri cathedræ vt ouis Pastori suo, & vt subditus suo Principi est subiecta. Maior est euidens: Minor probatur per ea quæ facta sunt, seu per appellationes iam actu exhibitas.

B **APPELLATIO PRIMA.**

Epistola Innocentij Papæ primi ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum. Ex tom. 1. concil. pag. 590.

Hic Origenis errores sequebatur, quamobrem Hieronymus apud Bethleem degens, aliique permultis communione abstinebant: ideoque Ioannis præfati opera multis affecti sunt malis, de quibus Eustochium & Paula apud Innocentium Pontificem conquestæ sunt, malorum auctorem & causam reticentes: propterea Ioanni Innocentius scribit, vt diligenter Ecclesiæ suæ prospiciat & istiusmodi mala corrigat.

Direptiones, cædes, incendia, omne facinus, extremæ clementiæ generosissimæ sanctæ virgines Eustochium & Paula deplorauerunt in locis Ecclesiæ tuæ perpetrasse diabolum: nomen enim hominis causamq; reticuerunt. quod & si ambiguum non sit à quo commissum, oportuit tamen custodire germanitatem tuam, & gregis illius solicitius Papa corrigit Epis. Ierosolymit. C prouidere, ne quid huiusmodi oriretur, quod cum aliorum periculo tua lacessit negligentia amittere gregem Domini, & tales agnas incendio armis, & persequutionibus nudas, debiles post suorum cædes & mortes vix viuere audiuimus: nihil mouet pietatem illam sacerdotij tui de tanta diaboli in te atque in tuos potestate admissa, in te inquam, prorsus enim sacerdotis grauitatem condemnat tantum nefas in Ecclesia fuisse completum. Vbi prouisiones tuæ? vbi certè si casus euenerant, auxilia vel consolationes? cum plus se adhuc metuere dicant, quàm conquæruntur esse perpessas, altius censerem si essent aliquid de hac re mecum apertius colloquutæ. Vide frater antiqui hostis insidias, & spiritu boni rectoris peruigila, vt hæc quæ ad nos opinione magis quàm accusatio-D ne manifesta delata sunt vel corrigantur, vel retundantur, ne ius Ecclesiasticum de labefactatis causis eũ qui non defenderit, pręstare cõpellat.

APPELLATIO SECVNDA.

Epistola Leonis Papæ ad Iuuenalem Episcopum Ierosolymitanum.

Qua ob res præteritas perperàm gestas obiurgatum, pro fide syncerè ac strenuè agere docet ac monet, de misso sanctæ Crucis ligno gratias agit.

Leo Episcopus Iuuenali Episcopo Ierosolimorum.

Acceptis dilectionis tuæ literis, quas ad me filij nostri Andreas presbyter & Petrus diaconus detulerunt, gauisus quidem sum quòd Ex tom. 1. Conc. pag. 977. tibi ad Episcopatus tui sedem redire licuisset; sed confluentibus in recordationem omnibus quæ te per quosdam excessus laborare fecerunt, do-

lui

lui aduersitatum tuarum temetipsum tibi fuisse materiam, & resistendi A
hæreticis constantiam perdidisse, qui æstimant non esse tibi liberum, vt eos audeas arguere, quos tibi professus sis in suo errore placuisse. Beatæ enim memoriæ Flauiani condemnatio, impijssimi Eutychetis receptio, quid nisi Domini nostri Iesu Christi secundum carnem negatio fuit? quam ipse grandi misericordia sua fecit resolui, cùm detestandum illud Ephesinæ synodi iudicium ita sanctæ Chalcedonensis synodi auctoritate destruxit, vt nullum deprauatorum à remedio correptionis arceret. Vndè quia in tempore indulgentiæ resipiscentiam magis quàm pertinaciam delegisti, ita gaudeo te cælestem expertisse medicinam, vt fidei ab hæreticis impugnatæ tandem possis esse defensor, &c. Hæc autem veritas quantis & noui & veteris testamenti auctoritatibus declaretur, pro B
antiquitate sacerdotij tui euidenter agnoscis, cùm fides patrum & scripta mea ad sanctæ memoriæ Flauianum data, quorum mentionem ipse fecisti, adiecta vniuersalis synodi confirmatione, sufficiant. Vnde prospicere oportet dilectionem tuam, ne contra redemptionis ac spei nostræ ineffabile Sacramentū vllus obmurmuret. Sed si qui sunt qui adhuc aut ignorantia caligant, aut peruersitate discordant: eorū quorum in Ecclesia Dei Apostolica fuit & clara doctrina, authoritatibus instruantur, & de incarnatione Verbi Dei hoc nos credere, quod illi credidere cognoscāt, neque se extra corpus Christi, in quo commortui & conresuscitati sumus, sua obduratione costituant: quia nec pietas fidei, nec ratio recipit sacramenti, vt aut in sua essentia passibilis fuerit Deitas, aut in nostræ na- C
turæ susceptione mentita sit veritas. Particulam Dominicæ Crucis cum eulogijs dilectionis vestræ veneranter accepi. Dat. pridie nonas Septem Ætio & Studio viris clarissimis consulibus.

APPELLATIO TERTIA.

Epistola Leonis Papæ ad Monachos Prouinciæ Palestinæ.

Qua eos prudenter ab errore excusat, vt cautè ab hæresi illos reuocet.

Leo Episcopus Palestinis Monachis.

Ex tom. 1. concil. pag. 984.

SOlicitudini meæ quam vniuersali Ecclesiæ omnibusque eius filijs debeo multorum relatione patefactum est, dilectionis vestræ animis quiddam offensionis illatum, dum aut imperiti, vt apparet, interpretes, aut maligni quædam vos aliter intelligere, quam à me sunt præ- D
dicata fecerunt, non valentes in Græcum eloquium aptè & propriè Latina transferre, cum in rebus subtilibus & difficilibus explicandis, vix sibi etiam in sua lingua disputator quisq; sufficiat. Quod tamen apud me eo proficit, vt dum ea quæ catholica fides respuit, improbitatis, intelligamus vos veris amiciores esse quam falsis, & id meritò refutare, quod ex antiquæ institutione doctrinæ etiam ipse detestor. Quamuis enim Epistola mea, ad sanctæ memoriæ Flauianum Episcopum data, satis sibi ad manifestationem sui ipsa sufficiat, neque in aliquo aut purgationis aut expositionis indigeat, & alia tamen cum eadem mea scripta concordant

dant

A dant, inquibus similiter prædicationis meæ sensus in aperto est. Necessitatem enim habens contra hæreticos, qui multos Christi populos conturbauerant, differendi, & clementissimis Principibus, & sancto Concilio synodali, & Constantinopolitanæ Ecclesiæ quid de incarnatione Verbi, secundum Euangelicam Apostolicamq; doctrinam deberemus sapere ac sentire, patefeci: & in nullo à sanctorum Patrum confessione discessi: quia vna est vera singularis, perfecta, inuiolabilis catholica fides, cui nihil addi, nihil minui potest, &c. Et cum multis manifestationibus declaratum sit, quàm rectè & Nestorium & Eutychen cum Dioscoro, fides Christiana damnauerit, nec Christianus possit vocari, qui vel illius vel horum impietati præbet assensum: doleo vos Euangelicæ & A-
B postolicæ doctrinæ, vt audio, resultare: exagitando seditionibus ciuitates, conturbando Ecclesias, nec solùm iniurias, sed etiam cædes presbyteris atque Episcopis inferendo, vt præ furore & seuitia, propositi vestri & professionis sitis immemores. Vbi est regula mansuetudinis & quietis? Vbi longanimitas patientiæ? vbi tranquillitas pacis? vbi firmamentum dilectionis & tolerantię fortitudo? Quę vos ab Euangelio Christi aut persuasio abduxit, aut persecutio sęparauit? Vel quæ tãta extitit decipiētis astutia, vt obliti Prophetarũ & Apostolorũ, obliti Symboli Salutaris & confessionis, quam pronunciantes coram multis testibus, sacramentum baptismi suscepistis, diabolicis vos illusionibus subderetis? Quid apud vos acturæ fuerant vngulæ, quid sæua tormenta, si ad expu-
C gnandam fidei vestræ integritatem, tantum vana hæreticorum commēta valuere? Pro fide vos agere creditis, & fidei contraitis. Ecclesiæ nomine armamini, & contra Ecclesiã dimicatis. Hoccine à Prophetis, hoc ab Euangelistis, hoc ab Apostolis didicistis, vt necantes veram Christi carnem, & ipsam Verbi essentiam passioni mortique subdentes, alienam faciatis nostram à suo reparatore naturam, totumque quod Crux intulit, quod lancea vulnerauit, quod sepulchri lapis suscepit & reddidit, solum fuisse opus diuinæ potentiæ, non etiam humilitatis humanæ? &c. Declinate filij ab his diabolicis persuasionibus, declinate. Veritatem Dei nulla res violat. sed veritas nos, nisi in nostra carne, non saluat, &c.

Papa redarg. Monachos Palæstinos Ierosol. dioc.

D

APPELLATIO QVARTA.

Contra Episcopum Ierosolymitanum.

Epistola Agapeti Papæ ad Petrum Episcopum Ierosolymitanum.

Dilecto fratri Petro, Agapetus.

Ex tom. 2. concil. pag. 430.

Voluissemus quidem fratres dilecti, propter coniunctionem nostræ caritatis, omnes Domini sacerdotes, iuxta Apostolicam traditionem irrepræhensibiles inuenisse, & neminem aut per gratiam, aut per metum ab Ecclesiasticis canonibus declinare, &c. Oportebat enim, vestram caritatem memorem paternarum traditionum, neminem permittere prohibita facere, sed si quis audax appareret tota virtute resistere. Cum itaque peruenerimus ad Comitatum serenissimi Imperatoris filij

nostri, inuenimus sedem Constantinopolitanæ Ecclesiæ, contra omnem A
Agap. PP. Constant. accessit. canonum honestatem ab Anthimo Ecclesię Trapezundarum Episcopo
inconuenienter vsurpatum. Cuius animam non solùm secundum istam
partem, sed quod maius est in confessione veræ fidei à perditione redu-
cere desiderauimus: sed Eutychis errori insistens, ad viam veritatis redi-
re contempsit Vnde cum ipsius in fide pœnitentiam isto modo expecte-
mus, neque catholico neque sacro nomine dignum esse sententiauimus,
donec omnia à patribus tradita, perquæ veræ religionis fides & discipli-
na custoditur, & secundum congruentem satisfactionem suscipiat.
Cæteros verò similis contumaciæ ipsius, & sententia Apostolicæ sedis
condemnatos similiter vestra caritas aduertat quorum, ipse seipsum
participem fecit Constantinopolitanæ verò sedis iniuriam, Aposto- B
Papa arg Episc. Ierusalem. lica auctoritate adiuuante, & adiutorio fidelissimorum Imperatorum
emendabimus. Et supra modum quidem admirati sumus, quòd istud o-
pus ita apertè contrarium decretis Patrum vestra fraternitas non solùm
ad notitiam nostram adducere neglexit, sed & repræhensibili consensu
confirmauit. Sed regratiamur Deo, cuius spiritu mala ad melius vt plu-
rimum vertuntur, & paruæ transgressiones ad vtilitatem & occasionem
magni fuerint gaudij. Hoc autem pro excitando vestræ conspiritualita-
tis lętitiam significo, quòd Mennam fratrem & coepiscopum nostrum,
virum multis laudum modis ornatum, prædicta Constatinopolitana
Hac epist habet. alt. conc. C. Constantinop. sub Agap. & Menna Ecclesia Episcopum suscepit. Cui licèt præter cæteros serenissimorum
Imperatorum electio arriserit, similiter tamen & totius cleri ac populi C
consensùs accessit, vt & à singulis eligi crederetur. Etenim alicui neque
scientia, neq; vita fuit ignotus, sed & fidei integritate, & sacrarum scrip-
turarum studio, atque etiam piæ administrationis officio sic prædicta vi-
ri resplenduit opinio, vt ipsi tardius venire videretur, quo dignus erat. [Et
hoc dignitati suæ addere credimus,] quod à temporibus Petri Apostoli,
Hoc notent Græci. nullum alium vnquam Orientalis Ecclesia suscepit Episcopum, mani-
bus nostræ sedis ordinatum. Et forsitan ad demonstrationem laudis ip-
sius, vel ad destructionē inimicorū instans res tanta peruenit, vt illis ip-
se similis esse videatur, quos in his quandoque patribus ipsius Apostolo-
rum primi electio ordinauit. Commune itaque gaudium, fratres, pia ex-
ultatione suscipite, & quantum vos Apostolicæ sedis nostræ iudicium D
comprobatis, consueta rescriptione significate, habentes duplicem ex-
ultationis causam, & quod mala sine mora corrigantur, & pro his op-
tata subsequuta fuerit, de cætero præcauentes, ne rursus canonicis san-
ctionibus quid contrarium per vos (quod non credo) fiat vestro acce-
dente consensu, cumque sicut error, qui semel peccauit venia dignus
est, sic frequens transgressio motum austeritatis deposcit. Deus in
bona conualescentia te custodiat, frater honoratissime.

A APPELLATIO QVINTA.

Epistola S. Gregorij Papæ ad Isicium Episcopum Ierosolymitanum.

Synodicæ Epistolæ respondet, agitque de vnitate Ecclesiæ seruanda cura pastorali, & de Simoniaca hæresi fugienda.

Gregorius Isicio Episcopo Hierosolymorum.

SEruata veritate historiæ, quid aliud est quòd diluuij tempore humanum genus extra arcam moritur, ad vitam verò in arca seruatur, nisi hoc quod apertè nunc cernimus, quia infideles quosq; extra Ecclesiā peccati sui vnda perimit, & fideles suos in fide atque in caritate sanctæ Ecclesiæ vnitas quasi arcæ compago custodit? &c. In huius itaque arcæ ædificatione vos currere relecta fraternitatis vestræ Epistola rectæ fidei compage, gaudemus, magnasque omnipotenti Deo gratias exoluimus, *Ex tom. 1 concil. pag. 901.* *Epist. Ierus. mit. ad PP. sua fidei professionem.*
B qui & immutati gregis sui pastoribus, fidem quam semel sanctis patribus tradidit etiam post eos immutabilem custodit, &c. Quia verò peruenit ad nos in Orientis Ecclesijs nullum ad sacrum ordinem, nisi ex præmiorum datione peruenire: si ita esse vestra fraternitas agnoscit, hanc primam oblationem Omnipotenti Deo offerat, vt à subiectis sibi Ecclesijs errorem simoniacæ hæreseos compescat. Nam vt alia taceam, quales esse in sacris ordinibus poterunt, qui ad hos non merito, sed præmio prouehuntur? Scimus autem quanta animaduersione hanc Apost. Princeps insecutus est, qui primam damnationis sententiam contra Simonem protulit, dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possidere, &c. Præterea peruenit ad me,
C quia in ea Ecclesia quæ Neas dicitur, sæpe in Ierosolymorum vrbe vestræ Ecclesiæ iurgia nascuntur. Vnde sanctitas vestra debet sollicitè cūcta pensare, & quædam mansuetè corrigere, quædam verò quæ corrigi nequeunt, æquanimiter tolerare. Apertè enim videmus quod per psalmistæ vocem à sancta Ecclesia dicitur. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. in dorso quippe onera portantur. Supra dorsum ergo nostrum fabricant peccatores, quando eos quos corrigere non possumus, patiendo portamus, &c. Sic itaque sanctitas vestra quædam compescendo, quædam tolerando mitiget, vt in sancta Ierosolymorum Ecclesia pacem cohabitantium per omnia conseruet, &c. Omnipotens Deus dilectionem tuam gratia cælesti custodiat, & de his qui tibi com-
D missi sunt, fructum multiplicet ac mensuram superefluentem ad æterna gaudia reportare concedat. *Dilig. PP. erga omnes Eccles. & subiectio Ierosol. Eccl. ad Romanum Pont.*

Epistola Martini Papæ I. ad Ecclesiam Ierosolymitanam & Antiochenam.

Qua nunciat Monothelitarum hæresim in Concilio fuisse damnatam, ordinationemq; Macedonijs Antiochiæ: & Petri Alexandriæ, perperam esse factam: Vt in fide catholica persistant, & Ioanni Vicario, cui dicta synodi acta misit, obediant. *Ex tom. 2. Conc. pag. 1054.*

Dilectis fratribus, qui sanctæ Christi Dei nostri ciuitati, nempe Ierosol. sedi sacerdotaliter sub sunt, orthodoxis Episcopis, presbyt. Diac. præfectis monasteriorum monachis, populis Christum diligentibus: similiter & ijs qui censentur sub Antiochena sede, Martinus seruus seruorum Dei, & S. eius cathol. & Apostolicæ Romanæ Eccles. Episcopus.

GRatia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo in Spiritu sancto, qui per virtutes habitat in cordibus vestris, &c. *Martinus elig. Pont. ann. Dom. 649.*

Scire enim volo vos fratres, de rebus præsentibus, idest de furibus, qui temporibus nostris insurrexerunt contra orthodoxā fidē, nempe Theodoro, qui fuit Episcopus Pharan, & Cyro qui Alexandriæ, & Sergio qui Constantinopolis,& eius successoribus Pyrro & Paulo: quòd hi per propriam hæresim valde moliti sunt perfodere, & thesauros siue dogmata Ecclesiæ catholicæ expilare. Nos verò, idest huius Apostolicæ sedis Pontifices ad custodiam domus peruigiles, iuxta pręceptum Dñi, non permisimus eos hāc effodere, vel fidei surripere thesaurū, sed ipsos catenis impiæ eorum & adulterinæ doctrinę constringentes, accuratà demonstratione & examinatione eorum, quæ ab ipsis contra integritatem Christianæ fidei scripta sunt, tum ipsos, tum ea quæ impiè docuerunt, igne canonicę sententiæ veluti mala zizania exurentes, synodaliter condemnauimus, vbique omnibus eorum hæresim publicantes: vt cum omnes ex ijs, quæ à nobis nuper gesta sunt, eam contrariam & aduersariam paternis ac synodalibus Ecclesiæ catholicæ definitionibus esse cognouerint: pij & orthodoxi, simili nobis modo, zelo Dei contra prædictos hæreticos moueantur, eosque & ipsorum hæresim damnent, omniaque pro ea ab ijs impie acta & scripta, vnà cum ipsorum suggestione contra fidem facta, nempe expositione Heraclij Imperatoris, & formula eius qui nūc serenè imperat, atque omnibus, qui similia ipsis senserunt aut sentiunt, & sensuri sunt, & vsque in finem in eiusmodi hæresi permanent, nec pænitent: sed vnam dementer, aut nullam omnino diuinitatis atque humanitatis Christi docent voluntatem & operationem, vt & naturam ex toto, &c. Vnde eos veluti lapides scandali & petram offensionis è via dissiecimus, omnibusq; diligentibus Dominum semitam muniuimus sincere in ipsum confessionis ex sanctorum Patrum & vniuersalium quinque conciliorum doctrina: vt nobiscum iuxta sanctissimam illorum traditionem teneant ac prædicent duas eiusdem & vnius Christi Dei nostri naturas secundùm hypostasim vnitas inconfusè atque indiuisè, ac duas naturales voluntates, duasque naturales operationes, diuinam & humanam, increatam & creatam, connaturaliter vnitas, ad demonstrationē perfectam, quòd Deus natura perfectus, & homo natura perfectus absq; solo peccato, idem verè existit. Quapropter hortamur dilectionem vestram, vt ita nobiscum semper credatis ac teneatis, diuitantes omnem hæresim, quæ contra catholicam Ecclesiam & prius & nunc exorta est, insanosque hæresum auctores, quorum exemplo, vnà cum vetere & nouum, quique temporibus nostris à vera doctrina aberrauit, Macedonium hæreticum, quem contra canones sibi finxerunt falsum Antiochię Episcopum prædicti hæretici, quemadmodum & Petrum Alexandriæ tumultuariè creauerunt, &c. Ad maiorem verò catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ stabilitatem, conuenienter studuimus in præsenti præcipere, secundum potestatem nobis à Domino in gratia datam per S. Petrum Apostolorum principem, [Ioanni dilecto fratri nostro Episcopo Philadel-

A delphensium ciuitatis, vt locum nostrum in omnibus Ecclesiasticis articulis in partibus Orientis suppleat, & creet in omnibus ciuitatibus, quę Antiochenæ sedi, quæque Ierosolymitanæ sacerdotaliter subsint, Episcopos & presbyteros & diaconos:] ne sicut dicit Propheta, deficiant à comestione oues, eo quòd non sint boues in præsepibus, id est fideles & orthodoxi populi, quòd catholicæ Ecclesiæ Episcopos non habeant, qui spiritualem ipsis cibum excolant & præbeant, per aptam rerum cõuenientium doctrinam atque institutionem, &c. Vt tanquam obedientiæ filij vnanimiter omnes, sacro diuinoque studio adiuuetis propositũ Apostolica auctoritate vicarium nostrum, nempe dilectum Episcopum Philadelphensium, vt omnimodis perficiatis opus ministerij huius ad

Vic Apost. sedis in Oriente creat Episcopos.

Abac. 3. iuxta 70. Interpretes.

B salutem animarum vestrarum: non configurati inobedientibus aut contradicentibus veritati per inconsistentem ipsorum hæresim; sed secundum eum qui vocauit vos, sanctum, & ipsi sancti in omni conuersatione sitis, per obedientiam & gratiam in eodem verbo fidei. Ecce enim ipsi, quæ à nobis synodaliter gesta sunt, misimus: permittentes vt ea vobis omnibus manifestet, & nota faciat quæ à nobis ibi confirmata sunt pia præconia sanctionesq; præfatorum sanctorum Patrum, & probatarum vniuersalium quinque synodorum: atque vt vobiscum hortetur vos omnes pios atq; orthodoxos, vt quemadmodum ex ipsis accepistis Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum, sic in ipsum credatis, & in ipso ambuletis. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, & sa-

C lutifera nostra de hoc accipite monita, vt exaltet vos in tempore diuinissimæ ipsius reuelationis, in qua multa erit superque omnem cogitationẽ merces ijs qui eius fidem & mandatum vsque in finem impræuaricabiliter seruauerint. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit vos ad æternam ipsius gloriam proficientes in omnibus bonis, & ascensionem virtutum in ipsum semper facientes, perficiat, stabiliat, confirmet ac fundet in ipsius metu & cognitione veritatis. Ipsi imperium & gloria cum Patre & sancto Spiritu in sæcula sæculorum Amen.

Synod. paucorum Episcopor. præsente & cõsentiente Papa obligat vniuersã Christi Ecclesiam.

Hæc igitur sunt Optime Lector, quæ vsque ad annum Domini octingentesimum ergã Ierosolymitanã Ecclesiam sedes Petri operata est, vnde eiusdem Ecclesiæ subiectio ad Romanam Petri cathedram, satis aperitur. nam præcipuè ex præmissa Martini Papæ Epistola, ad Ierosolymitanam Ecclesiam directa, qualis & quanta sit Papæ potestas super illam & qualem obedientiã ac reuerentiam ipsa Romanis Pontificibus exhibere debeat, manifestissimè cernitur: consequens ergo est, vt ipsa Ierosolymorum Ecclesia nunc etiam, sicut olim fuit, Romanæ Petri cathedræ, sicut ouis Pastori suo, sit subiecta.

D

Digitized by Google

DISPVTATIO QVINTA. A

DE APPELLATIONIBVS ECCLESIÆ AFRICANÆ.



Frica, quarta Orbis terræ pars, pietatis & religionis suæ non obscura dedit testimonia: nam ab initio Apostolicæ prædicationis, Christiana instituta suscepit, & ab ipso Ecclesiæ exordio Euangelium, ibidem promulgatũ eximia deuotione amplexa est, idcircò eo Ethnicorum tempore, innumeri huius Nationis homines pro fide, B
profuso sanguine, illustre testimonium Christo dederunt. Doctores acerrimi ingenij Ecclesiæ genuit: Tertullianum scilicet, Cyprianũ, Athanasium, Cyrillum, Augustinum, Gelasium & alios. Huius orbis Prouinciæ, Carthago fuit Metropolis, in sacris Biblijs Tharsin dicta; quæ olim gentibus, opibus, & armis insignis extitit: sed Romani Imperij nimis æmula à Scipione Æmiliano Romanorum duce, mandante Senatu, funditùs euersa est: quam tamen D. Cæsar restaurauit, & Romæ coloniam instituit: & si nunc præter ruinas, nihil amplius huius vrbis appareat.

Inter huius Prouinciæ præconia, id non est silentio prætereundum: ipsam nempe Romanæ Petri cathedræ obsequentissimam fuisse: & quẽadmodum olim Romanorum armis strenuè restitit, & illorũ dominio C
fortiter repugnauit; sic ex aduerso, pace Christiana redundans, Romanæ cathedræ mitissimè obedientiam præstitit eamque summa religione venerata est. Hanc demum extremis temporibus Arabes & Turcæ occuparunt, qui eam Christiana religione & pietate fecerunt prorsus expertem. Quo tamen tempore catholica ibi viguit fides, sub Petri sedis moderamine fuit quod à nobis enarrandum est, & ad eiusdem Nationis laudes recolendas, & ad nostrum probandum institutum, cum demonstrare teneamur Romanæ Petri cathedræ, vniuersam Christi Ecclesiam obedientiam præstitisse, & vniuersis Nationibus ipsam beati Petri sedem semper præfuisse. his præmissis.

Dicimus, Africanam Ecclesiam Romanæ Petri cathedræ, sicut ouis D
Pastori suo, subiectam esse. Probo. Cuicunque ab alijs, accedente occasione, fieri debent Appellationes, ad vltimam controuersiarum obtinendam decisionem, eidem pariter tanquam supremo Iudici, Pastori, & Principi in illo ordine appellans subiectus est & subditus: sed Africana Ecclesia de facto ab initio & vsque ad annum Domini octingentesimũ Romanam Petri cathedram sic appellauit, ergo Africana Ecclesia Romanæ Petri cathedræ, vt ouis Pastori suo, & vt subditus suo Principi est subiecta. maior propositio est euidens, minor probatur per ea quæ facta sunt & euenerunt, seu per appellationes iam actu exhibitas.

A PRIMA AFRICANÆ ECCLESIÆ APPELLATIO

Ad Romanam Cathedram, anno Domini 112. Euaristus eligitur Romanus Pontifex, qui ad Africæ Episcopos, traditiones quasdam Apostolicas ab eo tanquam à totius Christianæ Ecclesiæ magistro requirentes & à proprijs sententijs ad Petri sedis doctrinam appellantes, hanc scripsit epistolam.

Dilectissimis fratribus vniuersis Africæ regionis Episcopis, Euaristus.

COnsulentibus vobis fratres carissimi, quid super his quæ in vestris continebantur scriptis, visum nobis esset, vel quid docilis ratio persuaderet, aut quid à beatis Apostolis nobis traditum aut custoditum remaneret, optantes, vt retulistis, nostris institui documentis, hæc verò rescribimus. Siquidem dilectio vestra normam sequuta prudentium, ad sedem Apostolicam referre maluit, quasi ad caput, quid deberet de B rebus dubijs custodire, potiùs quàm vsurpatione præsumere. Diaconi (qui quasi oculi videntur esse Episcopi) in vnaquaque ciuitate, iuxta Apostolorum constituta, septem debent esse, qui custodiant Episcopum prædicantem, ne aut ipse ab insidiatoribus quoquo modo infestetur, aut lædatur à suis, aut verba diuina, detrahendo aut insidiando polluantur vel despiciantur, sed veritas spirituali redoleat feruore, & pax prædicata labijs, animi cum voluntate concordet. Similiter custoditum & traditum habemus, vt vxor legitimè viro iungatur. Aliter enim legitimum (vt à Patribus accepimus & à sanctis Apostolis eorumque successoribus traditum inuenimus) non fit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem videntur habere, & à C quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus, aut propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore, Sacerdotaliter, vt mos est, cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur, & à paranymphis, vt consuetudo docet, custodita & consociata à proximis tempore congruo petita legibus detur, & solenniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant, vt bonæ soboles generentur, & Domino in actibus suis placeant. Taliter enim & Domino placebunt, & filios non spurios, sed legitimos atque hæreditabiles generabunt, &c. Aliter verò præsumpta, non coniugia, sed aut adulteria, aut contubernia, aut stupra, &c. potiusquàm coniugia legitima esse non dubitare, nisi voluntas propria suffragata fuerit, & vota succurrerint le-D gitima, &c. Hæc cunctis recitanda per omnes Ecclesias Africanas scripta dirigere, & istis connectite quas adiunximus literas Præfectorum, vt de his quæ iniquè laudantur, si quid tale probari poterit, iudicium fiat, & inhibita coerceantur, & præterita mala, illicita coniungia, si doceantur admissa, digna seueritate corripiantur, &c. De his verò, quibus ab insidiatoribus fatigamini, vnde & nos consulere, & à nobis edoceri inter cætera voluistis, eoquòd sint quidam, qui arbitrantur de Patre solo dictum esse, quia ipse solùm habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, ita eos Apostolicis percutite ferulis, & diuinis redarguite præceptis. Non enim solus Pater, &c.

Ex tom. 1. concil. pag. 106.

Appellatio Africa Episcoporum.

Decisio Apostol. sedis.

SE-

SECVNDA EX AFRICANA ECCLESIA A

Ad Romanam Petri Cathedram Appellatio.

Anno Domini 194. Victor natione Afer, Romanus Pontifex eligitur, qui ad vniuersos Africæ Epis. hanc misit epist. vt his qui ex Africa ipsum appellauerant satisfaceret.

Victor Ecclesiæ Romanæ & vrbis Archiepiscopus, vniuersis Episcopis per Africam constitutis, in Domino salutem.

Ex tom. 1. Conc. pag. 131.

SEmper enim in æterno consilio Dei, mansit humani generis incommutabiliter præordinata reparatio, sed ordo rerum per Dominum nostrum Iesum Christum temporaliter gerendarum, dispositione Verbi diuini sumpsit exordium. Quapropter oportet vos, Fratres, vnanimes esse, & adminiculum vicissim ferre: in recta ergo fide, & in sacramentis diuinis non discrepare, sed concordes esse: quia licèt pauci siris malorũ comparatione, si tamen concordes fueriris, facilè; auxiliante Domino, B vestros insidiatores superabitis. Si verò discordes, quod absit, fueritis, non superabitis, sed superabimini. Perlatum est enim ad sedem Apostolicam, aliquos vestrum nocere fratres velle, & vt cadant decertare. Similiter in sacramentis discrepare, & ob id contentiones & æmulationes inter vos fieri, à quibus dissensionibus vos auertere, & in his omnibus concordare, & opem ferre vicissim, mandamus. Nam si hoc agere cito neglexeritis, & vicissim reconciliari non studueritis, ab Apostolicæ sedis & totius Ecclesiæ communione vos pelli non dubitetis, &c. Nulli verò liceat doctrinam euangelicam deserere & sacerdotali honore gaudere. Data Kalendis Septembris, Laterano & Rufino viris clarissimis Consul.

Appellatio ad Apost. sedem.

Papa arg. Afros Episcop. eisque censur. minatur.

Anno Domini 253. septima Christianorum adfuit persecutio, publico edicto Decij Imperatoris promulgata, quę tam immanis & atrox extitit, vt non solum Fabianum Romanum Pontificem ex hac vita abstulerit, verùm etiam metu & horrore omnibus incusso, impedierit, ne per annum integrum, licèt causæ grauissimæ maximè id exigerent, successor ei subrogari potuerit. quo tempore Cyprianus Cartaginensis Episcopus ad clerum vrbis Romæ hanc fraterna dilectione plenam dedit Epistolã, quæ de martyrio & dormitione Fabiani Papæ tractat. C

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus Romæ consistentibus fratribus, salutem.

Ex tom. 1 Conc. pag. 154.

CVm de successu boni viri collegæ mei rumor apud nos incertus esset, fratres carissimi, & opinio nutaret, accepi à vobis literas ad me missas per Clementium hypodiaconum, quibus plenissimè de glorioso eius exitu instrueret. Et exultaui satis quòd pro integritate administrarionis eius, consummatio quoq; honesta processerit. In quo vobis quoque plurimùm gratulor, quòd eius memoriam tam celebri & illustri testimonio prosequamini, vt per eos innotescere nobis, quod & vobis esset circa præpositi memoriam gloriosum, & nobis quoque fidei ac virtutis præberet exemplum. Nam quantum perniciosa est ad sequentium lapsum, ruina Præpositi, intantum contra vtile est & salutare, cùm Episcopus se per firmamentum fidei fratribus præbet imitandum, &c. Opto vos fratres carissimi semper bene valere. D

Post

A Post hæc autem persecutio creuit in Africa, quamobrem Cyprianus ab Ecclesia & vrbe Carthaginensi, vt persecutionem declinaret, & ad populorum salutem seipsum seruaret, abijt atq; discessit: quod cum Romanus clerus intellexisset per Clementium hypodiaconum, sede vacante, idem Romanus clerus munus sedis assumens, clerum Carthaginensem monet & instruit, quid circa lapsos, tempore præfatæ huius persecutionis, interea dum illorum Episcopus non aderat, fieri oporteat.

EPISTOLA CLERI ROMANI AD CLERVM CARTHAGIN.

Dicimus secessisse benedictum Papam Cyprianum à Clementio subdiacono, qui à vobis ad nos venit certa ex causa; quod vtique rectè fecerit, propterea quod cum sit persona insignis, & imminēte agone quem permisit Deus in sæculo colluctandi causa cum aduersario, simul cum seruis suis, volens etiam Angelis & hominibus certamen hoc manifestare, vt qui vicerit coronetur: victus verò portauerit in se sententiam, quæ nobis manifesta est. Et cum incumbat nobis qui videmur præpositi esse & Vicepastoris custodire gregem; si negligentes inueniamur, dicetur nobis quod & antecessoribus nostris dictum est, qui tam negligentes præpositi erant, quoniam perditum non requisiuimus, & errantem non correximus, & claudum non colligauimus, & lac eorum edebamus, & lanis eorum operiebamur, &c. Videtis ergo fratres, quoniā & vos hoc facere debetis, vt etiam illi qui ceciderunt, hortatu vestro corrigentes animos eorum, si adpræhensi fuerint iterato, confiteantur, vt possint priorem errorem corrigere. Et alia quæ incubunt vobis etiam ipsa subdidimus, vt si qui in hanc tentationem inciderunt, cæperint appræhendi infirmitate, & agant pænitentiam facti sui, & desiderent communionem, vtique subueniri eis debet, &c. Optamus vos carissimi benè valere.

Ex tom. 1. concil. Ezec 34. Ex tom. 1.

B C

Anno Domini 254. Cornelius Romanus tempore Decij Romanorū Imperatoris Pontifex electus est, qui plures dedit & accepit à sancto Cypriano Carthaginensi epistolas. huius Pontificis tempore Nouatianus à tribus Episcopis electus, Antipapa factus fuit, quem tamen Cyprianus reprobauit, nec cum eo consociationem tenere voluit. Res gesta in hac materia describitur à Cypriano epist. 49. ad Cornelium. & 52. ad Antonianum. quamobrem aliquas Cypriani epistolas hic recensebo, in quibus & legitima Cornelij electio, & pariter Africanæ Ecclesiæ ad Romanam Petri cathedram subiectio fit manifesta.

D

Epistola S. Cypriani Episcopi Carthaginensis ad Cornelium Romanum Pontificem.

Cyprianus Cornelio fratri salutem.

Venerunt ad nos, frater carissime, missi à Nouatiano, Maximus presbyter, & Augendus diaconus, & Macheus quidam & Longinus. Sed enim cùm ex literis, quas secum ferebant, & ex eorum sermone atq; asseueratione Nouatianum Episcopum factum comperissemus, illicitæ & contra Ecclesiam catholicam factæ ordinationis prauitate commoti,

Ex tom. 1. concil pag. 165.

à communicatione eos nostra statim cohibendos esse censuimus, refutatis interim ac retusis, quæ obstinatè ac pertinaciter asserere tentabant: Nam ego & collegæ mei plurimi, qui ad me conuenerant, expectauimus aduentum collegarum nostrorum Calidonij & Fortunati, quos ad te nuper & coepiscopos nostros, qui ordinationi tuæ affuerunt, legatos miseramus, vt eis aduentantibus, & rei gestæ veritatem reportantibus, maiore authoritate, & elucidata per eos probatione, partis aduersæ improbitas frangeretur: superuenerunt verò Pompeius & Stephanus collegæ nostri, qui & ipsi quoque ad instruendos istic nos manifesta secundùm grauitatem ac fidem suam indicia ac testimonia protulerūt, vt nec necesse fuerit audiri vltra eos qui à Nouatiano venerant missi: qui cum in statione, inuidiosis quoque conuicijs, & clamoribus turbulentis proruerent & flagitarent, vt crimina quæ se afferre ac probare dicebant, publicè à nobis & à plebe cognoscerentur, &c. A B

Altera S. Cypriani Epistola ad Cornelium Papam de Fortunato & Felicissimo, siue contra hæreticos.

Cyprianus Cornelio fratri salutem.

Ibidem pag. 161. LEgi literas tuas frater carissime, quas per Saturum fratrem nostrum acolythum misisti, & dilectionis fraternæ & Ecclesiasticæ disciplinæ, & sacerdotalis censuræ satis plenas, quibus significasti, Felicissimum hostem Christi, non nouum, sed iam pridem ob crimina sua plurima & grauissima abstentum, & non tantùm mea, sed plurimorum coepiscoporum sententia condemnatum, reiectum à te illic esse, &c. Sed enim lecta alia tua epistola, frater, quam primis literis subiunxisti, satis miratus sum, quum animaduertissem te minis atq; terroribus eorum qui venerant, aliquantum esse commotum, quum te (secundum quod scripsisti) agresi, essent cum summa desperatione cōminantes, quod si literas quas attulerant, non accepisses, publicè eas recitarent, & multa turpia ac probrosa & ore suo digna proferrent. Quod si ita res est, frater carissime, vt nequissimorum timeatur audacia, vt quod mali iure atq; æquitate non possunt, temeritate atque desperatione perficiant, actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesię gubernandæ sublimi ac diuina potestate: nec Christiani vltra aut durare aut esse iam possumus, si adhoc ventum est, vt perditorum minas atque insidias pertimescamus. Nam & Gentiles & Iudæi minantur, & hæretici atque omnes, quorum pectora & mentes diabolus obsidet, venenatam rabiem suam quotidie furiosa voce testantur: non tamen idcircò cedendum est quia minantur: aut ideo aduersarius & inimicus maior est Christo, quia tantum sibi vendicat & assumit in sæculo, &c. Nihil interest quis tradat aut sæuiat, quum Deus tradi permittat, quos disponit coronari, &c. Quales putas esse eos qui sacerdotū hostes, & contra Ecclesiam catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione nec futuri iudicij vltione terrentur? Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt aut nata sunt schismata, quàm indè, quod C D

Sacer-

A Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos & ad tempus iudex vice Christi cogitatur: cui si secundùm magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus sacerdotum collegium quicquam moueret, nemo post diuinum iudiciũ, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, iudicem se iam nõ Episcopi sed Dei faceret: nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet: nemo sibi placens ac tumens seorsum foris nouam hæresim conderet, nisi si ita est aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, vt putet, sine Dei iudicio fieri Sacerdotem, cum Dominus in Euangelio suo dicat. Nonne duo passeres asse væneunt, & neuter eorum cadit in terram sine patris vestri voluntate? Cum ille nec minima fieri sine voluntate
B Dei dicat, existimat aliquis summa & magna, aut non sciente, aut non permittente Deo, in Ecclesia Dei fieri & Sacerdotes idest, dispensatores eius non de eius sententia ordinari? hoc est fidem non habere, qua viuimus; hoc est Deo honorem non dare, cuius nutu & arbitrio regi & gubernari omnia scimus & credimus. Planè Episcopi non de voluntate Dei fiunt, qui extra Ecclesiam fiunt, sicut ipse Dominus in duodecim Prophetis ponit & dicit. Sibimetipsis regem constituerunt & non per me, &c. Et tamen ille non increpuit recedentes aut grauiter comminatus est, sed magis conuersus ad Apostolos suos dixit. Nunquid & vos vultis ire? seruans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio cõstitutus, sibimetipsi vel mortem appetit vel salutem.
C Petrus tamen super ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, vnus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ vocem respondens ait: Domine ad quem ibimus, &c. Cum hæc in notitia tua esse confiderem, & pro certo hærere memoriæ & disciplinæ tuæ scirem, necessarium non putaui celeriter & vrgenter hæreticorum tibi ineptias nunciandas. Neque enim ad catholicę Ecclesię maiestatem, pariter ac dignitatem pertinere debet, *Eccles. maiestatis.* quid apud se hæreticorum & schismaticorum moliatur audacia. Nam & pars Nouatiani Maximum presbyterum, nuper ad nos à Nouatiano legatum missum, atque à nostra communicatione reiectum, nunc istic sibi fecisse pseudo episcopum dicitur. Nec tamen de hoc tibi scripseram, quando hæc omnia contemnantur à nobis, & miserim tibi pro-
D ximè nomina Episcoporum istic cõstitutorum qui integri & sani in Ecclesia catholica fratribus præsunt, &c. Per Felicianum autem significaui tibi frater, venisse Carthaginem Priuatum veterem hæreticum in Pãbesitana colonia ante multos ferè annos, ob multa & grauia delicta nonaginta Episcoporum sententia condemnatum, antecessorum etiam nostrorum, quod & vestram conscientiam non latet, Fabiani & Donati literis seuerissimè notatum, qui cum causam suam apud nos in Concilio, quod habuimus idibus Maijs, quæ proximè fuerunt, velle se agere diceret, nec admissus esset, Fortunatum istum sibi pseudo Episcopum, dignum collegio suo fecit, &c. hi Romam cum mendaciorum suorum

Concil. in Africa 90. Episcoporũ

Tempore Gentilium principum magnus erat numerus Christianorũ in Africa.

merce nauigauerunt, quasi veritas post eos nauigare non posset, quæ mendaces linguas rei certæ probatione conuinceret, &c. Post ista adhuc insuper pseudo Episcopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri cathedram vsque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, (quorum fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum, &c. An adhuc frater carissime deponenda est catholicæ Ecclesiæ dignitas, & plebis intus positæ fidelis atque incorrupta maiestas, & Sacerdotalis quoq; auctoritas ac potestas, vt iudicare velle se dicant de Ecclesiæ Præposito, extra Ecclesiam constituti? de Christiano hæretici? de sano saucij? de integro vulnerati? de stante lapsi? de iudice rei? de Sacerdote sacrilegi? Quid superest quàm vt Ecclesia Capitolio cedat, & recedentibus Sacerdotibus, ac domini altare remouentibus, in cleri nostri sacrum venerandumque consensum, simulachra atque idola cum aris suis transeant, & Nouatiano declamandi aduersum nos atque increpandi largior & plenior materia præstetur, si ij qui sacrificauerunt, & Christum publicè negauerunt, non tantùm rogari, & sine acta pœnitentia admitti, sed adhuc insuper coeperint terroris sui potestate dominari? &c.

Rom. Eccl. non potest à fide recedere.

Concilium Carthaginense secundum sub Cornelio Papa celebratum contra Nouitianos hęreticos asserentes lapsos in fide nunquam in Ecclesia recipiendos esse & contra Felicianos opinantes lapsos absque pœnitentia mox suscipiendos esse. contra quos Cyprianus Concilium quatraginta duorum Episcoporum in vrbe Carthagine collegit: statuitque lapsos ad Ecclesiam recipiendos esse, adimpleta sibi imposita pœnitentia. quo Concilio absoluto, Cyprianus cum omnibus Episcopis qui eidē Concilio adfuerunt, Cornelio Papæ pro synodi confirmatione hanc, quę subsequitur, scripsit epistolam.

TERTIA AFRICANÆ ECCLESIÆ ad Romanam Petri cathedram Appellatio.

Cyprianus, Liberalis, Caldonius, Nicomedes, Cæcilius, &c. Cornelio fratri salutem.

Ex tom. 1. concil. pag. 177.

STatueramus quidem iampridem, frater carissime participato inuicem nobiscum consilio, vt qui in persequutionis infestatione supplantati ab aduersario, vt lapsi fuissent, ac sacrificijs se illicitis maculassent, agerent diu pænitentiam plenam, & si periculum infirmitatis vrgeret, pacē sub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas & diuina clementia, Ecclesiā pulsantibus claudi, & dolētibus & deprecantibus spei salutaris subsidiū denegari, vt de sæculo recedētes, sinè cōmunicatione & pace Dñi dimitterētur, quando permiserit ipse qui legem dedit, vt ligata in terris etiam in cęlis ligata essent, solui autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia soluerentur. Sed enim quum videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare cæpisse, & crebris atq; assiduis ostensionibus admoneamur, vt ad certamen, quod

nobis

A nobis hostis indicit, armati & parati simus, plebem etiam nobis de diuina dignatione commissam, exhortationibus nostris præparemus,& omnes omninò milites Christi, qui arma desiderant, & prælium flagitant intra castra Domini colligamus: necessitate cogente censuimus, eis qui de Ecclesia Domini recesserunt, sed pœnitentiam agere & lamentari, ac Dominum depræcari à primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse, & eos ad prælium, quod imminet, armari & instrui oportere. Obtemperandum est namque ostensionibus atque admonitionibus iustis, vt à pastoribus oues in periculo non deserantur, sed grex omnis in vnum congregetur, & exercitus Domini ad certamen militiæ cælestis armetur. Meritò enim trahebatur dolentium pœnitentia tempore

Spiritus sanctus reuelauit Cypriano aliâ proximamque Eccl persecutionem

B longiore, vt infirmis in exitu subueniretur, quandiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lachrymas, & subuenire serò morientibus in infirmitate pateretur. At verò nunc non infirmis,sed fortibus pax necessaria est: nec morientibus, sed viuentibus communicatio à nobis danda est, vt quos exhortamur & excitamus ad prælium,non inermes & nudos relinquamus, sed protectione Sanguinis & Corporis Christi muniamus: & quum adhoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse cōtra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculū

Efficacia Eucharistia.

C idoneos facimus,si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini, iure communicationis admittimus? Interesse debet, frater carissime, inter eos qui vel apostatauerunt, & ad sæculum cui renunciauerant reuersi,gentiliter viuunt: vel ad hæreticos transfugæ facti contra Ecclesiā patricidialia quotidie arma suscipiunt: & inter eos qui ab Ecclesiæ limine non recedentes,& implorantes iugiter ac dolenter diuina & paterna solatia,nunc se ad pugnam paratos esse & pro Domini sui nomine,ac pro sua salute stare fortiter & pugnare profitentur. Hoc in tempore pacem non dormientibus sed vigilantibus damus: pacem non delicijs sed armis damus: pacem non ad quietem, sed ad aciem damus: si secundum quod eos audimus, & optamus & credimus, fortiter

Communio sub vtramque specie.

D steterint & aduersarium nobiscum in congressione prostrauerint, non pænitet pacem concessisse tam fortibus: imò Episcopatus nostri honor grandis & gloria est, pacem dedisse martyribus,vt Sacerdotes qui sacrificia Dei quotidie celebramus,hostias Deo & victimas præparemus, &c. Ne igitur ore nostro quo pacem negamus, quod duritiam magis humanę crudelitatis,quàm diuinæ & paternę pietatis dulcedinem apponimus, oues nobis commissæ à Domino reposcantur: placuit nobis,sancto Spiritu suggerente,&Domino per visiones multas& manifestas admonente,quia hostis nobis imminere prænunciatur & ostenditur, colligere intra castra milites Christi, & examinatis singulorum causis, pacem lapsis

dare

dare, imò pugnaturis arma suggerere: quod credimus vobis quoque, paternæ misericordiæ contemplatione, placiturum. Quod si de collegis aliquis extiterit, qui vrgente certamine, pacem fratribus & sororibus non putant dandam, reddet ille rationem in die iudicij Domino, vel importunæ censuræ, vel in humanæ duritiæ suæ. Nos quod fidei & caritati & solicitudini congruebat, quæ erant in coscientia nostra protulimus: diē certaminis appropinquasse, hostem violentum citò contra nos exurgere, pugnam non talem qualis fuit, sed grauiorem multo & acriorem venire: hoc nobis diuinitus frequenter ostenditur, &c. Optamus te frater carissime semper benè valere. A

Petunt synodal. decr. confirmari. *Appellatio.*

Anno Domini 257. persecutione cessante, ad quassatam Ecclesiam componendam, Cyprianus eiusque collegæ Episcopi Africanæ Ecclesiæ, ex more conuenerunt, partim vt rectam fidem & catholicam vnitatem conseruarent, partim etiam vt collapsam Ecclesiasticam disciplinam restituerent ac bonos fidelium mores informarent, & tria pariter edidit decreta. primum fuit vt Diaconus Episcopo contumeliosus aut pœnitentiam agat & emendetur, aut deponatur. Secundum ne clerici in testamentis tutores constituantur. Tertium, Infantes ante octauū diem baptizari posse. hoc concilium celebratum est sub Stephano Papa cum quo Cyprianus deinceps certamen inijt circa baptismum hæreticorum: an scilicet hæretici rebaptizandi essent. de qua re satis diximus tomo primo libro octauo Cornelius autem Romanus Pontifex Stephani precessor, gloriosus martyr ex hac vita migrauerat. B C

QVARTA AFRICANÆ ECCLESIÆ ad Romanam Petri cathedram Appellatio.

Epistola Stephani Archiepiscopi & trium Conciliorum Africæ ad Damasum Rom. Papam Beatissimo D. & Apostolico culmine sublimato, sancto patri patrum Damaso Papæ & summo omnium præsulum Pontifici: Stephanus Archiepiscopus concilij Mauritaniæ, & vniuersi Episcopi de tribus concilij Africanæ Prouinciæ.

Ex tom 2. concil pag. 499.

NOtum vestrę facimus Beatitudini, quòd quidam fratres in confinio nobis positi, quosdam fratres nostros, venerabiles videlicet Episcopos, vobis inconsultis, à proprio deijciunt gradu, vel deijcere moliuntur, cum vestrę sedi Episcoporum iudicia & summorum finem Ecclesiasticorum negociorū, in honore beatissimi Petri, patrum decreta omniū, cunctam reseruauere sententiam, inquirendi reuerentia de Dei rebus, quas omni cura & solicitudine obseruare debemus. Maximè verò iustè debent ab ipso præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta solicitudo est tam mala damnare, quàm reuelare laudanda. Antiquis enim regulis censitum est, vt quicquid horum, quamuis in remotis vel in longinquo positis ageretur prouincijs, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, vt eius auctoritate, iuxta quod fuisset pronunciatum, firmaretur: & reliqua multoties talia & his similia quæ super his constituta sunt: quibus si illicitè factum est, vt semper vestræ sedi consuetudo fuit, festinanter occur- D

rite

A rite & his viriliter, vt pater pro filijs certantes state, sicut benè à Iesu filio Sirach dictum est: Vsque ad mortem certa pro veritate, & semper Dominus Deus tuus pugnabit pro te. Accipere enim personam impij non est bonum, vt declines à veritate iudicij. Sin minus illicita sunt hæc, pateat nobis talis omnibus licentia, beatissime pater. Aut si liceat hos, vel aliquos etiam minorum graduum clericos, nisi canonicè tempore legitimo vocatos, aut sine legitimis accusatoribus, aut absque veris & innocentibus testibus, vel nisi manifestè canonicè conuictos, aut sponte confessos, vel à suis sedibus eiectos, aut suis expoliatos rebus, vocare ad synodum vel damnare: quia legimus, eos non posse canonicè ad synodū, ante suam diu tenendam & gubernandam, viribus scilicet pleniter re- *Appellatio Africanorū ad Papam.*
B sumptis integerrimè euocari, aut vt veniant ad synodum, nisi sponte voluerint, imperari. Deus ergo Creator omnium conseruet longæuum Apostolatū vestrum ad stabilitatem Ecclesiarum sanctarū, & orthodoxę fidei, vosque Pastorem bonum, qui pro spiritualibus ouibus vestram ponitis animam, atque baculo pastorali lupos rapaces expellitis, omnibusq; oppressis auxilium fertis. Quod & istis atque omnibus vos semper facere optamus, sanctissime Papa. Subscriptio. Et alia manu. Ora pro nobis carissime Pater.

Epistola Damasi Papæ ad eundem Stephanum & ad concilia Africæ, qua decisiuam sententiam super exhibitas Appellationes tribuit.

Damasus seruus seruuorum Dei, atq; per gratiam eius Episcopus sanctæ catholicæ Eccesiæ vrbis Romæ, Stephano Archiepiscopo concilij Mauritaniæ. & vniuersis
C Episcopis Africanæ Prouinciæ.

LEctis fraternitatis vestræ literis, primò gratias ago, quòd tantorum fratrum merui benedictione frui: deinde quòd circa fratres solicitos vos reperi, & cum eis crucem Domini deferre qui ait. Qui vult venire post me, &c. Igitur quoniam in pręsenti opportunè gæstorum consultatione, Apostolicis vestra beatitudo visceribus commota, nos hortata est, tuitionem fratrum Apostolica impendere authoritate, & eorum iniurijs subuenire, dum constet, eadem vos cum Apostolo compassibiliter dicere. Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non vror? satagentes ne aliquis de his qui vobis crediti sunt, à sæuis bestijs laceretur aut capiatur. pro quare oportet, iuxta vestram prudentem cō- *Ibidem.*
D monitionem, magis autem secundum Domini diuinam præceptionem, nos qui supra domum eius, hoc est, vniuersalem Ecclesiam catholicam episcopale suscepimus ministerium, solicitè vigilare, ne de sacris eius muneribus, idest Apostolicis viris, Apostolorumque successoribus atq; ministris quisquam, nobis dormitantibus valeat supprimi, atque iniuste, nobisquè inconsultis, damnari. Scitis fratres carissimi, firmamentum à Deo fixum & immobile, atque titulum lucidissimum suorum sacerdotum, idest omnium Episcoporum, Apostolicam sedem esse constitutā, & verticem Ecclesiarum. Tu es enim (sicut diuinum pronunciat verbū veraciter) Petrus, & super firmamentum tuum Ecclesiæ columnæ, qui

Epi-

Episcopi intelliguntur,'confirmatæ sunt: & tibi claues regni cælorum A commisi, atque ligare & soluere potestatem quæ in cælis sunt & quæ in terris,promulgaui.Tu prophanatorum hominum & membrorum meorum, maximeque discipulorũ meorum existis vt princeps & doctor orthodoxæ & immaculatæ fidei, cuius vice hodiæ, gratia Dei, legatione pro Christo fungimur, & omnes huius sanctæ sedis præsules eius vices gesserunt,gerunt, & gerent. Ideo omnia quæ innotuistis,non licere mãdarem, nisi vos tam pleniter instructos esse scirem, quod cuncta, super quibus consulitis, illicita esse non dubitetis. Discutite namq; Episcopos & summas Ecclesiasticorum negociorum causas Metropolitano, vna cum omnibus suis prouincialibus, itaut nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordent negocijs,licet: sed definire eorum atque Ecclesiasticarum summas quærelas causarum, vel damnare Episcopos, absq; huius sanctæ sedis authoritate,minimè licet, quam omnes appellare, si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet, &c. Accusatores autem Episcoporum & testes, super quibus rogitastis, absque vlla infamia, aut suspicione, vel manifesta macula,& veræ fidei pleniter instructi esse debent,&c. Vocatio enim ad Synodum, canonica eius qui impetitur, tam sua præsentia, quàm & scriptis atq; apochrisarijs, per spatium fieri debet congruum atque canonicum,&c. De eiectis verò atque suis rebus expoliatis, nihil vobis verius significare queo, quàm sancti Patres diffinierunt & nostri prædecessores Apostolica authoritate roborauerunt. Ita enim hæc se habent. Episcopos eiectos, atque suis rebus expoliatos, Ecclesias proprias primò recipere,& sua eis omnia legaliter reddi,sancti canones decreuerunt, & postea si quis eos accusare voluerit, &c. Accusatores verò & accusationes, quas sæculi leges non adsciscunt, nullatenus sint in horum admittendæ causis, &c. Nullus autem introducatur personaliter, sed accusatores & accusati æqua audiantur ratione, &c. Nam inscriptio primò semper fiat, vt talionem calumniator recipiat,quia ante inscriptionem nemo debet iudicari vel damnari, cum & sæculi leges hæc eadem retineant, &c. Induciæ enim accusatis in criminalibus Episcopis ex mensium,vel eo amplius si necesse fuerit cõcedendæ sunt, &c. Patenter enim his & alijs innumerabilibus decretorum testimonijs, omnibus manifestum est,non debere Episcopum dãnari, licèt eius perscrutetur opinio,donec iudicium de eo nostræ Apostolicæ authoritatis, hoc est principis Apostolorum Petri cognoscatur, vt poté quoniam solus & pre omnibus créditus est atque percipere meruit à Rege Regum Christo Deo claues regni cælorum,&c.Ideo quæ huic sanctæ sedi concessa sunt, nullus vsurpare sine eius consultu præsumat, qui non vult honore Ecclesiastico indignus aut contemptor iudicari, &c. Itaque qui potest obuiare & perturbare peruersos, & non facit,nihil aliud est, quàm fauere eorum impietati. Nec enim caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obuiare, &c. Dominus vos custodiat dilectissimi

Iudicialis sententiæ super propositas Appel. (margin, beside B)

Pœna talionis. (margin)

Markers in the right margin: B beside "singulorum concordent…", C beside "enim hæc se habent…", D beside "nibus manifestum est…".

fratres

A fratres incolumes ſemper. Data octauo Kaleldas Nouembris Flauio & Stilicone viris clariſſimis Conſulibus.

QVINTA AFRICANÆ ECCLESIÆ

Ad Rom. Petri cathedram Appellatio: cuius deciſiua ſententia in ſequenti habetur epiſt-

Epiſtola eiuſdem Damaſi Papæ ad Epiſcopos Numidiæ.

Dominis venerabilibus fratribus, Proſpero Numidiæ primæ ſedis Epiſcopo, Leoni, Reparato, Alexandro, Benedicto, Ruſo & omnibus cæteris, vbique in recta ſancta & Apoſtolica fide conſiſtentibus orthodoxis Epiſcopis, Damaſus Epiſcopus.

Licèt fratres cariſſimi vobis ſint nota Patrum decreta, mirari tamen non poſſumus veſtram ſolertiam circa inſtituta maiorum, vt cuncta quæ poſſnnt aliquam recipere dubitationem, ad nos quaſi ad caput, *Appellatio Numid. Episcoporum*
B vt ſemper fuit conſuetudo, deferre non deſinatis, vt inde capiatis reſponſa, vnde Eccleſia accepit inſtitutionem & normam rectè viuendi, &c. Igitur de chorepiſcopis, de quibus nos conſulere voluiſtis, quale ſit eorum miniſterium, aut quid eis agere liceat, aut quam authoritatem habeant, vel ſi liceat eos fieri an non, quia audiuimus iam eos eſſe prohibitos, aut quid de his, qui iam ordinati reperiuntur agendum ſit: nil vobis certius reſpondere nobis videtur, &c. Nimis ergo eorum inſtitutio improba, nimis eſt praua; quia vt hi de ſummo ſacerdotij miniſterio aliquid præſumant, omni authoritate caret, & ſacris canonibus inuenitur eſſe contrarium, atque ad totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba & ſuperflua tendit elatio, & vacuum eſt & inane quicquid in prædicto ſacerdo-
C tij ſummi egerunt miniſterio. Quod ipſi ijdem ſint qui & presbyteri, ſufficienter inuenitur, quia ad formam & exemplū ſeptuaginta, inueniuntur prius inſtituti, &c. Nam vt nobis relatum eſt, quidam Epiſcoporum, propter ſuam quietem, eis plebes ſuas committere non formidant: & vt illicita atque prohibita agunt, iiſdem ea quę ſolis Pontificibus debentur, ſibi vſurpant, & ipſi in ſua quiete torpent, & curam ſibi à Deo commiſsā negligunt, cum Dominus dicat, Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis, &c. Et ideo ſunt prohibiti, intantum, vt ſi aliqui ex his reperti fuerint à proprio decidant gradu. Illi namq; Epiſcopi, qui talia ſibi præſumunt, videntur mihi eſſe meretricibus ſimiles, quæ ſtatim vt pariunt, infantes ſuos alijs nutricibus tradunt educandos, vt ſuam citius libidinē *Sentētia ſu per Appell.*
D explere valeant. Sic & iſti infantes ſuos, ideſt populos ſibi commiſſos, alijs educandos tradunt, vt ſuas libidines expleant, ideſt vt pro ſuo libitu ſæcularibus curis inhient, & quod vnicuique viſum fuerit, liberius agant. Pro talibus enim animæ negliguntur, oues pereunt, morbi creſcunt, hæreſes & ſchiſmata prodeunt, Eccleſiæ deſtruuntur, ſacerdotes vitiantur, & reliqua mala proueniunt. non taliter Dominus docuit, nec Apoſtoli iſtituerunt: ſed ipſi qui curam ſuſcipiunt, ipſi peragant, & ipſi proprios manipulos Domino repræſentent, &c. Corrigantur hæc fratres neceſſe eſt, quia qui plus laborat maiorem mercedem accipiet. Nam non amplius quā duos ordines inter diſcipulos Domini eſſe cognouimus, ideſt

duodecim Apostolorum & septuaginta discipulorum, vnde iste tertius, A processerit, funditus ignoramus, &c. Cum autem dixit chorepiscopum, profecto villanum voluit intelligi Episcopum. Et si villanus, quid agit in ciuitate, cum in vna ciuitate duo omnino prohibeantur esse Episcopi? &c. cum & in modica ciuitate vel in villa aut castello Episcopus fieri prohibeatur, &c. Omnia hæc decretalia, & cunctorum prædecessorum nostrorum constituta, quæ de Ecclesiasticis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vobis & omnibus Episcopis, ac cunctis generalibus sacerdotibus custodiri debere mandamus, vt si quis in illa cōmiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari, quoniam occurreret veritas, si falsitas displiceret. & meritò nos qui summa Ecclesiæ tenere debemus gubernacula, causa respicit, si silentio faueamus errori. Datum B Kalendis Iunij Liuio & Theodosio viris clarissimis Consulibus.

SEXTA AFRICANÆ ECCLESIÆ APPELLATIO

Ad quam decidendam Siricius Papa synodum 80. Episcoporum Romæ collegit; decisiuam autem sententiam in sequenti epistola denunciat.

Epistola Siricij Papæ ad Episcopos Africanos.

Dilectissimis fratribus & coepiscopis per Africam; Siricius.

Ex tom. 1. concil. pag. 534.

QVum in vnum plurimi fratres conuenissemus ad sancti Apostoli Petri reliquias, per quem & Apostolatus & Episcopatus in Christo cœpit exordium, placuitque propter emergentes plurimas causas, quę in aliquantis non erant causæ sed crimina, vt de cætero solicitudo esset vnicuique in Ecclesia curam huiusmodi habere, sicuti Apostolus prædicat Paulus, talem Deo Ecclesiam exhibendam non habentem maculam C aut rugam, &c. Extiterunt enim nonnulli, qui statuta maiorum contemnentes, castitatem Ecclesiæ præsumptione sua violarunt, voluptatem populi sequentes, Dei iudicium non timentes. Ergo ne pari more silentio conniuere atque adhibere consensum talibus videamur, vnde gehennæ pœnas possimus incurrere, dicente Domino, Furem videbas & currebas cum eo, &c. hæc sunt, quæ deinceps, intuitu diuini iudicij omnes catholicos Episcopos expedit custodire. Primum, vt extra conscientiam sedis Apostolicæ, hoc est primatis audeat ordinare. Integrum enim iudicium est, quod plurimorum sententia consequatur. 2. Ne vnus Episcopus Episcopum ordinare præsumat propter arrogantiam, ne furtiuum beneficium præstitum videatur. hoc enim in synodo Nicæna constat esse de- D finitum. 3. Item si quis post remissionem peccatorum, cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clerum admitti non debet. 4. Vt mulierem, idest viduam, clericus non ducat vxorem. 5. Vt is, qui laicus viduam duxerit, non admittatur ad clerum. 6. Vt aliena de Ecclesia ordinare clericum nullus vsurpet. 7. Vt abiectum clericum alia Ecclesia non admittat. 8. Vt venientes à Nouatianis vel Montensibus, per manus impositionem suscipiantur, præter eos quos rebaptizant. 9. Præterea, quod dignum & pudicum & honestum est, suademus vt sacerdotes & Leuitæ cum vxoribus suis non coeant, quia in ministerio diuino quoti-

diani

A dianis necessitatibus occupantur, &c. Talibus enim oportet labentibus manum porrigere, qui sic currentem non pertrahant in ruinam. Data Romæ in concilio Episcoporum 80. sub die octaua idus Ianuarij, post consulatum Arcadij Augusti & Bautonis vir. clarissim. consulum.

SEPTIMA AFRICANÆ ECCLESIÆ
Ad Romanam Petri cathedram Appellatio: quæ à sequenti concilio Carthaginensi 37. Episcoporum fuit exhibita.

An. Dom. 385.

Concilium Carthaginepse triginta septem Episcoporum, Pelagium & Cœlestium hæreticos damnauit. & hanc, quæ subsequitur, Epistolam synodalem Innocentio Papæ dedit.

Appellatio

Domino beatissimo & honoratissimo fratri Innocentio Papæ, Aurelius, Numidius, Rusticianus, &c. qui in concilio Ecclesiæ Carthaginensis assuimus.

Ex tom. 1. concil. pag. 385.

B CVm ex more ad Carthaginensem Ecclesiã solemniter veniremus, atq; ex diuersis causis, congregata ex nobis synodus haberetur, &c. His ergo lectis, Pelagium & Cœlestium authores nefarij prorsus & anathematizandi ab omnibus nobis erroris aduertimus. Vnde factum est vt recensendum peteremus, quid ante fermè quinquennium super Cœlestij nomine hic apud Ecclesiam Carthaginensem fuerit agitatum. Quo recitato, sicut ex subditis aduertere poterit sanctitas tua, quamuis iudicatio manifesta constaret, quia illo tempore Episcopali iudicio, excisum hoc tantũ vulnus ab Ecclesia videretur, nihilominus tamen id communi deliberatione censuimus, huiusmodi persuasionis authores, quamuis & ad presbyterium idem Cœlestius postea peruenisse dicatur, nisi hæc C apertissimè anathematizauerint, ipsos anathematizari oportere, vt si ipsorum non potuerit, saltem eorũ qui decepti sunt ab eis, vel decipi possunt, cognita sententia, quæ in eos lata est sanitas procuretur. Hoc itaq; gestum Domine frater, sanctæ caritati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis, etiam Apostolicę sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam etiam peruersitate corrigẽda. Id enim agunt isti damnabilibus disputationibus suis, vt non defendẽdo, sed potius in sacrilegam superbiam, extollẽdo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei qua Christiani sumus, &c. Si ergo Pelagius Episcopalibus gestis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi iustè visus fuerit absolutus, error tamen ipse & impietas, D quæ iam multos assertores habet, per diuersa dispersos, etiam Apostolicę sedis authoritate anathematizanda est. Consideret enim sanctitas tua, & pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quàm sit pestiferũ & exitiale ouibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessario sequitur, vt nec orare debeamus ne intremus in tentationem, quod discipulos monuit & posuit in oratione quam docuit, &c. Paruulos etiam propter salutem quæ per Saluatorem Christum datur, baptizandos negant, ac sic eos mortifera doctrina in æternum necant, promittentes etiã si non baptizentur habituros vitam æternam, &c. Vnde etiam si Pelagius Cœlestiusque correpti sunt, vel si ista nũquam sensisse se dicunt, & quæcumque scripta contra eos prolata fuerint, sua esse negabunt, nec

Inter epist. S. August. est 90.

est quemadmodum de mendacio conuincantur generaliter tamen quicunque dogmatizat & affirmat humanam sibi ad vincenda peccata & Dei mandata facienda, sufficere posse naturam, & eo modo gratiæ Dei quę sanctorum euidētius orationibus declaratur, aduersarius inuenitur: & quicunque negat paruulos per baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit. Quæcunque autem alia eis objiciuntur, non dubium venerationem tuam, cum gesta Episcopalia perspexerit, quæ in Oriente in eadem causa cōfecta dicuntur, id iudicaturam, vnde omnes in Dei misericordia gaudeamus. Ora pro nobis Domine beatissime Papa. A

Rescriptum Innocentij Papæ ad Concilium Carthaginense, quod in causa fidei Papam appellauit, vt synodi sententiam ratam haberet. B

Innocentius Aurelio, & omnibus sanctis Episcopis, vel cæteris qui in concilio Carthaginensis Ecclesiæ affuerunt dilectissimis fratribus in Domino salutem.

Ex tom. 1. concil. pag. 583.

IN inquirendis his rebus, quas omni cum solicitudine decet à sacerdotibus, maximè à vero iustoque & catholico tractari concilio, antiquę traditionis exempla seruantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, nostræ religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quàm antea cū pronunciaretis, veneratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes quid Apostolicę sedi debeatur (cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolū), à quo ipse Episcopatus & tota authoritas nominis huius emersit. Quem sequentes, tam mala iam damnare nouimus, quàm probare laudanda, vel id verò quòd patrum instituta sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda: quod illi non humana, sed diuina decreuere sententia: vt quicquid, quamuis de disiunctis remotisque Prouincijs ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius sedis notitiam perueniret, vt tota huius authoritate (iuxta quæ fuerit) pronunciatio firmaretur: indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ (velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorruptę manarent) quid præcipere, quos abluere, quos veluti in cæno inemundabili sordidatos, mundi digna corporibus vnda vitaret. Gratulor igitur carissimi fratres quod per fratrem & coepiscopum nostrum Iulium, literas ad nos destinastis. & cum pro illis curam geritis, quibus præsidetis Ecclesijs solicitudinem vestram pro omnium vtilitate monstratis: [& per cūctas totius orbis Ecclesias, quod omnibus prosit, decernendum esse vnà deposcitis, &c. Quemadmodum Pelagius Cœlestiusque seposita omni responsione psalmorum, talique abdicata doctrina, sua furos se aliquibus esse confidunt, nos adiutorium Dei nec debere quærere, nec egere, cùm omnes sancti nihil se sine hoc agere posse testentur? Liberum enim arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius vtitur bonis, cadens, in pæuaricationis profunda demersus est: & nihil quemadmodū exinde surgere posset, inuenit, &c. Sed satis vestris monitis & sic satis abundantibus nostræ legis exemplis probatur esse responsum. Nec quic-

Ex lib. ep. S August. 91. — *Appellatio.* — C — D

quam

A quam ſupeteſſe dicimus quod dicamus, cum nihil prætermiſſum à vobis, nihil conſtet eſſe ſuppreſſum, quo illi refutati & penitùs cognoſcantur eſſe conuicti. Ideoque à nobis teſtimonia nulla ponuntur, quia & his plena relatio eſt, & ſatis conſtat, vt doctiſſimos ſacerdotes cuncta dixiſſe. Nec decet credere, vos aliquid quod ad cauſam poſſit proficere, prætetijſſe. Et alia manu bene valete fratres.

OCTAVA AFRICANÆ ECCLESIÆ Ad Romanam Petri cathedram Appellatio.

Ex tom. 1. Conc. pag. 161. & inter epiſt. S. Auguſt. 92

Epiſtola concilij Mileuitani in Africa ad Innocentiũ Papam, qua Patres Appellat. exhibent. Domino beatiſſimo, meritoque venerabili in Chriſto honorando Papæ Innocentio, Siluanus ſenex (ideſt Primas) Valentinus, Aurelius, Donatus, Reſtitutus, Lucianus, Alipius, Auguſtinus, Placentius, Seuerus, &c. (fuerunt Epiſcopi quinquaginta
B nouem) ex concilio Meliuitano, in Domino ſalutem.

QVia te Dominus gratiæ ſuo præcipio munere in ſede Apoſtolica collocauit, talemque noſtris temporibus præſtitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem quæ pro Eccleſia ſunt ſuggerenda tacuerimus, quàm ea tu poſſis vel faſtidioſè vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum mem btorum Chriſti paſtoralem diligentiam (quæſumus) adhibere digneris. Noua quippe hæreſis, & nimium petnicioſa tentat aſſurgere inimicorũ gratiæ Chriſti, qui nobis Dominicam etiam orationem impijs diſputationibus conantur aufetre. Cum enim Dominus docuerit vt dicamus, Dimitte nobis debita noſtta ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, iſti dicunt,
C poſſe hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem iuſtitiæ, ſine adiutorio gratiæ Saluatotis, per ſolum liberæ voluntatis arbitrium peruenire, vt etiam non ſit neceſſarium dicere, Dimitte nobis debita noſtra. Illud verò quod ſequitur, ne nos inferas in tentationẽ, non ita intelligendum, tamquam diuinum adiutorium poſcere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus: Sed hoc in noſtra poſitum eſſe poteſtate, & ad hoc implendum ſolam ſufficere hominis voluntatem, tanquam fruſtra Apoſtolus dixerit: Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Et fidelis eſt Deus qui vos non permittit tentari ſuper id quod poteſtis, ſed faciet in tentatione etiam exitum, vt poſſitis ſuſtinere. Fruſtra etiam Dominus dixerit Apoſtolo Petro: Rogaui pro te ne
D deficiat fides tua. Et omnibus ſuis: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Si hoc totum eſt poteſtatis humanæ, pueros quoque paruulos, ſi nullis imbuantur Chriſtianæ gratiæ ſactamentis, habituros vitam ęternam, nequaquam Chriſtiana præſumptione contendunt, euacuantes quod dicit Apoſtolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſijt, inquo omnes peccauetunt, &c. Vt ergo alia omittamus, quæ contra ſcripturas ſanctas plurima diſſetunt, hæc interim duo quibus omnino totum quod Chriſtiani ſumus, conantur euertere, quæ fidelia corda ſuſtineant, non eſſe rogandum Deum, vt contta peccati malum, atque ad operandam

Concilium appell. PP. in rebus fidei.

iuſti-

iustitiam sit noster adiutor: & non opitulari paruulis, ad consequendam A
vitam æternam, Christianæ gratiæ sacramentum? Hæc insinuantes A-
Appellatio postolico pectori tuo non, habemus opus multa dicere, & tantam impietatem verbis exaggerare, cum proculdubio te ista permoueant, vt ab eis corrigendis, ne latius serpant, moltosque contaminent vel potius interimant, dum sub nomine Christi, à gratia Christi penitùs alienant, omnino dissimulare non possis. Huius autem perniciosissimi erroris authores esse perhibentur Pelagius & Cœlestius, quos quidem in Ecclesia sanari maluimus, quàm disperata salute ab Ecclesia resecari, si necessitas nulla compellat. Quorum vnus, idest Cœlestius, etiam ad presbyterium in Asia peruenisse dicitur. De quo ante paucos annos quid gestum fuerit, sanctitas tua de Carthaginensi Ecclesia melius instruitur. B
Pelagius verò (sicut à quibusdam fratribus nostris missæ loquuntur epistolæ) Ierosolymis constitutus, nonnullos fallere asseritur. Veruntamen multo plures qui eius sensus diligentius indagare potuerunt, aduersus eũ pro Christi gratia, & catholicæ fidei veritate confligunt, sed præcipuè sanctus filius tuus, frater & compresbyter noster Hieronymus. Sed arbitramur (adiuuante misericordia Domini Dei nostri Iesu Christi, quæ te
S Hieron. encomium & regere consulentem, & orantẽ exaudire dignatur, authoritati sanctitatis tuæ de claro scripturarũ lumine depromptæ, facilius eos, qui tam peruersa & perniciosa sentiunt, esse cessuros, vt de correptione potius eorũ gratulemur: quàm contristemur interitu, Domine beatissime. Quodlibet autem ipsi eligant, certè vel alijs, quos plurimos possunt, si ab eis dis- C
simuletur, suis laqueis implicare, cernit venerabilitas tua, instanter & celeriter prouidendum. Hæc ad sanctitatem tuam de concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginensem Ecclesiam, & Carthaginensis Prouinciæ coepiscopos nostros, quos ad sedem Apostolicã, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus. Et alia manu. Memor nostri in Domini gratia augearis, Domine beatissime, meritoque venerabilis & in Christo honorande sanctissime Papa.

Rescriptum Innocentij Papæ ad supradictum Mileuitanum concilium.
Innocentius Syluano Seni, Valentino, & cæteris qui in Mileuitana synodo interfuerunt, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

Ex tom. 1. Conc. pag. 584. inter epist. S. Augustin. ep. 93. INter cæteras Ecclesiæ Romanæ curas, & Apostolicæ sedis occupatio- D
nes, quibus diuersorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus, frater & coepiscopus noster Iulius dilectionis vestrę literas, quas ex Mileuitano concilio cura fidei propensiore misistis, mihi inopinanter ingessit, Carthaginensis etiam synodi quærelæ parilis scripta subiungens. Nimirum exultat Ecclesia, tantam sollicitudinem commissis gregibus exhibere pastores, vt non solùm neminem ex his patiantur errare, sed si quas ouium magis sæuæ delectationis herba seduxit, ac si in errore permanserint, aut segregari penitus velint, aut illicitè vel illicenter dudum petita vitantes, custodiæ pristinæ circumspectione tutari, in vtraq; par-

te

A te videlicet consulentes, ne vel suscipiendo tales, simili cæteræ ducantur exemplo, vel spernendo redeuntes, luporum morsibus videantur ingestæ. Prudens admodum, & catholicæ fidei plena consultationis voluntas. Quis enim aut tolerare possit errantem, aut non recipere corrigentē? Nam vt durum arbitror, conniuentiam præbere peccantibus, ita impiū iudico manum negare conuersis. Diligenter ergo & congruè Apostolici consultis honoris arcana, honoris inquam illius, quem præter illa quæ sunt extrinsecus, solicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxijs rebus quæ sit tenenda sententia: antiquæ scilicet regulam secuti, quam toto semper orbe mecum nostis esse seruatam. Verum hæc missa facio. Neque enim hoc vestram credo latere prudentiam, quid id etiam actione
B firmastis, scientes quod per omnes Prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiscopos nostros, non nisi ad Petrū, idest sui nominis & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesijs omnibus in commune prodesse. Fiant enim necesse est cautiores, cum inuentores malorum ad duplicis relationem synodi, sententiæ nostræ statu tis viderint ab Ecclesiastica communione seiunctos. Gemino igitur bono charias vestra fungetur: nam & canonum potiemini gratia seruatorum, & beneficio vestro totus orbis vtetur, &c. quid enim acerbius in Dominū fingere potuerunt, quam cum adiutoria diuina cassarent, causamq; quo-
C tidianæ precationis auferrent? Hoc est dicere, quo mihi opus Deo? meritò in hos dicat hymnodicus: ecce homines qui non posuerunt Deum in adiutorem sibi. Negantes ergo auxilium Dei, inquiunt hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere diuina, qua priuatus, necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mādata, sola tantummodo libertate contendet. &c. Quare Pelagium Cælestiumque idest inuentores vocum nouarum, quę sicut dixit Apostolus, ædificationis nihilum, sed magis vanissimas consueuerunt parare quæstiones: Ecclesiastica communione priuari, Apostolici vigoris authoritate censemus, donec resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, secundum ipsius voluntatem: eosque interim Dominico ouili non
D recipi, quoad ipsi peruersæ viæ quem secuti sunt tramitem deserere voluerint. Abscindendi sunt enim qui nos conturbant, & volunt conuertere euangelium Christi. Simul autem præcipimus, vt quicunq; id pertinacia simili defensare nituntur, par eos vindicta constringat (non solū enim qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus) quia non multum interesse arbitror inter committentis animum, & consentientis fauorem. &c. Iubemus sanè, quia Christus Dominus noster propria voce signauit nolle se mortem morientis, sed tātum vt reuertatur & viuat, vt si vnquam ad sanum (deposito praui dogmatis errore) resipuerint dānauerintque ea quorum seipsi præuaricatione damnarunt, eis medicinam

solitam, ideſt receptaculum ſuum, ab Eccleſia non negari: ne dum eos A redeuntes forſitan prohibemus, verè extra ouile remanentes, expectantis, hoſtis rapidis faucibus glutiantur, quas in ſemetipſos ſpiculis malæ diſputationis armarunt. Bene valete fratres. Datum 6. Kalendas Feb. Honorio & Conſtantio viris clariſſimis Conſulibus.

Ex tom. 1. concil. pag. 605.

Anno Domini 417. poſt obitum Innocentij, Zoſimus decima nona Auguſti eligitur, qui eſt annus Honorij 23. & Theodoſij 10. Pelagius & Cœleſtius ab Africanis condemnati, etiam conſentiente & confirmante hãc damnationem Innocentio Romano Pontifice, vt ſupra narrauimus, vt ſolennem ſui damnationem audierunt, Innocentium appellarũt, oblatoque fidei libello planè catholico, ſe in omnibus paratos eſſe dixerũt eadem de fide ſentire, quæ Rom. Pontifex ſentienda proponeret. Quibus B perſuaſus Zoſimus Pontifex qui Innocentio ſucceſſit, de vtroq; vt videri poterat, catholico reddito, ad eoſdem Africanos Epiſcopos literas dedit, quas infra ſubiungemus. & quid in cauſa Pelagij inter Zoſimum Papam & Africani concilij Patres actũ fuerit, infra etiam enarrabimus.

Interea Romæ Cœleſtius in iudicium vocatus, de fide & doctrina examinatus, peccatum originale cum Pelagio negaſſe repertus fuit, quamobrem in vtrumque ſacer Patrum conſeſſus hanc ſententiam damnationis protulit, vt niſi correpti pœnitentiam agerent, toto Orbe terrarũ damnati cenſerentur. Sixtus Romanus presbyter, Cœleſtini in Pontificatu ſucceſſor, quem Pelagianæ hæreſeos fautorem ac Patronum eſſe calumniati fuerant, primus in illos anathema proclamauit, & commen- C tarium aduerſus eoſdem ſcripſit, teſte Auguſt. epiſt. 104. & 105. Honorius Imperator edicto promulgato eoſdem etiam proſcripſit. Fautores Pelagij ex clero Romano, tamquam rebelles & perturbatores omnium, à Zoſimo excommunicati, cum ad Honorium Imperatorem de Pontifice conquæſturi ſe contuliſſent, ſub pœna excommunicationis vitari iubentur per epiſtolam Zoſimi ad presbyteros & diaconos Rauennates perſcriptam.

Damnati hæreſiarchæ, Pontificem, clerum Romanum, Auguſtinũ, alioſue catholicos calumnijs impetiuerunt, & Eccleſiam Romanam Orientalibus odioſam reddere laborarunt: ſed fruſtra. Inuenitur tandem diſſentio quædam Africanorum Epiſcoporum cum Romano Pontifice D oborta, de proſecutione ſcilicet ad ſedem Apoſtolicam Appellationum: & Fauſtinum Epiſcopum Potentinum in Piceno, Aſellum & Philippum Legatos à latere anno D. 418. Carthaginem miſſos eſſe pariter legimus. Et quia interim Zoſimus ex hac vita migrauit, res ad Bonifacium ſucceſſorem eius deuoluta fuit. Quid autem in hac cauſa & controuerſia verùm ſit, & quid reſolutum, infrà dicemus.

A NONA EX AFRICA A D ROMANAM PETRI CATHEDRAM Appellatio: quæ Cœlestij fuit, & in sequenti epistola exponitur.

Epistola Zosimi Papæ ad Africanos Episcopos, qua Cœlestium, prout videri poterat, catholicum esse nuciat.

Zosimus Aurelio & vniuersis Episcopis per Africam constitutis dilectissimis fratribus in Domino salutem.

MAgnum pondus examinis magna desiderat, vt non sit rebus ipsis quæ geruntur inferior libra iudicij. His accedit Apostolicæ sedis authoritas, cui in honorem beatissimi Petri, patrum decreta peculiarem quandam sanxere reuerentiam,&c. Cœlestius presbyter nostro se ingessit examini, expetens ea, quæ de se Apostolicæ sedi aliter quam oportuit essent inculcata purgari. Et licèt multæ occupationes maioribus

B vinculis Ecclesiasticorum negotiorum curam nostram solicitudinemq; distraherent: tamen ne paternitatis vestræ de aduentu ac discussione prædicti diutius penderet expectatio, posthabitis omnibus, die cognitionis resedimus in S. Clementis basilica, qui imbutus beati Petri Apostoli disciplinis, tali magistro veteres emendasset errores, ratosque profectus habuisset, vt fidem quam didicerat & docuerat, etiam martyrio consecraret: scilicet vt ad salutiferam castigationem, tanti sacerdotis auctoritas præsenti cognitioni esset exemplo. Omnia igitur quæ prius fuerant acta discussimus, sicut gestorum huic epistolæ cohærentium instructione discetis. Intromisso Cœlestio, libellum eius quem dederat, fecimus re-

C citari. Nec hoc contenti, vtrum hæc quæ scripsisset corde loqueretur an labijs, sæpenumero explorauimus, cum de occultis animorum solius Dei nostri possit esse iudicium, cui non tantum cogitata, sed cogitanda iam præsto sunt. Quid voces eius contineant, compendiosius duximus ad sanctitatem vestram legenda cognosci. Vnum sanè mouet nos, vt cum in præsenti ibi Cœlestium habuertis, nihil liquido iudicatum sit. Ad literas Herotis & Lazari priori relatione destinata, equidem hoc feruore fidei præfestinatum esse, promptissimum est,&c. Vnde in præsenti causa nihil præcox immaturumq; censuimus, sed innotescere sanctitati vestræ super absoluta Cœlestij fide nostrum examen: cui etiam prior libellus ab eo intra Africam testimonio apud nos esse debuisset, ne in explo-

D ratis, famaque iactantibus tam facilè crederetur. Quare intra secundum mensem aut veniant qui præsentem redarguant aliter sentire, quàm libellis & confessione contexuit: aut nihil post hæc tam aperta & manifesta quæ protulit, dubij sanctitas vestra resedisse cognoscat. Ipsum sanè Cœlestium & quoscunque qui eo tempore ex diuersis regionibus aderant sacerdotes admonui, has tendiculas quæstionum & inepta certamina quæ non non ædificant, sed magis destruunt, ex illa curiositatis contagione profluere, dum vnusquisque ingenio suo & intemperanti eloquentia suprascripta abutitur,&c. Ex multiloquio non vitari peccatum. Et sanctus Dauid postularet circumstatiam labijs suis, orique custodiã.

Caritatem vestram tam Apostolicę sedis auctoritate, quam mutua amoris affectione commoneo, vt iam ingenia vestra sanctarum omnium scripturarum, quæ secundum traditionem patrum atque maiorum præcepta sunt, præceptis obseruationibusque sufficiant. Quid illic, non abundans? &c. A

DECIMA EX AFRICA AD APOSTOLICAM SEDEM
Appellatio: quæ Pelagij fuit, & in sequenti exprimitur epistola.
Epistola Zosimi Papæ ad Africanos, qua etiam Pelagium catholicum videri scribit.
Zosimus Episcopus Aurelio & vniuersis Episcopis per Africam constitutis, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

POstquam à nobis Cœlestius presbyter auditus est, & quid de fide sentiret euidenter exprexit: eadem quoque quæ in libello contulerat, repetitis crebro professionibus, roborauit: de eius nomine plênius ad dilectionem vestram scripta direximus. B Ecce epistolam Ierosolymitani Episcopi Praylij, qui in locum quondam sancti Ioannis Episcopus est ordinatus, accepimus, qui causæ Pelagij enixus adstipulator interuenit. Literas quoque suas idem Pelagius purgationem continentes abundantissimè misit: quibus & professionis suæ fidem, quid sequeretur, quidue damnaret, sine aliquo fuco, vt cessarent totius interpretationis insidiæ, cumulauit. Harum recitatio publica fuit: omnia quidem paria & eodē sensu sententijsque formata, quæ Cœlestius ante protulerat, continebant. Vtinam vllus vestrum, dilectissimi fratres, recitationi literarum interesse potuisset. quod sanctorum virorum qui aderant gaudium fuit? quæ admiratio singulorum? C Vix fletu quidam se & lachrymis temperabant. Tales etiam absolutæ fidei infamari potuisse? est ne vllus locus, in quo Dei gratia vel adiutorium prætermissum sit? quod quisquis potest præter eandem vel mente concipere, nec illi supernæ sententiæ subiectus, quæ de sancto Spiritu lata est, quod neque hic neq; in futuro venia vel remissione donetur? Video etiam hunc Pelagium, Herote & Lazaro scribentibus, infamari. Ita ne fratres dilectissimi, ad aures vestras, qui sint isti turbines Ecclesiæ vel procellæ nec opinione peruenit? &c. Hæc ideo scripsimus, vt de cætero si qui absentes, minusque noti de quolibet talia ex libidine mentientur, fixi sint pedes vestri aduersus alietem fraudulentiæ. Vnde & lucernam pedibus suis ac lumen semitis suis vir sanctus exorat: scilicet ne inter fallaces tenebras sint cæca nobis & errabunda vestigia, &c. D Et in Actibus Apostolorum aduersus principes sacerdotum & seniores Iudæorum postulantes absentis Pauli Apostoli damnationem, iustissimam sententiam Gentilis Festus Tribunus protulit, quam conuenit etiam nos in facie credentium obijcere verecundiam, dicens: Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina: Si hanc igitur moderationm extra septum fidei nostræ positus tenuit contra sacerdotalem pudorem inclinato, crudelitas de absentibus in absentes: quotusquisque immunis inuenietur à

A vulnere, si ad omnem ferientis ictum credulum pectus aperitur? &c. Si Deo nostro cordi fuit, propter oues perditas, Verbum carnem fieri, & ex Domino formam seruientis induere, vt diu interceptam redderet libertatem: sit vobis gaudium eos quos falsi iudices criminabantur, agnoscere à nostro corpore & catholica veritate nunquam fuisse diuulsos. Certè hoc quod nostra expectatio desiderabat, luxit, vt damnanda damnarent, & sequenda sequerentur, &c. quantum hæc vberior exultatio est fidei, non mortuos esse nec perijsse de quibus falsa vulgata sunt? Misimus igitur ad dilectionem vestram exemplaria scripturarum, quas Pelagius misit: quarum lectionem non ambigimus parum vobis in Domino de absoluta eius fide esse lætitiam. Dat. 11. Kal. Octobris.

B LIBELLVS FIDEI PELAGII AD INNOCENTIVM

Cum epistola transmissus, sed à Zosimo acceptus.

CRedimus in Deum Patrem Omnipotentem, &c. Resurrectionem etiam carnis confitemur & credimus, vt dicamus nos in eadem inqua nunc sumus veritate membrorum esse reparandos: qualesque semel post resurrectionē fuerimus affecti, in perpetuum permansuros. Vnam esse vitam sanctorum omnium, sed præmia pro labore diuersa: è contario pro modo delictorum, peccatorum quoque esse supplicia. Baptisma vnum tenemus, quod ijsdem Sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in maioribus, asserimus esse celebrandum. Hominem si post baptismum lapsus fuerit, per pœnitentiam credimus posse saluari, &c. Execramur etiam eorum blasphemias qui dicunt inpossibile aliquid homini à Deo præceptum esse, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse seruari: vel qui primas nuptias cum Manicheo, vel secundas cum Cataphrigis damnant. Anathematizamus etiam illos, qui Dei Filium necessitate carnis mentitum esse dicunt, & eum propter assumptū hominem non omnia facere potuisse quę voluit. Iouiniani quoque damnamus hæresim, qui dicit in futuro meritorum nullam esse distantiam, nosque eas ibi habituros esse virtutes, quas hic habere neglexerimus. Liberum sic esse confitemur arbitrium, vt dicamus nos semper Dei indigere auxilio: & tam illos errare, qui cum Manicheis dicunt hominem peccatum vitare non posse, vt semper nos liberi confiteamur esse arbitrij. Hæc est fides Papa beatissime quam in Ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus & tenemus. In qua si minus peritè, aut parum cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur: quicunque me maculare voluerit, se imperitum vel maleuolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.

Sciendum est à Lectore, Pelagium & Cœlestium eadem hæresi fœdatos, eadem arte fallendi sedem Apostolicam ambos vsos fuisse. Sicut enim Cœlestius ita Pelagius in literis quas ad Innocentium scriptas, eo

defuncto Zosimus accepit, nihil prӕterea magis conatus est, quàm ab ipso Romano Pontifice catholicus videri atque probari. Et ne posset velut hӕreticus reijci, addita fidei confessione ac libello quem nunc retulimus, professus est se in omnibus paratum esse eadem de fide sentire, quę Romanus Pontifex sentienda proponeret. Has literas vna cum libello fidei adiuncto dum Zosimus accepisset, sicut prӕcedentem epistolã de Cœlestio, item hanc de Pelagio iam catholico, (prout videri poterat) reddito, ad eosdem Africanos Episcopos scripsit. A

Epistola Zosimi Papӕ ad concilium Carthaginense.

Zosimus Aurelio ac cæteris, qui in concilio Carthaginensi affuerunt, dilectissimis fratribus in Domino salutem.

QVamuis Patrum traditio Apostolicӕ sedi auctoritatem tantam tribuerit, vt de eius iudicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper regulasque seruauerit: & currens adhuc suis legibus Ecclesiastica disciplina Petri nomine, à quo ipsa quoque descendit, reuerentiam quam debet, exoluat: tantam enim huic Apostolo canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, vt & ligata solueret, & soluta vinciret: par potestatis data conditio in eos, qui sedis authoritatẽ, ipso annuente, meruissent. Habet enim ipse cùm omnium Ecclesiarum, tum huius maximè vbi sederat, curam: nec patitur aliquid priuilegij aut aliqua titubare aura sententiӕ, cui ipsa sui nominis firma & nullis hebetata motibus constituit fundamenta, & quӕ sine periculo temerè nullus incesset. Cum ergo tantӕ auctoritatis Petrus caput sit, & sequentia omnium maiorum studia firmauerit, vt tam humanis diuinisque legibus & disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cuius locum nos regere, & potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis fratres carissimi, & quemadmodum sacerdotes, scire debetis: Tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, vt nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus, quòd non ad vestram notitiam nostris vltrò literis referremus, dantes hӕc fraternitati, vt in commune consulentes, non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra vtilitatem Ecclesiӕ veniens displiceret, sed pariter vobiscum voluimus habere tractatũ, de illo qui apud vos (sicut ipsi per literas dicitis) fuerit accusatus, & ad nostrã qui se assereret innocentem, non refugiens iudiciũ ex appellatione pristina, venerit sedem, accusatores suos vltro deposcens, & quӕ in se crimina per rumorem falsò dicebat illata condemnas: omnem eius petitionem prioribus literis quas vobis misimus, putauimus ac nouimus explicatam: satisq; illis scriptis, quӕ ad illa rescripseratis, credimus esse responsum. Sed post missӕ per Marcellinum subdiaconum vestrum epistolӕ omne volumen voluimus: quo aliquando perlecto, ita totum literarum comprӕhendistis textum: quasi nos Cӕlestio commodauerimus in omnibus fidem, verbisque eius non discussis, ad omnem, vt ita

B C D

Magna Papa potestas.

Litera Carthaginensis conc. ad Zosimum reddita.

dicam

A dicam, syllabam præbuerimus assensum. Nunquam temerè quæ sunt diu tractanda finiuntur; nec sine magna deliberatione statuendum est, quod summo debet disceptari iudicio. Idcirco nouerit vestra fraternitas nihil nos post illas quas superiùs vel literas vestras accepimus, immutasse, sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudum fuerant, cū hoc nostris literis vestræ indicauimus sanctitati, vt illa quæ à vobis ad nos missa erat obtestatio, remaneret. Subscripsi. bene valete. Data 12. Kal. Aprilis Honorio Augusto 12. Conf. Accepta tertiò Kalend, Maias.

Anno Domini 418. defuncto Zosimo, Bonifacius Romanus Pontifex electus est. huius pontificis tempore concilium illud Africanum quod dicitur sextum, seu Carthaginense sextū inchoatum asseritur, quod po-B stea vsque ad Cęlestini tempora perdurauit in quo de modo prosequendę Appellationis, seu de non dandis Appellationibus ad Apostolicam sedē disceptatum scribitur præsentibus Romanæ sedis & aliarum Ecclesiarū legatis viginti duobus, quod in tomo primo Concilior. ex Binio habetur pag. 615. & 644. Quæ disceptatio dicitur per annos quinque ab Afris patribus protracta, vsque dum ab Orientalibus Nicæni canones ad Africanos Episcopos transmissi fuerint à quibus eos postulauerant. Verùm quia Nicænos & non Sardicenses canones petierunt, natus est error & rumor de iure Appellationum suscipiendarū à Romana cathedra vsurpato: quod in synodo generali Sardicensi, quæ appendix concilij Nicæni dicitur, sancitum fuit: quia Orientales non Sardicenses canones, C sed solùm Nicænos, miserunt. In concilio autem Sardicensi Can. tertio, quarto, quinto, & decimo, de hoc antiquo Romanæ cathedræ iure fusè differitur. Licèt huius concilij Africani, de quo loquimur disceptatio quā habuit de iure Appellationum, potius commenticia & conficta ab hostibus fidei & Romanæ cathedrę esse videatur: quia Afrorum patrum neminem conciliorum Nicæni & Sardicensis exemplaria habuisse impossibile videtur. Et cum vsque ad tempus præfati concilij trium sæculorū spatio sedem Apostolicam Appellauerint, arduum esse videtur, vt deinceps hanc veritatem de Romanæ Petri cathedræ iurisdictione dubiam reddere ausi fuerint. nam vt ex præmissis patet, Africana Ecclesia vsque ad illud tempus, Romanæ cathedræ obsequentissima fuit. Præterea cap. D primo seu Actione & sessione prima huius Africani concilij, Legati Papæ ad ius Romanæ cathedræ tuendum Canones concilij Nicæni proposuerunt: & patres Afri se tales canones ab Orientalibus accipere velle dixerunt, cum ergo ab Orientalibus hos canones petierunt, cur non Sardicenses, quos iam Orientales habuerunt & retinent sed solos Nicænos postularunt? certè synodus hęc cum epistolis suis aliqua saltem falsitate, fictione, & impostura non caret. Ad de quòd si canones solius Nicæni concilij perpendamus, hoc ius Romanæ cathedræ de quo loquimur optime inde eligitur: nam canone sexto Diæceses Episcoporū Alexandrię & Antiochię describuntur, & plura Regna & multę

Prouin-

Prouinciæ illis iam ab initio subditæ confirmantur. & rationem huius rei A
dantes, aiunt, [quia Romano Episcopo parilis mos est.] quid enim est hoc, nisi quia à Romano Episcopo hæc lex emanauit, & ipse reliquarum Orbis Prouinciarum curam tenet immediatam? si enim Orientaliũ Prouinciæ sub Alexandrino & Antiocheno Episcopis immediate collocantur, (& si omnis ciuitas suum proprium haberet Episcopum) adhoc vt iura Episcoporum & clericorũ cæterorum per appellationes ad prænominatos Episcopos non violarentur, nec quisquam in sua dignitate vim pateretur: Africa, & cæteræ Occidentales Prouinciæ sub nullo Patriarcha degere debeant? consequens ergo est, vt illius Nicæni concilij canonis sensus sit, vt sicut Romanus Episcopus Patriarchale & Pastoris munus super Occidentales Prouincias immediate retinere voluit & exercet, B
sic Alexandrinus & Antiochenus in præfatis Prouincijs hanc teneant curam & dignitatem. ergo patres Afri, etiam ex solo concilio Nicæno poterant suam erga Romanam cathedram subordinationem recognoscere: & si in concilio Sardicensi id explicè sancitum fuerit. igitur ex omni capite concilium hoc Africanum de veritate suspectum apparet.

Etiam ex canone Niceno 6. elicitur Africanos cæterosq; Occidentales debellare Papam appellare.

Marcus Antonius Cappellus nostri Ordinis min. Con. S. Francisci doct. insignis, hoc concilium percurrens, Opusculum quoddam consultò cõposuit & in lucem edidit, quo falsitatem huius concilij cum suis epistolis ad Bonifacium & Cælestinum Romanos Pontifices directis, ostendit: eo quia ex his quæ in hoc præfato concilio leguntur huius temporis hæretici multa contra Romanam cathedram obijciant, quæ infra recensebimus & refellemus. & efficacissimis rationibus rem hanc ficticiam fuisse demonstrat. C
Attamen rationẽ, vnã quam ad suam sententiam probandem assumit, reijciam. Igitur, cum huius concilij & epistolarũ eius falsitatem ex tempore mendaciter citato colligit, sufficienter concludere non videtur: videlicet, quia Romani Consules tunc temporis describuntur in Actis, qui tamen cùm illud concilium coactum scribitur, munus Consulis non habebant. Quia non desunt cæteræ summorum Pontificũ legitimæ epistolæ, in quas falsitas temporis Consulatus irrepsit, quas tamen non reijcimus nec reijcere debemus, vt est epistola prima Iulij Papæ quæ data scribitur Feliciano & Maximiano Consulibus: quæ tamen anno Domini 337. Feliciano & Titiano Consulibus tradita fuit. ex tom. D
primo Concil. pag. 400.

Romana synodus sub Iulio Feliciano & Maximiano Consulibus coacta scribitur, quæ anno Christi 337. Feliciano & Titiano Consulibus celebrata est. tomo primo Concil. pag. 413.

Epistola quinta Gelasij Papæ ad Episcopum Dalmatiæ data scribitur Fausto V.C. Cons. quæ Albino V.C. Cons. scrip. fuit tom. 2. conc. p. 239.

Epistola secunda Ioannis Papæ primi ad omnes Italiæ Episcopos, data legitur Maximo & Olybrio Consulibus, quæ tamen data est tempore Consulatus Olybrij absq; collega anno D. 526. tom. 2. concil. p. 379.

iund

A imò ipsũ Sardicense concilium vt patet tomo 1. conc. ex Binio pag. 433. anno sexto Constantij Imperatoris, Leontio & Salustio Consulibus notatur celebratum, quod tamen rectiùs dici debet anno vndecimo eiusdem Constantij, Ruffino, & Eusebio Consulibus fuisse coactum, vt idem Binius monet ex Baronio anno D. 347. quod etiam in nonnullis alijs synodis euenisse legimus, vt versatis in rerum Ecclesiasticarum historijs patet: consequens est, vt hæc ratio, ad hoc concilium Africanum reijciendũ reddatur inefficax: quidquid igitur sit, hanc Africanam synodum hic exarare & examinare decreui: & deinceps, veritatem doctrinæ de Appellatione, quam præbemus, minimè læsam demonstrabo. nam rationes, quas huius temporis hæretici contra catholicam Ecclesiam inde cõ-
B ponunt, nihil prorsus concludere etiam patefaciam. imò ad hostes fidei fortius vincendos, gratis hanc Africanam synodũ reipsa celebratã fuisse, vt etiam Card. Baronius eam iam coactam supponit, concedam. nihil tamen pro se inde colligent, prçter cognitionem, quam, si voluerint, inde obtinere possunt, nempe hæreticorum opiniones, inanibus, phanaticis, & leuissimis innixas esse fundamentis.

Concilium Carthaginense sextum Tempore Zosimi, & Bonifacij & Cælestini Romanorum Pontificum celebratum. de prosequendis vel non prosequendis ad Apostolicam sedem Appellationibus. Caput primum.

POT Consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorij duodecimum, & Theodosij octauum Augustorum, octauo Kal. Iunij, scripta
C hæc sunt Carthagine in secretario basilicæ Fausti, cùm Aurelius Papa vna cum Valentino primæ sedis Numidiæ, & Faustino Ecclesiæ Potentinæ, primæ sedis prouinciæ Italiæ Piceni, legato Ecclesiæ Romanæ, sed & legatis diuersarum Prouinciarum Africanarum, idest Numidiarum duarum, Byzanæ, Mauritaniæ Sitifensis, & Mauritaniæ Cæsariensis, sed & Tripolis, & Vincentio Culicitano, Fortunatiano & cæteris Episcopis prouinciæ Proconsularis, ducentis decem & septem, nec non Philippo & Asello presbyteris Romanæ Ecclesiæ, cum consedisset, adstantibus diaconibus, Aurelius Episcopus dixit.

Post diem præstitutam concilij, vt recordamini fratres carissimi, multa flagitata sunt, per expectantes fratres nostros qui nunc ad præsentem
D synodum legati aduenerunt, quæ gestis necesse est consocientur. Qua de re Domino nostro, de tãtç congregationis cœtu gratias referimus. Super est, vt tam exemplaria Nicæni concilij, quæ nunc habemus, & à patribus constituta sunt: quàm etiam hic à prædecessoribus nostris, eandẽ firmantes synodum, vel quæ secundum eam formam, per omnes clericorum gradus à summo vsque in vltimum salubriter ordinata sunt, in medium proferãtur. Ab vniuerso concilio dictũ est: Proferantur. Daniel notarius recitauit. Nicæni conc. fidei professio vel statuta sic se habent.

Et cum legisset Faustinus Episcopus plebis Potentinç prouinciç Italiç Piceni, legatus Romanæ Ecclesiæ dixit. Iniuncta nobis sunt à sede Apostoli.

stolica aliqua per scripturam, aliqua etiam in mandatis cum vestra beatitudine tractanda, sicut & gestis superioribus meminimus. Hoc est de Nicænis canonibus, vt conseruentur, & constituta eorum & consuetudo, quia aliqua ordine & canone tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt. De his ergo primitùs, si placet beatitudini vestræ, tractemus: & postea cætera quæ acta vel inchoata sunt, inserta formabuntur, vt ad sedem Apostolicam rescriptis vestris intimare possitis, atq; nos vos admonuisse apud venerabilem Papam euidēter pateat, licèt & capitula actionum iam inserta sint gestis. De ipsis ergo vt dictum est superius, quid vestræ beatitudini placeat, agere debemus. Veniat ergo commonitorium in medium, vt scire posit vestra beatitudo, quid in eo contineatur, vt ad singula respondeatur. A B

Aurelius Episcopus dixit: proferatur commonitorium, quod fratres & consacerdotes nostri in actis nuper alligauerunt, & cætera quæ acta sunt, vel quæ agenda sunt, subsequantur. Daniel Notarius recitauit commonitorium.

Fratri Faustino, & filijs Philippo & Asello, Zosimus Episcopus.

Vobis commissa negotia non latent. Vos ita vt nostra, imò quia nostra ibi in vobis præsentia est, cuncta peragite: maximè cum & hoc nostrum possitis habere mandatum, verba canonum, quæ in pleniorem firmitatem huic commonitorio inseruimus. Ita enim dixerunt, dilectissimi fratres, in concilio Nicæno, cùm de Episcoporum appellatione decernerent. Placuit autem, vt si Episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo deiecerint eum, & appellasse Episcopus videatur & confugerit ad beatissimum Ecclesię Romanæ Episcopum, & voluerit audiri, & iustum putauerit vt renouetur examen: scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnia requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quòd si his qui rogat, causam suam iterum audiri, deprecatione sua mouerit Episcopum Romanum, vt è latere suo presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi Romani quid velit, & quid existimet. Et si decreuerit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis iudicent habentem authoritatem eius, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit sufficere Episcopos, vt negocio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio suo iudicauerit. C D

Et cum recitaret, Alypius Episc. Tagastensis legatus prouincię Numidiæ dixit. De hoc iam superioribus etiam literis concilij nostri rescripsimus, & id nos seruaturos profitemur, quod Nicæno concilio constitutū est. Adhuc tamen me mouet, quoniam cum inspiceremus Græca exemplaria huius synodi Nicænæ, ista ibi nescio qua ratione minimè inuenimus. Vnde petimus venerationem tuam, sancte Papa Aureli, vt quia hoc authenticum concilium Nicęnum in vrbe dicitur esse Constantinopolitana, aliquos cum scriptis suæ sanctitatis mittere digneris: & non

A solum ad ipsum sanctum fratrem nostrum Constantinopolitanum Episcopum, sed etiam ad Alexandrinum & Antiochenum venerabiles sacerdotes, qui hoc nobis concilium cum subſtipulatione literarum suarũ dirigant, vt omnis postmodum ambiguitas auferatur: quia nos ita, vt frater Faustinus attulit, minimè inuenimus. Ista nos tamen tantisper seruaturos, vt antea dixi, donec integra exemplaria veniant, profitemur. Petendus est autem literis nostris & venerabilis Ecclesiæ Romanę Episcopus Bonifacius, vt ipse quoque dignetur ad memoratas Ecclesias aliquos mittere, qui eadem exemplaria prædicti Nicæni concilij, secundum eius possint scripta proferre. Nunc autem memorati concilij Nicæni qualia exemplaria habeamus, his gestis sociemus.

B Faustinus Episcopus legatus Ecclesiæ Romanæ dixit. Nec vestra sanctitas præiudicat Ecclesiæ Romanæ, siue de hoc capitulo, siue de alijs quia dicere dignatus est frater noster & coepiscopus Alypius, dubios esse canones. Sed hæc ipsa ad sanctum & beatissimum Papam nostrum scribere dignemini, vt & ipse & integros canones inquirens, cum vestra sanctitate de omnibus constitutis tractare possit. Sufficit autem, vt & ipse beatissimus Episcop. vrbis Romæ, sicuti vestra sanctitas apud se tractat, ita & ipse inquirat, ne contentio inter Ecclesias nasci videatur: sed magis caritate fraterna deliberare possitis, ipso rescribente, quid melius obseruari debeat. Aurelius Episcopus dixit: Præter ista quæ promisimus actis, necesse est, vt etiam nostræ paruitatis literis, sancto fratri & consacerdoti nostro Bonifacio, singula quæ tractamus, plenissimè intimemus.
C Ergo si omnibus placet prosecutio nostra, ore omnium condiscamus. Vniuersum concilium dixit: Placet.

Nouatus Episcopus, legatus Mauritaniæ Sitifensis dixit: Nunc meminimus, in hoc præsenti commonitorio lecto, etiam de presbyteris siue diaconibus contineri, qualiter ab Episcopis suis vel à finitimis audiri debeant, quod in Nicæno concilio minimè legimus: Vnde hoc ipsum iubeat sanctitas vestra nobis recitari. Aurelius Episcopus dixit. Recitetur ad locum etiam hoc quod deposcitur. Daniel notarius recitauit. De appellationibus autem clericorum, idest minoris loci, restat ipsius synodi certa responsio: De qua re quid acturi sitis, credimus inserendũ quod
D taliter dictum est ex Sardicensi Concilio. Osius Episcopus dixit: Quid me adhuc moueat, reticere non debeo. Si Episcopus forte iracundus Can. 17.
(quod esse non debet) citò aut asperè commoueatur aduersus presbyterum siue diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, prouidendum est, ne innocens damnetur aut perdat communionẽ. Et ideo habeat potestatem eiectus, vt finitimos interpellet Episcopos, vt causam suam audiant, & diligenter tractent, quia non oportet negari audientiã roganti. Et ille Episcopus, qui aut iustè aut iniustè eum eiecit, patienter accipiat, vt negotiũ discutiatur, & probetur eius aut emendetur sentẽtia.

Cumque recitaretur, Augustinus Ecclesiæ Hipponis Regiensis lega-

Digitized by Google

tus prouinciæ Numidiæ dixit. Et hoc nos ſeruaturos profitemur, ſalua A
diligentiore inquiſitione concilij Nicæni. Aurelius Epiſcopus dixit: ſi hoc etiam omnium veſtræ caritati placet reſponſione firmate. Vniuerſum concilium dixit. Omnia quæ in Nicæno concilio ſtatuta ſunt nobis omnibus placent. Iocundus Eccleſiæ Sufeſtulæ Epiſcopus, legatus prouinciæ Bizacenæ dixit. Quod conſtitutum eſt in Nicæno concilio violari à quoquam nullatenus poteſt.

Fauſtinus Epiſcopus legatus Eccleſiæ Romanæ dixit. Adhuc ſecundum profeſſionem ſanctitatis veſtræ, tam ſancti Alypij, quàm & fratris noſtri Iocundi, aliqua infirmari credo, aliqua firmari debeant, cũ iam in dubiũ ipſi canones venerint. Ergo vt placet & nobis & beatitudini veſtrę ad ſanctũ & venerabilem Eccleſię Romanę Bonifacium Epiſcopum veſtra referre dignetur ſanctitas, vt & ipſe, quod ſanctus Auguſtinus ſtatuere dignatus eſt, deliberare poſſit, vtrum nam & hoc concedendum ſit, an reticendum, hoc eſt de appellationibus inferioris gradus. Si ergo adhuc in dubium venit de hoc capitulo, iuſtum eſt, vt beatiſſimæ Romanæ ſedis Epiſcopus informari debeat, ſi tamen in approbatis canonibus hoc inueniri poſſit. B

Aurelius Epiſcopus dixit: etiam quæ dudum veſtræ caritati intimauimus, nunc patimini exemplaria ſtatutorum Nicæni concilij, ſed & quę hic ſalubriter à noſtris deceſſoribus, ſecundum eiuſdem concilij normã formata ſunt vel quæ nunc ordinata ſunt à nobis recitari & geſtis inſeri. Omne concilium dixit: exemplaria fidei & ſtatuta Nicænæ ſynodi, quæ, C
ad noſtrum concilium per beatæ recordationis, olim prædeceſſorem tuę ſanctitatis (qui interfuit) Cæcilianum Epiſcopum allata ſunt, ſed & quę patres ea exemplaria ſequentes hic conſtituerunt, vel nunc communi tractatu ſtatuimus, his geſtis Eccleſiaſticis inſerta manebunt, ita vt ſuperius dictum eſt, venerabilibus viris Antiochenæ & Alexandrinę ſed & Conſtantinopolitanæ Eccleſiarum Epiſcopis, ſcribere veſtra beatitudo dignetur, vt exemplaria veriſsima concilij Nicæni ſub adſtipulatione literarum ſuarum dirigant, quo declarata veritate, ea capitula (quæ in commonitorio præſens frater & coepiſcopus noſter Fauſtinus & compresbyteri Philippus & Aſellus ſecum attulerunt) aut ibidem reperta à nobis firmabuntur: aut ſi non inueniuntur, collecta ſynodo, de hoc in D
ſequenti tractabimus.

Epiſtola ab omni concilio Africano ad Bonifacium vrbis Romæ Epiſcopum, per Fauſtinum Epiſcopum Philippum & Aſellum presbyteros, legatos Eccleſiæ Romanæ, directa.

Domino beatiſſimo & honorabili fratri Bonifacio, Aurelius, Valentinus primæ ſedis prouinciæ Numidiæ, & cæteri qui præſentes adfuimus, num. 217. ex omni concil. Africæ,

QVoniam Domino placuit vt de his qui nobiſcum egerunt, ſancti fratres noſtri, coepiſcopus Fauſtinus, & compresbyteri Philippus & Aſellus, non beatæ memoriæ Epiſcopo Zoſimo, à quo ad nos mandata & literas attulerunt, ſed tuæ venerationi, qui in eius locum es diuinitus conſtitutus, humilitas noſtra reſcriberet: ea breuiter inſinuare de-

A bemus, quæ vtrorumque concordia terminata sunt, non ea quæ prolixis gestorum voluminibus continentur: in quibus (salua quidem caritate, non tamen sine paruo altercationis labore) demorati sumus, ea gestis delibantes, quæ nunc ad causam pertinent, quanquam & ille, si adhuc esset in corpore, hoc acciperet gratiùs quod videret pacatius terminatum, domine frater. Apiarius presbyter (de cuius & ordinatione & excommunicatione fuerat exortum, non solum Siccensi, verum etiam toti Africanæ Ecclesiæ non leue scandalum) de omnibus erratis suis veniam petens, communioni est restitutus. Prior autem coepiscopus noster Siccensis Vrbanus quod, in eo corrigendum visum est, sine vlla dubitatione correxit. Quia verò paci & quieti Ecclesiæ non tantũ
B ad præsens, sed etiam in posterum prospiciendum fuit, quoniam talia multa præcesserant, vt vel similia, vel etiam grauiora deinceps præcaueri oporteret: placuit nobis, vt de Siccensi Ecclesiâ, retento scilicet honore gradus sui, presbyter remoueretur Apiarius: & accepto Epistolio vbicunque alibi vellet & posset, presbyterij munere fungeretur: quod eidem ipsi per literas proprias postulanti, sine difficultate concessimus. Sanè priusquam hæc causa isto termino clauderetur, inter alia, quæ diuturnis disceptationibus versabamus, quia rogatio ipsa poscebat, vt apud acta Ecclesiastica à fratribus nostris Faustino coepiscopo & Philippo atque Asello compresbyteris quæreremus vt promerent, quicquid eis nobiscum fuisset iniunctum agendum, nonnulla quidem sine vllo scri-
C pto prosecuti sunt verbis: sed cum id potius flagitaremus, quod in literis ferrent, commonitorium protulerunt. Quod recitatum nobis, etiam gestis quæ secum ad vos deferunt, est allegatum. In eis quatuor quidem nobiscum agenda, mandata sunt: Vnum de Appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ sacerdotem. Alterum ne ad comitatum Episcopi importunè nauigent. Tertium de tractandis presbyterorũ & diaconorum causis apud finitimos Episcopos, si à suis excommunicati perperam fuerint. Quartum de Vrbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam euocando, nisi ea quę videbantur corrigenda, corrigeret. Quorum omnium de primo & tertio, idest vt Romam liceat Episcopis prouocare, & vt clericorum causæ apud suarum Prouinciarum Episco-
D pos finiantur, iam priore anno etiam literis nostris ad eundem venerabilis memoriæ Zosimum Episcopum datis, insinuari curauimus, vt ea seruare sine vlla eius iniuria paulisper sineremus, vsque ad inquisitionem statutorum concilij Nicæni. Et nunc de tua poscimus sanctitate vt quemadmodum ea apud Nicæam à patribus acta vel constituta sunt, sic ea à nobis facias custodiri, & ibi apud vos ista, quæ in commonitorio attulerunt, facias exerceri, idest. Si Episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo deiecerint eum, & appellasse videatur, & confugerit ad beatissimum Ecclesiæ Romanæ Episcopum, & voluerit audiri,

& iustum putauerit, vt renouetur examen, scribere his Episcopis digne- A
tur, qui in finitima & propinqua Prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnia
requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod si his qui rogat causã
suam iterum audiri, deprecatione sua mouerit Episcopum Romanum,
vt è latere suo presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi quid velit;
& quid æstimet, & si decreuerit mittendos esse qui &c. Item de presby-
teris & diaconibus: si Episcopus quis iracundus, &c. Hæc vtique vsque
ad aduentum verissimorum exemplariorum Nicæni concilij inserta ge-
stis sunt: quæ si sibi (quemadmodum ipso quod apud nos fratres ex A-
postolica sede directi, commonitorio alligauerunt) continerentur, eoq;
ordine vel apud vos in Italia custodirentur, nullo modo nos talia (qua-
lia commemorare iam nolumus) vel tolerare cogeremur, vel intolera- B
bilia pateremur. Sed credimus, adiuuante misericordia Domini Dei no-
stri, quod tua sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente, non sumus iam
istum typhum passuri: & seruabuntur erga nos ea, quæ nobis etiam non
differentibus custodiri debeant, cum fraterna caritate, quæ secundum
sapientiam atque iustitiam, quam tibi donauit Altissimus, etiã ipse per-
spicis esse seruanda, si fortè aliter se habent canones concilij Nicæni.
Quamuis enim plurimos codices legeremus, sed nunquam in Nicæno
concilio in Latinis codicibus legimus, quemadmodum in supradicto
commonitorio inde directa sunt: tamen quia hic in nullo codice Græco
ea potuimus inuenire, ex Orientalibus Ecclesijs, vbi perhibentur eadem
decreta posse etiam authentica reperiri, magis nobis desideramus affer- C
ri. Pro qua re tuam quoque venerationem obsecramus, vt scribere etiã
ipse digneris ad illarum partium sacerdotes, hoc est Ecclesiæ Antioche-
næ, Alexandrinæ & Constantinopolitanæ & alijs, si etiam tuæ placuerit
sanctitati, vt inde ad nos ijdem canones, apud Nicæam ciuitatem à pa-
tribus constituti, veniant, te potissimùm hoc beneficium cunctis Occi-
dentalibus Ecclesijs in Domini adiutorio conferenti. Quis enim dubitet
exemplaria esse verissima concilij in Græcia Nicænę synodi congrega-
tæ, quæ de tam diuersis locis, & de nobilibus Græcis Ecclesijs adlata &
comparata concordant? Quòd donec sunt hæc quæ in commonitorio
supradicto nobis allegata sunt, de appellationibus Episcoporum ad Ro- D
manæ Ecclesiæ sacerdotem, & de clericorũ causis apud suarum prouin-
ciarum Episcopos terminandis, nos vsque ad probationem seruaturos
esse profitemur: & beatitudinem tuam ad hoc nos adiuturam, in Dei vo-
luntate confidimus. Cætera vero quæ in nostra Synodo gesta vel firma-
ta sunt, quoniam supradicti fratres nostri Faustinus coepiscopus, Philip-
pus & Asellus compresbyteri secum ferunt, si dignatus fueris, tuæ nota
facient sanctitati. Et alia manu. Dominus noster te nobis annis plurimis
custodiat beatissime frater. Subscripserunt quoque Alypius, Augustinus
Possidius, Marinus & cæteri Episcopi 217.

Posthæc ijdem concilij Africani patres super huiusmodi rem ad Epi-
sco-

A ſcopos Alexandrinum, Antiochenum & Conſtantinopolitanum ſcripſerunt, petentes ab eis exemplar concilij Nicæni: à quibus illud vtique acceperunt, ſed non concilij Sardicenſis exemplar, quia illud non petierunt. quamobrem præfati Epiſcopi literas huius & eiuſdem tenoris quē nunc referam reddiderunt. & ne lectorem verborum prolixitate grauemus, epiſtolam Conſtantinopolitani Epiſcopi, cum cæteræ vt diximus eiuſdem ſint tenoris, ſolùm recenſebo.

Dominis ſanctis, meritò beatiſſimis fratribus coepiſcopis, Aurelio, Valentino, & cæteris cariſſimis in ſynodo apud Carthaginem habita conſtitutis, Atticus Epiſcopus Conſtant.

PER filium noſtrum Marcellum ſubdiaconum veſtrum, ſcripta veſtræ dilectionis cum omni gratiarum actione ſuſcepi. Domino gra-
B tias agens quòd merui tantorum fratrum benedictione perfrui, domini beatiſſimi fratres. Scribitis ſanè vt veriſſimos canones apud Nicæam ciuitatem, Metropolim Bithiniæ à patribus conſtitutos ſub fidei adſtipulatione dirigam. Et quis eſt, qui communem fidem, vel ſtatuta, à patribus firmata ſuis fratribus deneget, Qua de re, per eundem filium meum Marcellum ſubdiaconum veſtrum, nimium feſtinantem, ſicut ſtatuta ſunt in Nicæa ciuitate à patribus canones in integro, vt iuſſiſtis, direxi: petens vt pro me plurimum veſtra ſancta congregatio orare iubeat. & alia manu. Deus noſter ſanctitatem veſtram cuſtodiat, quod optamus, ſancti fratres.

C His ergo peractis, Afri Epiſcopi qui iā ſæpe ſimul conuenerant, adeo quod per quinquenium idem concilium (licet quaſi plura fuerint recitetur & noteur perduraſſe videatur, plures canones pro ſuis Eccleſijs reformandis & corrigendis ſanxerunt, & demum cum ex canonibus concilij Nicæni acceptis ius appellationum ad Romanam Petri cathedram non inueniſſent, quia in concilio generali Sardicenſi, quod eſt Appendix concilij Nicæni, tantùm fuerunt & ad ſunt. æſtimantes quod opinati ſunt verum eſſe, ſe nempè à iudicio Romanæ cathedræ eſſe immunes, hanc quæ ſubſequitur, ſynodalem epiſtolam Cæleſtino tunc Romano Pontifici, ſcripſerunt; eum monentes, ne amplius Appellantes ex Africa ſuſciperet, nec iudicaret.

D **Domino dilectiſſimo & honorabili fratri Cæleſtino, Aurelius, Valentinus, Antonius, Tutus, ſeruus Dei, Terentius, Fortunatus, & cætæri qui in vniuerſali Africano concilio Carthaginis affuimus.**

OPtaremus ſi quemadmodū ſanctitas tua de aduentu Apiarij lætatos vos fuiſſe, miſſis per compresbyterum noſtrum Leonem literis, intimauit, &c. Præfato itaque debitæ ſalutationis officio, impendiò deprecamur, vt deinceps ad veſtras aures hinc venientes, non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem vltra velitis excipere: quia hoc etiam Nicæno concilio definitum facilè aduertet venerabilitas tua. Nam & ſi de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi præcaueri, quanto magis hoc de Epiſcopis voluit obſeruari, ne in ſua pro- *Ex tom. 1. concil pag. 645.*

uincia communione suspensi, à tua sanctitate vel festinatò, vel propoperè, vel indebitè videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque & sequentium clericorum improba refugia (sicuti te dignum est) repellat sanctitas tua: quia & nulla patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & decreta Nicæna siue inferioris gradus clericos, siue ipsos Episcopos, suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim iustissimèque prouiderunt, quæcunque negotia in suis locis, vbi orta sunt, finienda; nec vnicuique prouinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, qua æquitas à Christi sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur: maximè quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit, Cognitorum, ad concilia suæ prouinciæ vel etiam vniuersale prouocare. Nisi fortè quisquam est qui credat, vnicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare iustitiam, & innumerabilibus congregatis in concilium sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum trnsmarinum iudicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, multis alijs intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt? Nam vt aliquis, tanquam à tuæ sanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus patrum synodo constitutum. Quia illud quod pridem per eundem coepiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Nicæni concilij, exinde transmisistis: in concilijs verioribus quæ accipiuntur Nicæna, à sancto Cyrillo coepiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico Constantinopolitano Antistite ex authentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium presbyterum & Marcellum subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo prædecessori vestro à nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Executores etiam clericos vestros quibusque potentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere. Nam de fratre nostro Faustino (amoto iam pro suis nefandis nequitijs de Christi Ecclesia dolendo Appiario) securi sumus, quod eum probitate ac moderatione tuæ sanctitatis, salua fraterna caritate vlterius in Africa minimè sustinere patiatur. Et alia manu, Dominus noster sanctitatem vestram æuo longiore orantem pro nobis custodiat, Domine frater.

Hæc ex concilio Africano seu Carthaginense sexto controuersa sunt, quæ perpendere & examinare debemus: quia ex his ab hostibus fidei & Romanæ cathedræ aduersarijs plures collectæ sunt obiectiones ad Petri sedem exprobrandam: & si post rei examen eas tantum ad objicientium stibio circumliniendam hæreticam apostasiam inseruire declarabimus.

Igitur concilium hoc Africanum ab Ecclesiæ Romanæ æmulis confictum, vel saltem secundum aliquam sui partem deprauatum fuisse, iure affirmare nobis liceret. cum operari & moliri fortè excogitauerint,

A vt omnem Romanę Petri cathedrę dignitatem & potestatem à solis Ecclesiæ legibus emanere ostendunt, omni quo possunt modo ipsam quæ diuina sanctione Christi Dei nosti vniuersæ præest Ecclesiæ, deprimerēt, & minoris æstimationis dignam promulgarent. vel vt ipsis, consimilibus Ecclesiæ legibus, proptias sedes ad libitum extollete liceret, etiam Petri sedę contradicente, vt sæpe tentate quidam non destiterunt: & in præmissis disputationibus enarrauimus.

Enimuerò quis de huius concilij veritate ambigeret, dum in eo legimus Africanos patres ducentos, per quinquennium canones Sardicēsis concilij inquirentes, qui appellationes ad Romanum Pontificem statuunt, eos non inuenisse nec adesse tandem proclamasse, cum apud omB nes Nationes inueniantur & vsque ad hodiernum diem in toto Christiano Orbe sint manifesti? Quòd primò hanc rem dubiam statuerint, transeat etsi redarguere liceret: quia Episcopum sacras Ecclesię leges ignorare non decet. sed quod hæc quæstio per quinquennium protracta fuerit, & conciliumgenerale Sardicense ad illos tunc non accesserit, nec à Romana Ecclesia super hanc rem non fuerint moniti & quòd demùm post annos quinque illos non inueniri canones definierint, & Romanis Pontificibus de non suscipiendis amplius Africanorum appellationibus denunciauerint: aut omnes Afros Episcopos stolidos, negligentes, & maxima mentis cæcitate laborantes, quod mihi dicendum non videtur: aut hæc acta falsata vel ficticia esse proculdubio annunciare debemus. C Et eo magis quia Legati Papæ concilij Sardicensis corā patribus meminerunt: & eos illius non meminisse cum ad Orientales scripserunt, nec inter illud & Nicænum concilium discrimen posuisse, dum res ipsa tanto tempore controuersabatur, est prorsus impossibile. præterea Leo magnus Romanus Pontifex annis viginti post hoc Africanum conciliū celebratum, Appellationes suscepit ex Africa, & illuc legatum Potentium misit ad causas Episcoporum appellantium iudicandas, & pacificè hæc omnia exequuta fuerunt, vt costat ex eiusdem Leonis epistola 87. quæ immediatè infra proponetur, cum iuxta Africanarum seriem appellationum contingat: nec huius disceptationis & controuersiæ meminit, cum Afros tunc Leo iurè monere & arguere potuisset de hac, quam præ D manibus habemus, controuersia. Euidens ergo est concilium hoc falsum vel falsatum fuisse; nec vnquam inter Afros & Romanam cathedram hanc controuersiam extitisse.

Cum autem in epistola ad Bonifacium Papam, quam supra retulimus dixerunt: [Quis enim dubitet exemplaria esse verissima concilij in Græcia Nicænæ synodi congregatæ, quæ de tam diuersis locis, & de nobilibus Græcis Ecclesijs adlata & comparata concordant? &c.] Si hæc quæ de hoc concilio enarramus vera sunt, his verbis patres Africani in priorum temporum historijs se parum fuisse versatos omnes docuerunt. nā Constantinopolitanorum præcipuè Episcoporum plures fuerant hæretici

tici quàm Catholici; & cum Gregorius Nazianzenus Episcopatū Constantinopolitanum accepit celebrato iam Nicæno concilio illā sedem & vniuersam vrbem à Macedonio, Eudoxio, & Demophilo Arrianis Episcopis, quorum vnus alteri successerat quadraginta circiter annis, labefactatam ita inuenit, vt catholica fides ibi esset penitùs extincta: quod non amplius quàm annis circiter triginta quinq; ante huius concilij celebrationem fuit. Nec illa Ecclesia caruit scripturarū falsarijs, vt in præcedentibus disputationibus pluries dictum est: quomodo ergo ab Orientalibus concilij Nicæni veriora exemplaria, quàm ab Apostolica sede Africani patres accipere potuissent, ipsi videant; qui tot ineptias in hoc eorum concilio (dummodo verum fuerit) eructarunt. Etenim hæc quæ ex hoc concilio Romanę catedræ obiciuntunr vel obijci possunt, potius Africanæ Ecclesiæ, quàm Apostolicæ sedi derogare videntur, vt legenti patet. & quid ineptius quàm per quinquennium super Sardicensis concilij canones cum Romana cathedra disceptare & eosdem canones, qui semper fuerunt & sunt in toto Christiano Orbe, præ manibus non habere, non legere, non scrutari? Prudens lector edicat. A B

Ad veritatis autem patrociniū, & Rom. Petri cathdrę iurisdictionē à Christo Iesu Deo nostro ei delegatam, tuendam ac propugnādam; omnia quæ ex huius Africani concilij actis, Aquilonares hæretici, cæteriq; Romanæ Ecclesiæ hostes & æmuli obijciunt, vel obijcere possunt, ordinatim narrabimus & soluemus.

Prima obiectio. Africani patres Appellationes ad Romanam cathedram respuunt & abijciunt, nisi hoc ius ei à concilio Nicęno concessum inuenerint; ergo supremum iudicium omnium Ecclesiarum Romanæ cathedræ iure diuino non obtingit, sed tantùm à synodorum legibus illud obtinuit, ergo Christiano Orbi diuina sanctione non præest, quia si ex diuino iure descenderet, ab Afris patribus canones synodorum non inquirerentur. C

Respondeo, hoc argumentum esse sophisma & fallaciam non causæ pro causa: de qua Philosophus in lib Elenc. agit vt si quis dicat, sortes dixit platonem non esse risibilem, ergo Plato non est risibilis. argumētum hoc vtique est fallacia non causæ pro causa, quia risibilitas Platonis non pendet ex eo quia sortes illam affirmat vel negat, nam Plato est risibilis, etsi sortes illud non affirmet, quia propter nostrum affirmare vel negare res non est vera vel falsa. Sic in re proposita: Africani patres dicunt Romanam cathedram supremum ius Appellationum suscipiendarum & resoluendarum non habere, ergo Romana cathedra illud non habet: vtique fallacia est & sophisma: quia licèt Africani patres illud negent, non tamen sequitur Romanæ cathedræ non inesse. Præterea eo amplius hoc sophisma redditur inefficax, quia semel tantum hoc patres Afri (dūmodo verum sit) hoc ius negauerunt, seu dubiū proposuerunt: nam per plura sæcula hoc confessi sunt, vt ex his, quæ ante hius concilij D

ce-

A celebrationem enarrauimus, constat: & per ea quę post hoc idem Concilium facta fuerunt, patebit.

Secundò Respondeo, Petri Romanam Cathedram plura iura à Deo accepisse, quæ ab vniuersis Ecclesiæ patribus semper venerata fuerunt, vt ius iudicandi fidei controuersias, cogendi concilia generalia, illisque præsidendi, eaque confirmandi; vel si opus fuerit, cassandi & irritandi: Ecclesias Patriarchales instituendi, canones generalium conciliorum morales soluendi & dispensandi, ius appellationes suscipiendi & resoluendi, &c. Potest autem in dubium verti, stante Romanæ cathedræ suprema potestate à diuino iure & sanctione emanante, an ius supremum appellationes suscipiendi & resoluendi habeat, vel vltima appellatio-
B num decisio sit, quæ à synodis nationalibus vel Prouincialibus obtinetur: vel liceat à sententia horum conciliorum ad Romanam Petri cathedram adhuc appellare. Itaque Africanum concilium nationale, & si de hoc Romanæ cathedræ iure dubitasset, non tamen de suprema Petri sedis super vniuersam Christi Ecclesiam potestate & authoritate hæsitasse affirmandum est: quia dictum fuit, hoc particulare & singulare ius controuersari potest, integra manente catholica fide circa Petri Romanam cathedram, vniuersæ militantis Ecclesiæ caput visibile.

Nec obstat Romanam cathedram hoc ius Appellationum de facto à concilio Sardicensi generali, quod est appendix concilij Nicęni generalis primi, obtinuisse: ideoque à diuino iure non descendere: quia decre-
C ta fidei, vt disput. 2 diximus, non ita pendēt à concilijs, vt ante concilij canones vera non sint, quia si prius vera non essent, Ecclesia, vera statuere non posset: sunt ergo priùs vera, quia fides non ab homine, sed à Deo reuelante pendet, cum Deus reuelans sit fidei obiectum: cum autē quædam fide credenda aliquando controuersentur, Ecclesia hoc esse credendum, & illud abijciendum statuit: idcirco iudicium eius in rebus fidei est declaratiuum, & non principaliter constitutiuum: quia in fidei articulis illud prius erat, inuolutbatur, quod & accedente occasione, Ecclesia fide tenendum decernit. Igitur cum Sardicense concilium supremum appellationum iudicium Romanæ Petri cathedræ obtingere sanxit, quia hoc est præcipuum Christianæ fidei dogma, Petrum scilicet cū
D successoribus suis esse catholicæ Ecclesiæ supremum caput visibile & Pastorem; non ita hoc statuit, vt prius verum non fuerit, sed sic declarauit, vt alicui amplius tale ius vertere in dubium non liceat. Non enim concilium Nicænum statuit Filij Dei consubstantialitatem quia prius non erat Patri consubstantialis. nec concilium Constantinopolitanum primum, Spiritus sancti veram diuinitatem sanciuit contra Macedoniū, quia prius Deus verus non existebat. nec concilium Ephesinum Christi humanitatem, vnitatem Personæ cum Verbo Dei habere, contra Nestorium, decreuit, quia ante concilium id non erat, & sic de similibus:. ita à pari, ante concilij generalis Sardicensis decretum quod ius supre-

mum omnium suscipiendarum & resoluendarum Appellationum Romanæ Petri cathedræ obtingere docuit: id à Christo vero Deo nostro suscepisse ac statutum fuisse, necessariò asserendum est: quia vt superius diximus, primatus Petri cum successoribus suis super catholicam Christi militantem Ecclesiam est inter fidei dogmata præcipuum, quia & in Euangelio prædicatur:& ab omnibus synodis & Ecclesiæ patribus sic ab initio & semper traditum fuit: & quia supremo capite & Iudice ab Ecclesia remoto,eadem Ecclesia rueret, & hæreticis,ac schismaticis succūberet, cum modum hæc refellendi & calcandi non haberet: nec Ecclesiæ concilia hoc munus sufficienter exequi valeāt, quia vt ipsa experientia docuit, plura fuerunt generalia concilia falsa & cassanda quæ hæreses docuerunt,vt Ariminense pro Arrio,Sardicense secundum ab Orientalibus Episcopis Arriannis coactum, Ephesinum secundum sub Dioscoro Alexandrino Patriarcha: in concilio Chalcedonensi vltima sessio furtim habita absentibus Papæ Legatis,& plura Constantinopolitana à Græcis celebrata, inuitis, vel obstantibus & contradicentibus, vel prorsus inscijs Romanis Pontificibus, quæ deinceps à Romana Petri cathedra irrita & cassata fuerunt: quæ vtique cassari & irritari minimè potuissent,remota Romanæ Petri cathedræ suprema potestate: consequens ergo est, vt de synodorum statutis circa Petri cathedræ Romanæ potestatem,sicut & de cęteris synodalibus de fide decretis philosophandum sit: ea scilicet eadem & vera esse & eiusdem veritatis & roboris fuisse, priusquam ab Ecclesiæ synodis declararentur. hoc tantùm posito discrimine quòd quidam articuli fidei, etsi eiusdem veritatis semper extiterint, ante tamen Ecclesiæ declarationem & decreta, licet aliquibus ea reddere dubia & veritatem disputationibus inquirere; quod post Petri Romanæ cathedræ sanctionem, præter hæresis notam, & catholicæ fidei ac salutis propriæ iacturam operari non licet.

A B C

Secunda obiectio. Zosimi Papæ Legati in hoc Africano concilio Nicænos Canones pro iure Appellationum probando citauerunt & protulerunt, qui tamen Canones in Nicæno concilio non adsunt nec inuenti fuerunt, ergo Zosimus Papa falsarius compræhensus est: Qui præterea nec ad huius iuris sui defensionē diuinas leges attulit, ergo à solis Ecclesiæ legibus & priuilegijs Romana cathedra hoc ius sibi vendicat. D

Respondeo, Zosimum Papam Nicænos & Sardicenses canones protulisse: nam cap. primo huius synodi num. 3. illos Nicænos canones, & cap. 6. Sardicenses nuncupauit; non ad Afros patres decipiendos, verū ad Nicæni concilij cum Sardicensi synodo connexionem aperiendā; quod passim ab omnibus Ecclesiæ patribus factum est, quia ad eundem finem, nempe Arrij hæresim damnandam celebratum fuit,& spatio annorum viginti tantùm mediante: cumque in Sardicensi concilio nouus fidei articulus declaratus non fuerit,sed tantùm eadem Nicænorum patrum declaratio confirmata, visum fuit semper antiquis patribus vtrūq;

con-

A concilium sic simul coniungere atque conectere, vt non duo sed vnum & idem dicatur; quamobrem Sardicense, Nicæni appendix, dicitur: & in conciliorum serie, non secundùm generale concilim appellatur, sed Constantinopolitanum primum hoc gaudet titulo seu nomine vel numero. Si autem Afri patres hæc ignorabant, & adeò negligentes extiterunt, vt concilium Sardicense percurrere noluerint, illudque præ manibus habere non studuerint, cum turpe sit tot Africæ Prouinciæ Episcopos factas Ecclesiæ leges ignorare: an hæc hæreticorum obiectio, patres Afros seu hoc Africanum concilium, (& si hæc concilij pars à Romanæ Ecclesiæ æmulis conficta videatur) an Zosimum Romanum Pontificẽ redarguat, prudens Lector edicat.

B Ad secundam obiectionis partem, Zosimum scilicet in hac cum Afris controuersia ius diuinum pro se non citasse: dico eum id vtique fecisse: nam in epistola quam Afris ante concilij huius adunationem tradidit, ius diuinum in his exequendis protulit: & ne eadem bis recitare cogamur, Lectorem rogamus vt illã percurrat epistolam, quam ante huius concilij descriptionẽ immediatè exarauimus: ibi enim in huiusmodi causa ius diuinum Zosimum proposuisse constabit: quòd sæpissimè priores & posteriores Romani Pontifices etiam fecerunt, vt volumen hoc legenti manifestum est.

Tertia obiectio. Canone sexto huius Africani concilij statutum est, [vt primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps sacerdotũ aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ sedis Episcopus.] ergo redarguitur Romana sedes & errat dũ similia nomina assumit.

C

Respondeo Concilium hoc non fuisse generale, vt omnibus patet, quia in generalium conciliorum serie non collocatur; sed fuit Nationalis synodus, nempe vnius Nationis, (nam vt diximus tomo primo lib. 3. disp. 1. Concilium quatruplex est, nempe, Generale, Nationale, Prouinciale, & Diæcesanum) nec Papæ Legati, dum patres Afri canones condiderunt, erant in Africa, vt ex ipsa synodo constat; quia ibi ponũtur tantùm præsentes, cùm disceptatio, quam recensuimus, proposita fuit; deinde cum synodalibus literis quas superius recitauimus ad Bonifacium Zosimi successorem directis, Romam redierunt: in alijs autem

D sequentibus eiusdem concilij adunationibus, pro Africanis Ecclesijs dirigendis non tantùm citatum sed plures ediderũt canones. Igitur huiusmodi sextus Canon de Episcopo primæ sedis in Africa, scilicet de Carthaginensi Episcopo, non autem de primæ sedis Episcopo in ordine ad vniuersam Christi Ecclesiam intelligendus est: non enim ad Nationale concilium, Romanæ Petri cathedræ leges præscribere pertinet: & cũ præcipuè S. Augustinus Hipponensis Episcopus Romanę Petri cathedrę obsequentissimus huic concilio interesset, sub alio sensu patres Afros illud decreuisse asserendum est. Adde quod in re huiusmodi & in cæteris rebus tanta est Apostolicæ sedis modestia, vt cũ certissimè, Christo Deo

veromandante, toti pręsit Christiano Orbi; attamen vix eas assumit voces A
& nomina, quæ aliquo modo & nimis implicitè id valeant significare, vt
reipsa costat. Concilia autem generalia & primarum sedium patres Romanis
Episcopis, nomen Patris patrum, vniuersalis Ecclesiæ Episcopi,
Patriarcharum Patriarchæ, Papæ Oecumenici, &c. dedisse, ex his quæ
in huius operis serie sæpe narrauimus, manifestissimè constat.

Quarta obiectio. In hoc Africano concilio, Papæ Legati primum locum
non obtinuerunt, sed synodo Aurelius Carthaginensis Episcopus
præsedit: ergo tunc vniuersi Africani patres omnem Romanæ cathedrę
primatum dubium reddiderunt, & non solùm ius appellationum controuersati
sunt. Respondeo verissimum id esse quod in antecedenti obijcitur,
consequens autem falsissimum & ineptum esse dicimus. etenim B
Nationalibus & Prouincialibus Concilijs, quia à Primate nationis Episcopo,
vel à Metropolitano indicuntur & congregantur, ipsi etiam illis
præsident: idcircò eiusdem non sunt dignitatis, veritatis, & potestatis
cum generalibus concilijs, quæ à capite Ecclesiæ visibili coguntur, cum
errare valeant; & sæpe à Petri Romana sede cassata fuerint & irrita.
Nec tantùm huic nationali concilio Papæ legati primum non
obtinuerunt locum, sed in cōcilio Constantinopolitano sub Agapeto, &
Menna quod est Nationale contra Anthymum celebratum, & habetur
tom. 2. conc. pag. 422. ipsi Romanæ cathedræ legati nec primum locū
tenuerunt, nec eidem synodo præsederunt, sed ei Mennas Constantinopolitanus
Patriarcha præsedit: quia hæc sunt iura conciliorum Pro- C
uincialium & Nationalium: nec legati ad talia celebranda concilia mittuntur,
sed ad alia peragenda tunc negotia Ecclesiarū attamen, audiant
obicijentes quid idem Mennas actione quinta citatæ synodi in eius sententia
contra Anthymum dixerit. [Nos enim, sicut vestra caritas, Apostolicam
sedē sequimur & obedimus: & ipsius communicatores, communicatores
habemus: & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.]
Igitur Mennas in sua synodo primum obtinet locum, & ei præsentibus
Papæ legatis præsidet, nihilominus Romanæ Petri cathedræ obedientiā
ac venerationem profitetur. stante itaque veritate antecedentis, in hac
obiectione, falsitas consequentis est manifesta. & eo amplius quia hoc
Africanum, de quo loquimur, concilium, magna veneratione, ac debitis D
interpositis circumstantijs in hac disceptatione & causa scripsit, vt
præmissas epistolas legentibus ac perpendentibus luculenter patebit.

Quinta obiectio. In epistola huius Africani concilij ad Bonifacium
Papam, patres dixerunt. [Hæc vtique vsque ad aduentum verissimorum
exemplariorum Nicæni concilij inserta gestis sunt, quæ si sibi continerentur,
eoque ordine vel apud vos in Italia custodirentur, nullo modo
nos talia, qualia commemorare iam nolumus vel tolerare cogeremur,
vel intolerabilia pateremur: sed credimus, adiuuante misericordia
Domini Dei nostri, quod tua sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente,

non

A non sumus iam istum typhum passuri, & seruabuntur erga nos ea quæ nobis etiam non differentibus custodiri debeant cum fraterna caritate &c.] Et in alia synodali epistola ad Cælestium sic aiunt. [Executores etiam clericos vestros quibusque potentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere, &c.] Ergo sequitur Romanam cathedram contra Saluatoris nostri doctrinam operari, dum sæcularium more Magistratuum iudicium exercere contendit, dicente Domino Luc. 22. [Reges gentiũ dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocãtur. Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis fiat sicut minor, &
B qui præcessor est, sicut ministrator.]

Respondeo Romanam Petri cathedram non habere consuetudinem in iudicijs exercendis typhum seu elationem exercere, imò vt infra demonstrabo omni tempore quascumque Ecclesiæ Episcopales sedes, misericordiam, pietatem, compassionem, benignitatem, humilitatem docuit. Et ne solo animi motu & irrationabiliter id affirmare videar, hæc quæ subijcimus, obijciens examinet.

Scribebat Cælestino Papę Cyrillus Alexandrinus Patriarcha in causa Nestorij Patriarchæ Constantinopolitani iam ob hęresim damnandi, an pœnitens esset recipiendus. Cui Cælestinus paterna compassione, benignitate & humilitate sic respondit. [Itaque breuiter responsum tuæ red- *Ex tom. 1. Conc. epist. 2. p. 6. 19*
C dimus sanctitati. etenim quæris, vtrum sancta synodus recipere debeat hominem à se prædicata damnantẽ: an quia induciarum tempus emẽsum est, sententia dudum lata perduret? super hac vtique consultatione communi communem Dominum cõsulamus. nonne nobis respondet illicò per Prophetam, mortem se nolle morientis: & per Apostolũ Paulum, omnem hominem velle saluum fieri, & venire ad scientiam veritatis? Numquam displicet Deo accelerata in quocunque correctio, &c.] *Ezech. 33* *1. Tim. 2.*

Et Leo Papa epist. X. ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum de Eutyche, qui hæreses superseminare iam cæperat sic scribit. [Sed quum anathematizando impio dogmati noluisset prębere consensum, intellexit eum fraternitas vestra in sua manere perfidia, dignumq; esse, *Ex tom. 1. concil pag. 942.* *Hec epist. probata fuit ab vniuersa synodo chalcedonen.*
D qui iudicium condemnationis exciperet. De quo si fideliter atque vtiliter dolet & quam rectè mota sit Episcopalis authoritas, vel serò cognoscit, vel si ad satisfactionis plenitudinem, omnia quę ab eo malè sunt sensa, viua voce & præsenti subscriptione damnauerit, non erit repræhensibilis erga correctum quantacunq; miseratio: quia Dominus noster verus & bonus pastor, qui animã suam posuit pro ouibus suis, & qui venit animas hominum saluare, non perdere, imitatores nos suæ vult esse pietatis, vt peccantes quidem iustitia coerceat, conuersos autem misericordia non repellat. Tunc enim demum fructuosissimè fides vera defenditur, quando etiam à sectatoribus suis opinio falsa damnatur. Ad omnem

verò causam piè ac fideliter exequendam, fratres nostros Iulianum Episcopum, & Renatum presbyterum tituli sancti Clementis, sed & filium meum Hilarium diaconum vice nostra direximus, &c.] A

Idem Leo Papa ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum qui erat in Oriente sedis Apostolicæ Vicarius, epist. 84. quia seueritate vsus est in corrigendis Episcopis, sic scripsit. [Abundant enim apud te monitorum scripta nostrorum, quibus te de omnium actionum temperantia frequenter instruximus, vt commendatas tibi Christi Ecclesias, per exhortationem caritatis, ad salubritatem obedientiæ prouocares. Quia etsi plerunque existant inter negligentes vel desides fratres, quæ oporteat maiore authoritate curari: sin tamen est adhibenda correptio, vt semper sit salua dilectio. Vnde & beatus Apostolus Paulus, ad Ecclesiasticum B regimen Timotheum imbuens, dicit. Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem, iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt sorores in omni castitate. Quæ moderatio si quibuscumq; inferioribus mẽbris ex Apostolica institutione debetur, quanto magis fratribus & coepiscopis nostris sine offensione reddenda est? vt licèt nunquam accidãt, quæ in sacerdotalibus sunt repræhendenda personis, plus tamen erga corrigendas agat beneuolentia, quam seueritas: plus cohortatio, quàm commotio: plus caritas quàm potestas, &c. Vices enim nostras ita tuæ credimus caritati, vt in partem sis vocatus solicitudinis, non in plenitudinem potestatis, &c.

Et ne rerum prolixitate Lectorem tædio afficiamus, satis sint hæc Romanorum Pontificum testimonia quæ recensuimus ad formam, modũ, ac regulam quibus Romana Petri cathedra vtitur in exercendis iudicijs, & reis puniendis, demonstrandas. quo igitur spiritu ducti Afri patres ea quæ obijciuntur protulerint (si vera existunt) ipsi videant. Si autem aliquis Romanæ cathedræ Legatorum seueritatem in iudicando tenuerit, erit vt Thessalonicensis citatus Episcopus arguendus, non autẽ Romana cathedra corrigenda, eiusq; potestas abijcienda, si Christum Dominum, cuius vices gerit, abijcere noluerit. C

Ex his omnibus ergo manifestum est ea quæ huius temporis hæretici ex Africani concilij actis Romanæ Petri cathedræ, obijciunt, huic Apostolicæ sedi nihil prorsus officere; cũ solùm obijcientes, huius cathedræ, D catholicæ fidei, & animarum suarum hostes esse, patefaciant.

VNDECIMA APPELLATIO

Ecclesiæ Africanæ ad Leonem Romanum Pontificem.

Annis circiter viginti ab hoc Africano, de quo nuper disseruimus, Concilio elapsis, Ecclesia Africana sedem Apostolicam appellauit: quamobrem Leo I. tunc temporis Pontifex Potentium Legatum illuc misit, vt res Africæ vice sua iudicaret, & hanc quæ sequitur ad eos misit Epistolam: quæ quòd Leonis sit, ex sermonis elegantia, ex pietatis & recti iudicij forma, quam idem Leo tenebat, quæ in cæteris eius epistolis est manifesta, liquidò discernitur: adeo quod Africanam Ecclesiam sub Petri Romanæ cathedræ semper summa veneratione fuisse sanæ menti dubitare minimè liceat.

LEO

A LEO EPISCOPVS,

Vniuersis Episcopis per Cæsaream Mauritaniam constitutis in Domino salutem.

CVM in ordinationibus sacerdotum quædam apud vos illicitè vsurpata crebrior ad nos commeantium sermo perferret, ratio pietatis exegit, vt pro solicitudine, quam vniuersæ Ecclesiæ, ex diuina institutione dependimus, rerum fidem studeremus agnoscere, vicem curæ nostræ, proficiscenti à nobis fratri & consacerdoti nostro Potentio delegãtes, qui secundum scripta, quæ per ipsum ad vos direximus, de Episcopis, quorum culpabilis ferebatur electio, quid veritas haberet inquireret, nobisque omnia fideliter indicaret. Vnde quia idem plenissimè notitiæ nostræ cuncta reserauit, & sub quibus qualibusque rectoribus quæ-
B dam Christi plebes in partibus prouinciæ Cesareensis habeantur, syncera nobis relatione patefecit: necessarium fuit, vt dolorem cordis nostri, quo pro Dominicorum gregũ periculis ęstuamus, datis nunc ad vos literis, promeremus, mirantes tantum apud vos, per occasionem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse popularem, vt indignis quibusque & longè extra sacerdotale meritum cõstitutis, pastorale fastigium & gubernatio Ecclesiæ crederetur. Non est hoc consulere populis, sed nocere: nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium, salus est subditorum: & vbi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Principatus autem, quem seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiam si moribus atque
C actibus non offendat, ipsius tamen initij sui est perniciosus exemplo, & difficilè est vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Quod si quibuslibet Ecclesiæ gradibus prouidenter scienterque curandum est, vt in Dei domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum: quanto magis elaborandum est, vt in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. Vbi est illa beati Pauli Apost. per spiritũ Dei emissa pręceptio, qua in persona Timothei, omnium sacerdotum Christi numerus eruditur, & perinde vnicuique nostrum dicitur. [Manus cito nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.] Quid est cito manus imponere, nisi
D ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinãtem, qualis ille est, qui non meruit ordinari? sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum seruat in eligendo sacerdote iudicium: ita graui semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum, &c. Si enim ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est peruenire, & notari ambitus solẽt, quos probitatis documenta non adiuuant: quàm diligens & quam prudens habenda est dispensatio diuinorum munerum & cælestium digni-

Ex tom. 1. concil. pag. 989.

Potentius legat. Papæ ad res Africanas [illegible].

tatum

Digitized by Google

tatum, ne in aliquo Apostolica & canonica decreta violentur,& his Ecclesia Domini regenda credatur, qui legitimarum institutionum nescij, & totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed à summis volũt habere principium, cũ valdè iniquum sit & absurdum, vt imperiti magistris, noui antiquis, & rudes præferantur emeritis? &c. A
Cum ergo inter vos tantùm valuerint aut studia popularium, aut ambitus superborum, vt non solum laicos, sed etiam secundarum vxorum viros aut viduarum maritos, ad officium cognoscamus pastorale prouectos, nonne apertissimæ exigunt causæ, vt Ecclesiæ in quibus ista commissa sunt iudicio seueriore purgentur, & noc solùm in tales Præsules, sed etiam in ordinatores eorum vltrò competens proferatur? Sed circumstant nos hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura iustitiæ. B
Et quia vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas, cogimur secundũ sedis Apostolicæ pietatem, ita nostram temperare sententiam, vt trutinato pondere delictorum, quæ constat non vnius esse mensuræ, quædã definiamus vtcunq; toleranda, quędã verò penitùs amputãda. eos enim, qui vel secundas nuptias inierunt, vel viduarum se coniugio sociarunt, in sacerdotio manere non patimur: & multo magis illum, si fuerit vestro iudicio confutatus, qui (sicut ad nos relatum est) duarum simul est maritus vxorum, vel illum qui à prima vxore dimissus, alteram duxisse perhibetur, priuandum honore decernimus. Cæteros verò quorum prouectio hoc tantùm repræhensionis incurrit, quod ex laicis ad officium Episcopale delecti sunt sunt, neq; ex hoc quod vxores habeat possunt esse culpabiles, susceptum sacerdotium tenere permittimus, non præiudicãtes Apostolicæ sedis statutis, nec præcessorum nostrorum, nostrisq; decretis, quibus salubriter constitu tum est, ne primum vel secundum aut tertium in Ecclesia gradum quisquam laicorum quibuslibet suffragijs fultus ascendat, priusquam adhoc meritũ per legitima augumenta perueniat. Quod enim nunc vtcunque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit, si quisquam id, quod omnino interdicimus, vsurpare præsumpserit: quia remissio peccati non dat licentiã delinquendi: nec quod potuit aliqua ratione cõcedi, fas erit amplius impunè committi. Cum itaq; de omnibus ferè quæ fratris nostri Potentij relatio cõtinebat, plenissimè dilectionem vestram per Dauid frattem & coepiscopum nostrum, qui & sacerdotij merito nobis est probatus & moribus, videatis instructam, superest fratres, vt cordis obedientia salubres suscipiatis hortatus, & nihil per contentionem agentes, sed ad omne studiũ deuotionis vnanimes, diuinis & Apostolicis constitutionibus pareatis, & in nullo patiamini pia canonum decreta violari. Quæ enim nunc certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis, ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, iusta post hæc vltione plectamus, in eos specialius & propensius commouendi, qui in Episcopis ordinandis sanctorum patrum statuta negle- C D

A xerint, & quos refutare debuerant, consecrarint, &c. De his autem quę in sacro virginitatis proposito constitutæ, barbaricam pertulere violentiam, & integritatem pudoris non animo sed corpore perdidere; ea nobis seruanda videtur moderatio, vt neque in viduarum deijciantur gradum, nec in sacrarum & perseuerantium virginum numero censeantur, &c. Causam quoque Lupicini Episcopi illic iubemus audiri. Cui multum & sæpius postulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam cum ad nostrum iudicium prouocasset, immeritò eum, pendente negocio, à communione videbamus fuisse suspensum. Adiectū etiam illud est, quòd huic temerè superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari antequam Lupicinus in præsenti positus, aut con-
B futatus, aut certè confessus, iustæ posset subiacere sententiæ, vt vacantē locum, quemadmodum disciplina Ecclesiastica exigit, his qui consecrabatur, exciperet. Donatum autē Salicinensem ex Nouatiano cū sua (vt comperimus) plebe conuersum, ita Dominico volumus gregi præsidere, vt libellum fidei suæ ad nos meminerit dirigendum, quo & Nouatiani dogmatis damnet errorem, & plenissimè cōfiteatur catholicam veritatem. Maximum quoque ex laico, licèt repræhensibiliter ordinatum, tamen si Donatista iam non est, & à spiritu schismaticæ prauitatis alienus est, ab Episcopali, quam quoquo modo adeptus est, non repellimus dignitate, itaut & ipse libello ad nos edito, catholicum se esse manifestet. De Aggaro verò & Tiberiano, quorum à cæteris, qui ex laicis
C ordinati sunt, in hoc causa diuersa est, quod eorum ordinationi atroces tumultus & sæuæ seditiones memorantur esse famulatæ, vestro iudicio cūcta commisimus, vt relata habiti apud vos examinis fide, quid de supradictis statuendum sit, scire possimus, &c. Si verò aliæ emerserint causæ, quæ ad statutum Ecclesiarum, & ad concordiam pertineant sacerdotum: illic sub timore Domini, volumus, ventilentur, & de componendis atque compositis omnibus ad nos relatio plena mittatur, vt ea quę iuxta Ecclesiasticum morem iustè & rationabiliter fuerint definita, mea quoque sententia roborentur. Data 4. idus Augusti.

DVODECIMA APPELLATIO

Ecclesiæ Africanæ ad Romanum Pontificem.

D Anno D. 535. omnes Africanæ Nationis Episcopi 217. concil. coegerunt ad Ecclesiasticos mores reformandos, cum occulto Dei iudicio Africa Arrianæ hæresis nimis tenax à Vuandalis alijsque barbaris gentibus incensa, direpta, & vastata, centum deinceps annorū spatio sub barbarico iugo permanserit: tandem ab his libera, patres Afri hoc de quo loquimur celebrauerunt concil. in quo legationem ad Apostolicam sedem in rebus dubijs eam appellantes decreuerunt: quam deinceps reipsa cum hac, quæ subsequitur, epistola Romam direxerunt.

Epistola Africanorum Episcoporum ad Ioannem Papam directa, & ab Agapeto accepta, qua Pontificem de dubijs quibusdam consulunt.

Domino beatissimo, & honnorabili sancto fratri & consacerdoti Ioanni, Reparatus, Florentianus, Datianus, & cæteri 217. Episcopi, qui in vniuersis concilijs apud Iustinianam Carthaginem fuimus.

Optimam consuetudinem præteriti temporis, quam violenta captiuitas per annos centum dolentibus cunctis abstulerat, iterùm ser-

Digitized by Google

uare cupientes, ad vniuersalem totius Africæ synodum fideli deuotione conuenimus, in illa Iustinianæ Carthaginensis Basilica congregationis nostræ primitias Domino consecrantes, vnde nostros patres tyrannus Hunnericus expulerat. Hæc basilica Fausti apud nos dicitur, multis martyrum corporibus insignita, quorũ Deus exaudiuit orationes, vt daret huius rei fiduciam sacerdotibus. Ibi igitur quantum singuli lachrymantibus gaudijs flere potuerint, cogitandum potius beatitudini vestrę dimittimus. In omnibus enim lætitiæ spiritualis vnus fuit effectus, agere gratias omnipotenti Deo, cuius gratia peccatoribus sine meritis operũ datur, & antidotum fidei salutaris nuper reconciliatis hæreticis obtinetur. Definitionibus autem Nicæni concilij publica lectionæ transcursis, inter alia de quibus nancisci debuit, disputatione requiri iam cæperat quomodo Arrianorum sacerdotibus ad catholicam fidem suscipi oporteat, vtrum ne in suis honoribus, an in laica communione, sic omnibus nobis vnanimiter subitò placuit sciscitari primitus beatitudinis vestræ sẽtentiam. potest enim sedes Apostolica, quantum speramus, tale nobis interrogantibus dare responsum, quale nos approbare concorditer explorata veritas faciat. Ex omnium quidem collegarum tacitis motibus nemini placere sensimus, vt in suis honoribus Arriani suscipiantur. Veruntamen conuenire caritati credidimus, vt quid habeat sensus noster in publicam notitiam nemo perduceret, nisi prius vel consuetudo nobis, vel diffinitio Romanæ Ecclesiæ proderetur. Hac igitur nostræ salutationis epistola per fratres & consacerdotes nostros Caium & Petrum, & per filium nostrũ Liberatum diaconũ cõtinuò destinauimus, & authoritatẽ vestræ beatitudinis, & gratiã debitis obsequijs honorantes; talis quippe es, qualem sancta sedes Petri merebatur habere Pontificem, dignus veneratione, plenus dilectione, loquens veritatem sine mendacio, nihil faciens arroganter. Vnde etiam libera caritas vniuersæ fraternitatis requirẽdum putauit consilium tuum. Respondeat obsecro mens illa sancto Spiritu seruiens affabiliter & veraciter. Non solùm enim de sacerdotibus, sed de ipsisquoque paruulis apud eos baptizatis, vtrum soleant vel debeant ad clericatum si petierint, applicari, consulimus. Multis enim facere istas frequenter petitionis concedimus, nec negamus: donec habito vobiscum diligentiore tractatu, legatio nostra reuertatur. Illud etiam beatitudini tuę credimus intimandum, fratres aliquantos ex nostro collegio, relictis sine causa plebibus suis, ad transmarinas nauigare sæpius regiones. Hos diutius Ecclesia tolerauit, accusantes eos violentia temporis mali. Petimus nunc vt quicunq; forsitan Episcopus aut presb. siue diac. aut cuiuslibet inferioris ordinis clericus sine nostra epist. venerit, & non approbauerit se pro vtilitatate SS. Eccl. fuisse directum, similis hæretico iudicetur: neq; vestra cõmunione dignus existat, vt in omnibus & per omnia beatitud. vestræ disciplina laudetur. & alia manu. Vegetem te nostrique memorem pręstet omnipotens Deus, Domine frater.

Sententia synodi Africanæ.

Appellatio.

TER-

A TERTIADECIMA APPELLATIO

Episcoporum Numidiæ in Africa ad Gregorium Romanum Pontificem. Anno Domini 590. Gregorius electus fuit Pontifex, cui Numidiæ Episcopi supplic... derunt literas, vt ea quæ ab Apostolica sede ab initio Ecclesiæ acceperant, ... rata habere vellet: à quo id obtinuerunt, sed insuper quædam monita & priuilegia ...cepta illius acceperunt.

Gregorius, Vniuersis Episcopis Numidiæ.

SI quando carissimi in Christo fratres inter virentes segetes zizaniorum quædam se infert importuna commixtio, hanc radicitus necesse est cultoris manus adimat, ne futurus fœcundæ segetis fructus possit intercipi. Et nos ergo, qui licèt indigni, Dominici agriculturam suscepimus, ab omni zizaniorum scandalo ingenuam reddere segetem festina- Ex tom. 1. pag. 743.
B mus, quatenus ager Domini redditu abundantiori fructificet. Petijstis etenim per Hilarium chartularium nostrum, à beatæ memoriæ prædecessore nostro, vt omnes vobis retro temporum consuetudines seruarētur, quas à beati Petri Apostolorum principis ordinationum initijs hactenus vetustas longa seruauit. Et nos quidem iuxta seriem relationis vestræ, consuetudinem, quæ tamen contra fidem catholicam nihil vsurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, siue de primatibus constituendis, cæterisque capitulis, exceptis his, qui ex Donatistis ad Episcopatum perueniunt, quos prouehi ad primatus dignitatem, etiam cum ordo clericorum eos ad locum eundem deferat, modis omnibus prohibemus, &c. Vos ergo fratres carissimi, admonitiones nostras
C zelo caritatis Dominicæ præuenite, scientes quod districtus iudex ad examinandum deducturus est cuncta quæ gerimus, & vnumquenque nostrum non ex prærogatiua sublimioris gradus, sed ex operum meritis approbabit, &c. Persoluens præterea fraternæ dilectionis alloquium, oro Dñm, qui nos animarum pastores quos elegit, ante se dignos efficiat: sed hic actus nostros, quos in futura vita dignè suscipiat ipse disponat.

QVARTADECIMA APPELLATIO

Ex Africa ad Gregorium Papam: pro qua dirimenda, hanc præceptoriam dedit epistolam.

Gregorius, Hilario Monacho Africæ.

FElicissimus atque Vincentius diacones Ecclesiæ Lamigensis, oblata petitione quę tenetur in subditis, suggesserunt ab Argentio eiusdem
D ciuitatis Episcopo grauem se iniustitiam pertulisse, & accepto præmio Donatistas in Ecclesijs fuisse præpositos, eumq; inter alia non leue aliud facinus, quod dici nefas est, commisisse commemorant. Propterea experientiæ tuæ præsenti pagina præcepti duximus iniungendum, quatenus præfatum Episcopũ idoneæ satisfactioni committere non omittas, tuaque instantia in locis illis fiat ex more concilium, & omnia secundum oblatæ petitionis textum canonicè coram positis partibus subtili indagatione perquirantur. Et quæcunque eorum iudicio fuerint terminata, te exequente modis omnibus compleantur. Ita ergo cum omni te viuacitate huic causæ volumus præbere instantiam, vt ad examinanda

...a possit subnecti dilatio , sciturus non in leuem te of- A
quæ iussim...,si nostra quacunq;excusatione lentata fuerit pręceptio.
fensā i...

...NTADECIMA APPELLATIO

Q V...achorum ex Africa ad Gregorium Papam contra Episcopum Carthaginensem: & Pontificis sententia super illam.

Gregorius , Dominico Episcopo Carthaginensi.

ex tom. 2. pag. 829. LIcèt fraternitatem tuam erga monasteriorum curam pastorali vigilantia credamus esse sollicitam : ea tamen quæ de monasterio in Africana prouincia posito cognouimus , vobis necessariò prauidimus indicare. Quæritur autem Cumquodeus abbas lator præsentium, quia si quando monachos, quibus præesse dignoscitur, sub regulari voluerit disciplina restringere, monasterium temerè deserant, & licitè quocunq; B
voluerint vagantes existant. Quia ergo hoc & ipsis omnino perniciosum est, & alijs perditionis monstrat exemplum , hortamur fraternitatē vestram, vt si ita est, Ecclesiasticam in illos correptionem exerceat, & cōgrua eos vltione à tali proculdubio præsumptione compescat, atque ita ad obediendum salubri prouisione superbientes animos iugo disciplinę subijciat, vt quos ad huius prauitatis excessum, eorum poterat imitatio prouocare, emendatio à culpa reuocet, & suis, vt dignum est , doceat præpositis obedire . Quia verò à quibusdam Episcopis excedentes monachos perhibet defensari, fraternitas vestra in hoc studeat esse sollicita, & eos à tali defensione sua modis omnibus interminatione compescat.

SEXTADECIMA APPELLATIO C

Et professio fidei totius Africæ ad Theodorum Romanum Pontificem , quæ lecta & probata fuit à concilio Romano sub Martino Papa primo anno Domini. 649.

Domino beatissimo Apostolico culmine sublimato, sancto Patri patrum, Theodoro Papæ & summo omnium Præsulum Pontifici, Columbus primæ sedis concilij Numidiæ : & Stephanus primæ sedis Episcopus Concilij Bizaceni: & Reparatus Episcopus primæ sedis concilij Mauritaniæ, & vniuersi Episcopi de tribus Concilijs antedictis Africanæ Prouinciæ.

Ex tom. 2. pag. 1073. MAgnum & indeficientem, omnibus Christianis fluenta redundantem, apud Apostolicam sedem consistere fontem , nullus ambigere possit, de quo riuuli prodeunt afluenter, vniuersum largissimè irrigantes Orbem Christianorum, cui etiam in honore beatissimi Pętri patrum directa peculiarem omnem decreuere reuerentiam in requirendis D
Dei rebus, quæ omninò & solicitè debent, maximè verò iusteque ab ipso præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis sācitum est, vt quicquid quamuis in remotis vel in longinquo positis ageretur Prouincijs, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, vt huius authoritate , iusta quæ fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent cæterę Ecclesię velut de natali suo fonte prædicationis exordium, & per diuersas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis: Quo-

A Quocirca humillimum vestro Apostolico culmini persoluentes obsequium, cum lachrymis suggerimus, quod sine cordis gemitu reticere non valemus, ante hoc temporis spatium exosum apud Constantinopolitanam ciuitatem nouitatis commentum ad nos vsq; opinantur fuisse delatum. Et vt hactenus siluissemus, putauimus serenissimo examine vestræ Apostolicæ sedis fuisse defectum. Quod vbi pertinaciter cognouimus inualescere, relegentes videlicet libellum Pyrrhi nostri fratris & coepiscopi dudum eiusdem Constantinopolitanæ ciuitatis, apud vestrã venerabilem sedem prolati, relationem qualem necessitas exigit fratri Paulo, nunc Constantinopolitanæ ciuitatis Ecclesiam occupanti, emisimus, exhortantes cum nimio fletu iam dictum nouitatis commentũ,
B non quidem suis temporibus adinuentum, à suo videlicet authore confutatum, à se quoque vel ab omni Ecclesia, cui præsidet, repellere, & chartas omnes præ foribus ipsius sanctæ Ecclesię ad scandalum populorum suspensas proijcere, qualiter fides quæ nunc vsque permansit integra & Apostolica eruditio illibata seruetur. Certum est enim quòd tales sermonum nouitates de malo gloriæ amore nascuntur: dum sibi nonnulli volunt acuti, perspicaces & sapientes videri, quærunt quid noui proferant, nescientes quia Deus noster infirma mundi eligit vt confundat fortia, & sapientes per mundi stulta confudit. Ad Timotheum quippe doctoris gentium sollicitè legisset sermones, quibus ait, vt nouitates vitet, vocum profanas. ad impietatem nempe ista proficiunt, quæ su-
C per spinas & tribulos contulerunt: & Ephesi remanens denunciet quibusdam, ne quis aliter prædicaret. Et vt aliqua de veteribus proferamus, Ieremiæ Prophetæ verba sunt. Horribilia, inquit, facta sunt super terram: *Cap. 5.*
Prophetæ iniquitatem prophetant. Multa sunt diuinæ legis documenta, quæ de largo vestri culminis fonte nostris riuulis infundantur. Quia verò in quandam suspectionem nostra Africana à malignis hominibus *Patres Africani ab Orientalibus læduntur.*
apud memoratam regiam ciuitatem recitata est prouincia, ante dictam relationem memorato fratri Paulo Constantinopolitano antistiti transmissam vestræ Deo amabili beatitudini direximus, quam rogamus humiliter per vestrę sacratissimę sedis respõsales transmittere, qualiter prospere cognoscamus, si memoratus superiùs frater à nefanda se nouitatis *Patres Africani ob læsionẽ famæ papã apellant.*
D adinuentione ad integrum reformauerit, orthodoxæ fidei prædicationem. Quod si dissimulauerit, authoritas almæ sedis vestræ iuxta patrum sanctiones salubri consilio pertractabit à sano corpore separare vulnus insanum, remotaque morbi sæuientis flatu, cautius quæ sunt syncera perdurent, & grex purior ab hac mali contagione spiritali vestri culminis ferramento purgetur. Nouissimè hoc necessitatis euentu quod accidit, in veritate suggerimus, quia nobis specialiter per vnamquamque prouinciam synodos contrahentibus venerandas, dum ex nostro Collegio fratribus electis plenam transmittere nitimur legationem cum nostris relationibus, quædam oborta sunt, quæ nostram

inten-

intentionem rationabiliter prohiberent. Sed huius rei quam memorauimus, vrgente necessitate, generali Africanæ prouinciæ canstituto per legatos diuersorum Conciliorum inito, generalem hanc prosperè vestro culmini demandauimus relationem, postulantes non nobis, sed ipsi quæ euenit necessitati adscribere. Ora pro nobis domine sancte ac beatissime Patrum Pater. Ora pro nobis domine sancte ac beatissime Patrum Pater. Ora pro nobis domine sancte ac beatissime Patrum Pater. A

Hæ sunt Appellationes optimè Lector quas Africana Ecclesia Romanæ Petri cathedrę vsque ad annum Domini octingentesimum exhibuit quibus, quæ principio huius Operis, quęquè cùm huius octauæ disputationis conclusionem statuimus, probanda ac demonstranda assumpsimus, aperta, ac manifesta sic reddita fuerunt, vt nemini præter hæresis vel insaniæ notam, in re euidentissima dubitare ac hesitare liceat. B

C

D

DIS-

A

DISPVTATIO SEXTA
DE APPELLATIONIBVS ECCLESIÆ HISPANIARVM.



ISPANIA celebris Europæ Prouincia, quæ à Pyreneis montibus incipiens, vſque in Borealem Oceanum protenditur; non ſolum frumenti, vini olei, auri, gemmarum, metallorumque ferax, verum etiam bellicoſiſſimorum & acerrimi ingenij Virorum procreatrix exiſtit. Diuiditur autem in Citeriorem & vlteriorem: Vlterior

B

rurſus in duas ſecatur partes, in Bæticam quæ hodie Granata dicitur, & Luſitaniam, quam vocant Portugalliam, quæ Ana fluuio à Bætica diſtinguitur. Vlterioris Hiſpaniæ conuentus erant quatuor. Gaditanus, Cordubenſis, Aſtigitanus, & Hiſpalenſis. Citerior autem, quæ & Tarraconenſis dicebatur, in ſeptem diuidebatur conuentus, hodie tamen in quinque regna partitur: Caſtellam, quæ cum Legione permixta vnum efficit regnum: Galleciam, Cathaloniam, Arragoniam, & Nauarram. Omnis autem Hiſpania ab Ibero fluuio primùm dicta fuit Iberia: poſtea ab Heſpero Atlantis fratre, ſiue vt alij aiunt, ab Heſpero ſtella lucidiſſima, quæ veſpertino tempore in Occidente apparet, Solem

C

ſubſequens, vocata eſt Hiſperia: vltimò verò ab Hiſpali vrbe, ad fretum Atlanticum ſita quam hodie Sibillam vocant, dicta fuit Hiſpalia; vnaquæ deinde litera immutata, nunc Hiſpania dicitur.

Ad hanc poſt Redemptoris in cælos aſcenſionem beatus Iacobus Apoſtolus, filius Zebedei ad prædicandum Ieſu Chriſti Euangelium primùm acceſſit. Deinceps Petrus Apoſtolorum Princeps cùm primùm Romam venit, ibique cæleſtis vitæ ſemina fundamentaque iecit, Dioniſium in GALLIAM, Eugenium in Hiſpaniam, viros doctrina & ſapientia excellentes legauit, qui Paulum ex Græcia fuerant ſequuti: eoſq; primates in prima Prouinciarum diuiſione inſtituit, vt facilius & ardentius muneri Apoſtolico incumberent. Eugenius igitur vt in Hiſpaniam *Ex Binio tom.. pag. 966.*

D

venit, elegit primam & præclaram eius regionis vrbem, Toletum Hiſpaniæ Metropolim, quæ Romanorum erat Colonia: in qua Chriſtianæ religionis cultum collocaret, in medio totius Prouinciæ ſitam, vt velut à corde, ſpiritus vitalis & ſanguis Chriſti in totum corpus diffunderetur, & membra cæleſti pabulo augerentur: indeque ſummi conſilij gubernatio in reliquas ciuitates facilius propagari, eſſundique poſſet.

Nec eſt ſilentio prętereundum quòd vas electionis Paulus Apoſtolus ſancto afflatus ſpiritu ad hanc Europæ Prouinciam Euangelio replendam accedere exoptaret, vt ad Romanos ſcribens capit. 15. teſtatur dicens. [Propter quod & impendiebar plurimum venire ad vos, & pro-

Digitized by Google

hibitus sum vsque adhuc. Nunc verò vlterius locum non habens in his A regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis: cum in Hispaniam proficisci cæpero, spero quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero, &c.] Illuc enim Apostolus profectus est, vt Hispaniarum Ecclesiæ ab antiquis patribus traditum acceperunt, eaque Christianæ pietatis & fidei fundamina posuit, quæ sic sensim excreuerunt in altum, vt ipsa deinceps nulli Orbis Prouinciæ religione cederet. Et plurimorum spatio sæculorum sic ibi fides Christiana floruit, vt sanctissimos atque doctissimos viros semper protulerit. Quamuis aliquando Gothorum & Romanorum intestinum de Imperio bellum, & Arriana ac Priscilliana hæresis religionis augmentum & cursum debilitauerint: tunc B enim ingruentibus barbaris, Vuandalis primùm, Gothis atque Sueuis, florentissima Hispaniarum Ecclesia, sanctissimorum antistitum solita cultura carens, pulchra immutata facie reddita est velut ager incultus, vepribus vndique repletus ac spinis: quousque optimus rex Reccardus, abiurata & extirpata in tota Hispania hæresi Arriana omnia quæ impedimentum afferre poterant ad fidem augendam & amplificandā remouit. Tandem Rodericus rex vno prælio à Saracenis miserè deiectus & victus, regiam & Ecclesiasticam maiestatem funditus euertit. Gens enim Saracenorum arrogans, victorijsque superba, sine cultu veræ religionis, barbarica insolentia feruens, inhumanè cuncta penè vastauit, ciuitates succendit & templa, omnemque trucidauit Clerum, Sanctorū C corpora igni & gladio tradidit, itaut ferum & funestum spectaculum Hispania annis 378. toti Orbi fuerit. At diuina hæc Christianæ religionis lux, quæ tot annos extincta penè fuerat, adiuuante Deo emicuit iterum, quando Illefonsus sextus rex Saracenos profligauit & expugnauit, omnemq; terram illam, restituto in eo diuino cultu, in pristinam veræ religionis formam redintegrauit. Quæ demum vsque ad hæc nostra tempora sic amplificata est, & eousque huius Prouinciæ catholica religio peruenit & ad tantum ascendit fastigium vt nemini impunè ibi degere liceat, nisi catholicæ fidei ac pietatis sit perfectus absolutusq; professor.

Quandocunque autem in ea catholicæ fidei exercitium ad fuit Rom. D Petri cathedræ obsequentissima extitit, & eximiam erga eam tenuit venerationem, & nunc temporis fraterna filialique caritate ac dilectione eam maximè prosequitur. Semper itaque sub Petri cathedræ moderamine mansit, quod à nobis enarrandum est, ad nostrum probandum institutum: cum demonstrare teneamur Romanæ Petri cathedræ vniuersam Christi Ecclesiam obedientiam præstitisse, & vniuersis Nationibus ipsam beati Petri sedem omni tempore præfuisse. his præmissis.

Dicimus, Hispaniarum Ecclesiam Romanæ Petri cathedræ, sicut ouis pastori suo, subiectam esse. Probo, cuicunque ab alijs, accedente occasione, fieri debent Appellationes ad vltimam controuersiarum ob-

tinen-

A tinendam decisionem, eidem pariter tamquam supremo Iudici, Pastori, & Principi in illo ordine, appellans subiectus est & subditus: sed Hispaniarum Ecclesia de facto ab initio Romanam Petri cathedram sic appellauit, ergo Hispaniarum Ecclesia Romanæ Petri cathedræ vt ouis Pastori suo, & vt subditus suo Principi, est subiecta. Maior propositio est euidens: Minor probatur per ea quæ facta sunt & euenerunt, seu per appellationes iam actu exhibitas.

PRIMA HISPANIARVM ECCLESIÆ

Ad Romanam Petri cathedram Appellatio.

Anno Domini 237. Anterus natione Græcus Romanus Pontifex eligitur, qui ab Hispaniarum Ecclesijs appellationem suscepit de sedibus Episcopalibus transferendis & transmutandis. Pro qua resoluenda & decidenda Appellatione hanc protulit sententiam
B quæ in sequenti continetur epistola.

Carissimis fratribus per Bæticam atque Toletanam Prouincias Episcopis constitutis, Anterus Episcopus in Domino salutem.

Optarem fratres carissimi semper dilectionis & pacis vestræ sinceritatis gaudia audire, &c.

DE mutatione ergo Episcoporum, vnde sanctam sedem Apostolicā consulere voluistis, scitote eam communi vtilitate atque necessitate fieri licere, sed non libitu cuiusquam aut dominatione. Petrus sanctus magister noster & princeps Apostolorum, de Antiochia vtilitatis causa translatus est Romam, vt ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque de quadam parua ciuitate, Apostolica authoritate mutatus est Alexandriam. Similiter Felix de ciuitate qua ordinatus erat electione ciuium, propter doctrinam & bonam vitam quam habebat, com-
C muni Episcoporum & reliquorum sacerdotum ac populorum consilio, translatus est Ephesum. Non enim transit de ciuitate in ciuitatem, qui non suo libitu aut ambitu hoc facit: sed vtilitate quadam, aut necessitate aliorum, hortatu & consilio potiorum transfertur, &c. Alia quoque est causa vtilitatis & necessitatis, & alia auaritiæ & præsumptionis, aut propriæ volūtatis, &c. Omnipotens Deus sua vos protectione custodiat, honoremque & præceptum seruare concedat, & gloria honorque Deo Patri omnipotenti, eiusque Vnigenito Filio Saluatori nostro, cum Spiritu sancto sit in sæcula sæculorum. Amen.

SECVNDA HISPANIARVM APPELLATIO

Anno Domini 255. Lucius natione Romanus, eligitur Pontifex, cui ex Hispania Appellatio
D accessit, pro qua decidenda sequentem tradidit epistolam.

Dilectissimis fratribus omnibus in partibus Occidentalibus tam in Gallijs, quàm in Hispanijs consistentibus, Lucius Episcopus in Domino salutem.

Literas dilectionis vestræ, quas ad beati Petri Apostoli sedem pro vestra causa negocij misistis, libenter suscepimus, &c.

QVoniam & in hac sancta sede constitutum habemus vt duo presbyteri vel tres diaconi in omni loco Episcopum non deferant propter testimonium Ecclesiasticum. Episcopi enim non sunt leuiter accusandi vel detrahendi, quia iniuria eorum ad Christum pertinet, cuius vice & legatione funguntur in Ecclesia, &c. Item constituimus, sicut & à sanctis Apostolis, eorumque successoribus decretum reperimus, si

quis metropolitanus Episcopus, nisi quod solummodo ad propriam pertinet parochiam sine consilio & voluntate omnium comprouincialium Episcoporum, extra aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit: & quod egerit, irritum habeatur & vacuum, &c. Similiter authoritate fulti Apostolica præcipimus, vt nullus metropolitanus Episcopus absque cæterorũ omnium comprouincialium Episcoporum instantia aliquorum audiat causas eorum, quia irrita erunt, & ipse causam pro facto dabit, &c. Data Kalendis Aprilis, Gallo & Volusiano viris clarissimis Consulibus. A

TERTIA HIPANIARVM APPELLATIO

Ex tom 1. pag. 199.

ANNO Domini 257. Stephanus patria Romanus, Pontifex eligitur; cui Basilides Legionensis Episcopus, & Martialis Asturicensis Ecclesiæ in Hispania antistes, cæterorum huius Nationis Episcoporum in fide constantiam ac fortitudinem minimè sequentes, ad denunciationẽ fidelium Hispanorum Episcopali honore spoliantur, & in eorum locũ Sabinus ac Felix substituuntur. quamobrem Basilides ad Apostolicam sedem Romam se contulit ibique se iniustè sede priuatum conquerens, Stephano Romano Pontifici supplicationem plurimis mendacijs refertam exhibet, ac per eam sedi ac honori pristino restitui suppliciter rogat. Quod cum Episcopi Hispaniæ audissent, ipsi duo suffecti Episcopi, Sabinus ac Felix ad Africanam Ecclesiam ablegantur, & vtrique literæ ad S. Cyprianum reliquosque eius Ecclesiæ Episcopos scriptæ communicantur, vt scilicet ijdem Episcopi Libellaticorum duorum causam cognoscant ac dijudicent. Cyprianus igitur cum Legatos vna cum literis prædictis excepisset, collegas Antistites conuocat, & in eorũ sacro consessu literas ad se suosque collegas scriptas legi ac recitari; & ab ijsdem Legatis in concilium introductis suam ipsorum causam enarrari procurat. Quæ cum facta essent, hoc quod ab Episcopis Hispaniæ de Basilidis & Martialis libellaticorum Episcoporum depositione, & Sabini cum Felice suffectione constitutum fuerat, per Africanæ Ecclesiæ Episcopos illos qui huic concilio interfuerant confirmatum est: nimirum Libellaticos omnes ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, verùm ab ordinatione clericali, atque sacerdotali dignitate rectè prohiberi, hosce duos etiam sua Episcopali dignitate rectè spoliatos, Sabinum ac Felicem in locum ipsorum rectè suffectos esse. Quo testimonio habito, ipsi Sabinus ac Felix literis Cypriani aliorumque Episcoporum ad Stephanum & Episcopos Hispaniæ scriptis communiti, Romam adnauigant, tum vt mendacia Basilidis coram refellant, tum etiam vt authoritate sedis Apostolicæ contumaces Episcoporum Hispaniæ contemptores compescant. B C D

De re huiusmodi habetur Epistola Cypriani lib. 1. epist. 4. ad clerum & plebes in Hispania consistentes, in qua sic legitur. [Cum in vnũ conuenissemus, legimus literas vestras, fratres dilectissimi, quas ad nos per

Felicem

A Felicem & Sabinum Episcopos nostros pro fidei vestræ integritate & pro Dei timore fecistis; significantes Basilide & Martialem libellis Idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conscientia vinctos, Episcopatum gerere, & sacerdotium Dei administrare non oportere: & desiderastis rescribi hæc vobis, & iustam pariter ac necessariam sollicitudinem vestram vel solatio, vel auxilio nostræ sententiæ subleuari. Sed enim desiderio huic vestro non tam nostra consilia, quàm diuina præcepta respondent, &c. Nec rescindere ordinationem iure perfectã potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longe positum, & gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, B vt exambiret reponi se iniustè in Episcopatum, de quo fuerat iustè depositus, &c.]

QVARTA APPELLATIO

Anno Domini 311. Melchiades natione Afer, Romanus Pontifex electus est, cui ex Hispania appellatum fuit in fidei & morum controuersijs decidendis: quibus decisiuam proferens sententiam, hanc ad omnes Hispaniæ Episcopos scripsit epistolam.

Dilectissimis fratribus, Marino, Benedicto, Leontio, & cæteris Hispaniarum, ac illis in partibus constitutis Episcopis, Melchiades.

Apostolici præcepti verba sunt, apud Iudæos atque Gentiles sine offensione nos esse debere, &c.

PRimò semper ante omnia diligenter inquirite vt cum iustitia & caritate definiatis. Neminem comdemnetis ante verum & iustum iu- Ex tom. 1. pag. 235. dicium, &c. Episcopos nolite iudicare, nolite condemnare absque sedis C huius authoritate. Quod si feceritis, irrita erunt vestra iudicia, & vos condemnabimini. Hoc enim priuilegium huic sanctæ sedi à temporibus Apostolorum statutum est seruare, quod illæsum manet vsque in hodiernum diem. Episcopus ergo, quos sibi Dominus tanquam oculos elegit, & columnas Ecclesiæ esse voluit, quibus etiam ligandi & soluẽdi dedit potestatem, suo iudicio reseruauit, [hoc priuilegium beato clauigero Petro sua vice solummodo commisit.] Quod eius iustè prærogatiuum succrescit sedi futuris hæreditandum atque tenendum temporibus, quoniam & inter beatos Apostolos fuit quædam discretio potestatis. & licèt cunctorum par electio foret, beato tamen Petro concesD sum est, vt alijs præmineret, eorumque quæ ad querelam venirent causas & interrogationes prudenter disponeret, &c. Propterea ista scripsimus vobis mandantes vt ita teneatis, sicut & ab Apostolica sede vobis tenenda mandatur, &c. De his verò super quibus rogitastis vos informari, idest vtrum maius esset sacramentum, manus impositio Episcoporũ aut baptismus, scitote vtrumque magnum esse sacramentum. Et sicut vnum à maioribus fit, idest à summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non potest, ita & maiore veneratione venerandũ & tenendũ est. Sed ita coniuncta sunt hæc duo sacramenta, vt ab inuicem nisi morte præueniente nullatenus possint segregari, & vnum sine altero ritè perfici non potest, &c. Dedisti militem, da ei adiumentum militiæ.

Nunquid prodest si quisquam parentum magnam pupillo conferat facultatem, nisi prouidere studeat & tutorem? Itaque Paracletus regeneratis in Christo, custos & consolator & tutor est. ideo dicit sermo diuinus. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eã. Ergo Spiritus sanctus qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augumentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris, inter visibiles hostes & pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum roboramur, at si continuò transituris sufficiãt regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia, &c. Ieiunium verò Dominici diei & quintæ feriȩ nemo celebrare debet, vt inter ieiuniũ Christianorum & gentilium, veraciter credentium atque infidelium & hæreticorum, vera & non falsa discretio habeatur, &c. Data Kalendis Martij Volusiano & Rufino viris clarissimis Consulibus. A B

QVINTA APPELLATIO

Anno Domini 385. Siricius natione Romanus electus est Pontifex, cui ex Hispania Tarraconensi appellatio exhibita fuit, quæ ad Damasum fuerat directa, pro qua decidenda hanc tulit sententiam, quæ in sequenti continetur epistola.

Siricius Himerio Tarraconensi Episcopo salutem.

Ex tom. 1. conc. pag. 530.

Directa ad decessorem nostrum sanctȩ recordationis Damasum fraternitatis tuæ relatio, me iam in sede ipsius constitutum, quia sic Dominus ordinauit, inuenit: quam cum in conuentu fratrum solicitius legeremus, tanta inuenimus quæ repræhensione & correctione sunt digna, quanta optaremus laudanda cognoscere. Et quia necesse erat, nos in eius laboribus curisque succedere cui per Dei gratiam successimus in honore, facto vt oportebat primitùs meæ prouectionis iudicio, ad singula prout Dominus adspirare dignatus est, consultationi tuæ responsũ competens non negamus: quia pro officij nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianȩ religionis zelus incumbit. Portamus onera omniũ qui grauantur: quinimmo hęc portat in nobis beatus Apostolus Petrus, qui nos in omnibus vt confidimus, administrationis suæ protegit & tuetur hæredes. Prima itaque paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos ab impijs Arrianis plurimos ad fidem catholicam festinare, & quosdam de fratribus nostris, eosdem denuò baptizare velle: quod non licet, cum hoc fieri & Apostolus vetet, & canones contradicant, &c. Explicuimus, vt arbitror frater carissime, vniuersa quæ digesta sunt in querelam: & ad singulas causas, de quibus per filium nostrum Bassianum presbyterum ad Romanã Ecclesiam, vtpotè ad caput tui corporis retulisti, sufficientia, quantum opinor, responsa reddimus. Nunc fraternitatis tuæ animum ad seruandos canones, & tenenda decretalia constituta, magis ac magis incitamus, vt hæc quæ ad tua consulta rescripsimus, in omnium Coepisco- C D

Ephes. 4.

A porum nostrorum perferri facias notionem: & non solum eorum qui in tua sunt diœcesi constituti: sed etiam ad vniuersos Carthaginenses ac Bæticos Lusitanos atque Gallicos, vel eos qui vicinis tibi collimitant hinc inde Prouincijs, hæc quæ à nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub literarum tuarum prosecutione mittantur, &c. Data 3. idibus Februarij Archadio & Bautone viris clarissimis Consulibus.

SEXTA APPELLATIO.

Anno Domini 402. Innocentius Albanensis Romanus Pontifex electus est, qui ad Toletanam synodum à quibusdam accusatam, ad sanam Apostolicæ doctrinam appellantem hanc Epistolam definitiuam sententiam includentem misit.

Innocentius vniuersis Episcopis in Toletana synodo constitutis dulcissimis fratribus in D. S.

B SÆpè me & nimium cum teneret cura sollicitum, super dissensionis schismate Ecclesiarum, quod malum per Hispanias latius in dies separationis gradu incedere fama proloquitur, necessarium tempus emersit, quo non possit emendatio tanta differri, & deberet congrua medicina prouideri. Nam de ordinationibus, quas prauæ consuetudinis vitio, Hispanienses Episcopos celebrare cognouimus, fuerat aliquid secundum Maiorum traditionem statuendum, nisi perpenderemus, ne perturbationes quàm plurimas Ecclesijs moueremus. Quorum factum ita repræhendimus, vt propter numerum corrigendorũ, ea quæ quoquomodo facta sunt, non indubium vocemus, sed Dei potius dimittamus iudicio, &c. Nullus ergo contra Apostolum tale aliquid sentiat nec admittat, sed fideliter intelligat, vnius vxoris virum, siue ante baptismum
C baptisma essa nominatum, siue post baptismum. Si enim vxor ante baptismum accepta non ducitur in numerum: nec filij ex eadem suscepti, inter filios poterunt nominari. Quod quam absurdum sit atque alienũ, prudentia vestra meliùs æstimabit. Vndè neminem liceat interprætari aliter diuinas scripturas, nisi quod recta ratio permittit, ne dum quidã remedia sibi iniqua ad excusationem præparent, ex eo rupisse legem, & regulas euertisse iudicetur: sed ea tenenda sunt, quæ diuinarum scripturarum series continet, & à Sacerdotibus vtili ratione sunt constituta. Benè valetis fratres Carissimi.

APPELLATIO SEPTIMA

D ANNO Dominì 440. Leo natione Tuscus Romanus Pontifex creatur, qui anno septimo à die electionis suo Turibio Asturicensi Episcopo sequentem dedit epistolam, qui post habitam Hispanicarum Ecclesiarum visitationem ad Leonem Pontificem per diaconum suum cum literis de statu Hispaniarum Ecclesiarum scriptis, miserat commonitorium, sexdecim capita Priscillianistarum hæreseos complectens, & libellum supplicem, quo rogabatur Pontifex vt afflictis Ecclesijs subueniret. Laudat Leo vigilantem Turibij in Episcopatu pastoralem sollicitudinem, nonnulla in destinationem nefandæ hæreseos prolocutus, commendat factum Maximi Imperatoris, qui ad huiusmodi monstra conficienda, sæcularis potestatis gladium exercuerat: quanquam

opta-

optabilius esset eos Ecclesiastica censura emendatos fuisse. Deploratis A deinde summis malis, quibus & Episcopi aliquot etiam fuissent infecti, ad singula hæresum capita respondens, peculiaria singulis accomodata antidota parauit. Post hæc improbata lectione librorum Priscillianistarum, generale concilium in Hispania haberi mandat.

LEO EPISCOPVS,
Turibio Episcopo salutem.

Ex tom. 1. concil. pag. 995.

QVàm laudabiliter pro catholicæ fidei veritate mouearis, & quàm sollicitè Dominico gregi deuotionem officij pastoralis impendas, tradita nobis per diaconum tuum fraternitatis tuæ scripta demonstrant, quibus notitiæ nostræ insinuare curasti, qualis in regionibus vestris de antiquæ pestilentiæ reliquijs errorum morbus exarserit. Nam & episto- B læ sermo, & commonitorij series, & libelli tui textus eloquitur, Priscillianistarum fœtidissimam apud vos recaluisse sentinam. Nihil est enim sordidum in quoruncunque sensibus impiorum, quod in hoc dogma non confluxerit: quoniam de omnium terrenarum opinionũ luto multiplicem sibi fæcem commiscuerunt, vt soli totum biberent quicquid alij ex parte gustassent. Denique si vniuersæ hæreses, quæ ante Priscilliani tẽpus exortæ sunt, diligentius retractẽtur nullus penè inuenietur error de quo non traxerit impietas ista cõtagiũ. quę non contenta eorũ recipere falsitates, qui ab Euangelio Christi sub Christi nomine deuiarunt, tenebris, se etiam paganitatis immersit, vt per magicarum artium prophana secreta, & mathematicorum vana mendacia, religionis fidem mo- C rumque rationem in potestate dæmonum & effectu siderum collocarent, &c. neque de bonis neque de malis actibus vllum poterit esse iudicium, si in vtramq; partem fatalis necessitas motum mentis impellit; & quicquid ad hominibus agitur, non est hominum sed astrorum, &c. Ex quo autem multas prouincias hostilis occupauit irruptio, & executionẽ legum tempestates interclusere bellorum, ex quo inter sacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cæperunt esse conuentus, inuenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium subuersionẽ, his malis est incitata, quibus debuit esse correcta, &c. Quia ergo dilectio tua fideli, quantum potuit, diligentiâ, damnatas o- D lim opiniones sedecim capitulis compræhendit: nos quoque strictim omnia retractemus, ne aliquid harum blasphemiarum aut tolerabile videatur aut dubium. Primo itaq; capitulo demonstratur quam impiè sentiant de Trinitate diuina, qui & Patris & Filij & Spiritus sancti vnam atque eandem asserunt esse Personam, tamquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur, &c. quod blasphemiæ genus de Sabellij opinione sumpserunt, &c. Natalem Christi honorare se simulant ieiunantes eodẽ die sicut sicut & die Dominico, qui est dies resurrectionis Christi. quod vtique ideo faciunt, quia Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed perquandam

A illusionem ostentata videri volunt, quæ vera non fuerint, sequentes dogma Cerdonis atq; Marcionis, & cognatis suis Manicheis per omnia consonantes, &c. Vnde si quis Episcoporum vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub canonicorum nomine eos codices in Ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticum se nouerit iudicandum: quoniam qui alium ab errore non reuocat seipsum errare demonstrat, &c. Habeatur ergo inter vos Episcopale concilium, & ad eum locum qui omnibus opportunus sit, vicinarum Prouinciarum conueniant sacerdotes, vt secundum ea quæ ad tua consulta respondimus, plenissimo disquiratur examine, an sint aliqui inter Episcopos, qui huius hæreseos contagio polluantur, à B communione sine dubio sæparandi, si nefandissimam sectam per omnium sensuum prauitates damnare noluerint, &c. Dedimus itaque literas ad fratres & cœpiscopos nostros, Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos atque Gallecianos, eisque concilium synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis sollicitudinem pertinebit, vt nostræ ordinationis authoritas, ad prædictarum prouinciarum Episcopos deferatur. Si autem aliquid (quod absit) obstiterit, quo minus possit celebrari generale concilium Galleciæ saltem in vnum conueniant sacerdotes, quibus congregatis fratres nostri Hydatius & Cenobius imminebunt, coniuncta cum eis instantia tua, quo citius vel prouinciali conuentu remediũ tantis vulneribus afferatur. Data 12. Kalend. Augusti, Collepio & Ar- C dabure viris clarissimis Consulibus.

APPELLATIO OCTAVA

Anno Domini 461. Hilarus natione Sardus, Romanus Pontifex eligitur, qui à Tarraconensis prouinciæ Episcopis appellationem contra Calaguritanum Episcopum suscepit, hæc autem apppellatio, & Pontificis decisiua sententia nunc ordinatim proponitur. *Ex tom. 2. concil. pag. 195.*

Domino beatissimo & Apostolica reuerentia à nobis in Christo colendo Papæ Hilaro, Ascanius Episcopus & vniuersi Episcopi Tarraconensis Prouinciæ.

ETSI nulla dictaret necessitas Ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum reuera nobis fuerat illud priuileginm sedis vestræ, quo susceptis Regni clauibus post resurrectionem Saluatoris per totum orbem beatissimi Petri singularis prædicatio vniuersorum illuminationi prospexit: Cuius Vicarij principatus sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus D & amandus. Proinde nos Deum in vobis penitùs adorantes, cui sine querela seruitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur. Cum hæc ita se habeant: est tamen inter nos falsus frater, cuius prosumptionem sicut diutius tacere non licuit, ita & loqui futuri iudicij necessitas imperauit. Siluanus quidem Episcopus Calaguræ in vltima parte nostræ prouinciæ constitutus ordinationes sibi indebitas vsurpando, humilitatem nostram ad hoc vsque perduxit, vt contra eius vanissimam superstitionem sedis vestræ vnicũ remedium flagitemus. Hic namque iam ante septem aut octo amplius *Magna Hispaniæ veneratio erga Rom. Pontificē.*

annos, postponens Patrum regulas, & vestra instituta despiciens, nullis A petentibus populis Episcopum ordinauit: cuius præpoperum factum existimantes fraterna, & pacifica posse admonitione sanari, profecit in peius. Denique contra vetustatem canonum, contra synodi constituta, alterius fratris nostri presbyterum, spiritum tantum præsumptionis accensus, in eodem loco, qui illi fuerat destinatus, cui inuito & repugnanti imposuerat manus, & qui nostro iam cœtui fuerat aggregatus, Episcopum fecit. Hinc factum est, vt de eius miserrima temeritate ad nos Cæsaraugustanæ vrbis Episcopus frater noster vniuersa referret, cuius diligentia & sollicitudo admodum prospexerat, si in aliquo profuisset. Siquidem cunctis in vicinia positis Episcopis, ne se schismatico adiungerent, frequentissime contradixit: sed obstinatione damnabili totum B quod erat illicitum, & quod nobis pudor est dicere, non erubuit solus ille committere. Proinde quia his præsumptionibus quæ vnitatem diuidunt, quæ schisma faciunt, velociter debet occurri: quæsumus sedem vestram, vt quid super hac parte obseruare velitis, Apostolicis affatibus instruamur: quatenus fraternitate collecta, prolatis in medium venerandæ synodi constitutis, contra rebellionis spiritum vestra authoritate subnixi, quid oporteat de ordinatore & de ordinato fieri, intelligere, Deo adiuuante, possimus. Erit profectò vester triumphus, si Apostolatus vestri temporibus, quod sancti Petri cathedra obtinet, catholica audiat Ecclesia, si nouella zizaniorum semina fuerint extirpata. Et subscriptio. Orantem pro nobis sanctum Apostolatum vestrum iugi æuo diuina con- C seruet æternitas.

APPELLATIO NONA

Tarragonensis prouinciæ Episcopi noua accidente causa, iterum Romanum Pontificem appellant. Hilarus autem Romanus Pontifex vtrique Appellationi simul decisinam protulit sententiam, quæ immediatè post hanc Appellationem sequitur.

Beatissimo, & Apostolica reuerentia à nobis in Christo colendo Hilaro, Ascanius & vniuersi Episcopi Tarraconensis Prouinciæ.

Ex tom. 2. pag. 195. QVam curam Apostolatus vester de Prouinciarum suarum sacerdotibus gerat, filio nostro illustri Vincentio, duce prouinciæ nostræ referente cognouimus: cuius impulsu, votum nostrum in ausum scribendi prona deuotione surrexit. Ergo prouinciali literario sermone debita coronæ vestræ obsequia deferentes, his quæsumus vt dignatione D qua cæteros, etiam humilitatem nostram in orationibus vestris in mente habere dignemini, beatissime & Apostolica reuerentia in Christo à nobis colende pater: illud specialius deprecantes, vt factum nostrum, quod tum voto penè omnis Prouinciæ, quàm exemplo vetustatis in notitiam vestram defertur, perpensis assertionibus nostris, roborare dignemini. Episcopus Barchinonensium ciuitatis sanctus Nundinarius, sortem expleuit conditionis humanæ. Hic Episcopo venerabili fratri nostro Irenæo, quem ipse antea in diœcesi sua nobis volentibus constituerat, derelinquens ei quod potuit habere paupertas, supremę volũtatis arbi-

A bitrio, in locum ſuum vt ſubſtitueretur optauit: ſed defuncti iudicium in eius meritum non vacillat. Siquidem omnis clerus & plebs eiuſdem ciuitatis & optimi & plurimi prouinciales, vt idem eius locum obſeruaret, à nobis ſperauerunt, dato conſenſu. Nos cogitantes defuncti iudicium, & probantes eius vitam & eorum nobilitatem atque multitudinē, qui petebant, ſimul & vtilitatem Eccleſiæ memoratæ, optimum duximus, vt tanto ſacerdoti, qui ad diuina migrauerat non minoris meriti ſubſtitueretur antiſtes, præſertim cum Eccleſia illius municipij, in qua ante fuerat ordinatus, ſemper huius ciuitatis Eccleſię fuiſſe diœceſis conſtet. Ergo ſuppliciter præcamur Apoſtolatum veſtrum, vt humilitatis noſtræ decretum, quod iuſtè à nobis videtur factum, veſtra authoritate B firmetis. Iamdudum ſanè queſti fueramus literis noſtris depræſumptione Syluani Epiſcopi, & miramur, quod nulla Apoſtolatus veſtri reſpōſa ſuſcepimus. Nunc hæc eadem ſuggerentes, petimus vt quid ſuper his rebus obſeruandum ſit, Apoſtolicis ſermonibus non dignemini informare. Et ne forſitan per negligentiam portitoris, aut per longinqui itineris difficultatē, humilitatis noſtræ ad vos ſcripta non potuerint ex hoc negotio peruenire, etiam ſuggeſtionem noſtram maluimus iterare. Et ſubſcriptio. Orantem pro nobis, ſanctum Apoſtolatum veſtrum, iugi æuo diuina conſeruet æternitas nobis omnibus & Eccleſiæ ſuæ, domine venerande noſter Apoſtolice Papa.

C **Reſcriptum Hilari Papæ ad Aſcanium & reliquos Tarraconenſis prouinciæ Epiſcopos: quo, vtramque Appellationem indicat & definit.**

Hilarus Epiſcopus Aſcanio, & vniuerſis Epiſcopis Tarraconenſis prouinciæ.

POſtquam literas veſtræ dilectionis accepimus, quibus præſumptiones Syluani Epiſcopi Calagurenſium Eccleſiæ retundi petiſtis: & rurſum Barcinonenſium quæritis nimis illicita vota firmari: honoratorum & poſſeſſorum Turiaſſunenſium, Caſcantenſium, Calaguritanorum, Virgilienſium, Tricienſium, Legionenſium, & Ciuitatenſium, cum ſubſcriptionibus diuerſorum, literas nobis cōſtat ingeſtas: per quas id, quod de Syluano quærela veſtra depromſerat, excuſabant. Sed reprehenſione iuſtiſſima, eorum pariter iuſta allegatio non carebat: quia præter conſcientiam metropolitani, fratris & coepiſcopi noſtri Aſcanij, D nonnullis ciuitatibus ordinatos claruit ſacerdotes. Vnde quoniam quicquid ab alterutra parte eſt indicatum, omni videmus peruerſitate confuſum, temporum neceſſitate perſpecta, hac ratione decernimus ad veniam pertinere, quod geſtum eſt, vt nihil deinceps contra Nicænorum canonum conſtitutum tentetur. *Ex tom. 2. concil. pag. 196.*

Hoc autem primùm, iuxta eorundem patrum regulas volumus cuſtodiri, vt nullus præter notitiam atque conſenſum fratris Aſcanij metropolitani, aliquatenus conſecretur Antiſtes: quia hoc & vetus ordo tenuit, hoc trecentorum decem & octo ſanctorum patrum definiuit auctoritas: cui quiſquis obuias tetenderit manus, eorum ſe conſortio fa-

tetur indignum, quorum præceptionibus resultarit. 2. In quorū contumeliam à superbo spiritu etiam pars illa contemnitur, qua vetatur, ne quis relicta Ecclesia sua ad alteram transire præsumat. Quod nimis improbe conniuentibus, & vt doleatur grauius, vobis asserentibus, Ireneus Episcopus conatur admittere quod nostra authoritate roborari cupitis, quos maximè de rebus illicitis magna indignatione probatis accēdi. Lectis ergo in conuentu fratrū, quos natalis mei festiuitas congregarat, literis vestris, quæ de ordinandis Episcopis secundum statuta canonum vel prædecessorum meorum decreta sunt, prolata sententia, gestorum quæ pariter direximus, tenore discetis. 3. Vnde remoto ab Ecclesia Barcinonensi, atque ad sua remisso Irenæo Episcopo, sedatis per sacerdotalem modestiam voluntatibus, quæ per ignorantiam Ecclesiasticarum legum desiderant, quod non licet obtinere: talis protinus de clero proprio Barcinonensibus Episcopus ordinetur, qualem te præcipuè frater Ascani, oporteat eligere & deceat consecrare, ne si aliter fortè factum fuerit, non sine obiurgatione tui maximè nominis retundatur nostra præceptio, quod in iniuriam Dei, à quo specialiter sacerdotalium est gratia dignitatum, didicerimus admissum. Nec episcopalis honor hæreditarium ius putetur, quod nobis sola Dei nostri benignitate Christi confertur. 4. Ordinatos ergo nunc Episcopos (qui licet te ignorante prouecti sunt, cum suis authoribus meruerunt submoueri) hac ratione firmamus, si nec viduarum maritus fuerit quis quam, nen in secundæ coniugis, & in vnius virginis nuptias ac vota conuenerit, sicut & legalia constituta præcipiunt, dicendo. [Sacerdos virginem vxorem accipiat non viduam non repudiatam.] Secundum quod etiam beatus Apostolus Paulus magister gentium, de his qui fieri desiderant sacerdotes propria institutione non tacuit dicens. [Vnius vxoris virum.] Cuius sanè tenore sententiæ ita informari esse debetis fratres carissimi, vt inter cætera quæ cauenda sunt, hæc studeatis præcipuè custodire, quæ cognoscitis ante vniuersa mandari. In quibus etiam perspiciendum est ne duo simul sint in vna Ecclesia sacerdotes, nec literarum ignarus, aut carens aliqua parte membrorum, vel etiam ex pœnitentibus aliquis ad sacrum ministerium prorsus sinatur accedere, &c. 5. Vt autem omnia secundū hæc quæ scripsimus corrigantur, præsentes literas, Traiano subdiacono nostro veniente direximus. Quòd si Ireneus Episcopus ad Ecclesiam suam, deposito improbitatis ambitu redire neglexerit, quod ei non iudicio, sed humanitate præstabitur, remouendum se ab Episcopali consortio esse cognoscat. Deus incolumes vos custodiat fratres carissimi. Data 3. Kalendas Ianuari Basilisco & Hermenerico viris clarissimis Consulibus.

Leuit. 21. 1. Tim. 3. Anno Domini 465.

A B C D

Anno

A Anno Domini 467. Simplicius natione Tiburtinus Romanus Pontifex electus est, qui super vniuersam Hispaniam, Ze nonem Hispalensem Episcopum, vicarium Apostolicæ sedis instituit.

Dilectissimo fratri Zenoni, Simplicius.

PLurimorum relatu comperimus, dilectionem tuam feruore Spiritus sancti ita te Ecclesiæ gubernatorem existere, vt naufragij detrimenta, Deo authore, non sentiat. Talibus idcircò gloriantes indicijs, congruum duximus, vicaria sedis nostræ te authoritate fulciri, cuius vigore munitus, Apostolicæ institutionis decreta vel sanctorum terminos patrum, nullo modo trascendi permittas: quoniam digna honoris remuneratione cumulandus est, per quem in his regionibus diuinus crescere innotuit cultus. Deus te incolumem custodiat frater carissime.

B

APPELLATIO DECIMA

Anno Domini 514. Hormisda natione Campanus de ciuitate Frusinona, Romanus Pontifex creatus fuit. qui Ioannem Tarraconensem Episcopum super plures Hispaniarum Ecclesias, & Salustium per Bæticam Lusitaniamque Hispaniæ prouincias, sedis Apostolicæ vicarios instituit. & ab vniuersa Hispania Appellationem suscipiens, eam per sequentem epistolam iudicauit ac diffiniuit.

Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis per Hispaniam constitutis, Hormisda.

BEne dicta Trinitas Deus noster, qui per misericordiam suam Romanæ Reipublicæ per vniuersas partes, suæ pacis tranquillitate diffusa nobis quoque viam demonstrandæ circa nos inuicem caritatis indulsit. &c. Tamen quia Ioannis fratris & coepiscopi nostri nobis insinuatione vulgatum est, contra canonum reuerentiam nonnulla præsumi, periculum quod doctoribus imminet de taciturnitate declinans, & Prophetica voce compunctus, qua dicitur. Loquere ne taceas, generalibus edicendum credidi constitutis. Vt in sacerdotibus ordinandis quæ sunt à patribus præscripta & definita cogitetis; quia sicut est caput Ecclesiæ Christus, Christi autē vicarij sacerdotes, sic & in eligendis his curā oportet esse perspicuam. Irrepræhensibiles enim esse conuenit, quos præesse necesse est corrigendis: nec quicquam illi deesse personæ, penes quā est religionis summa substantia disciplinæ, &c. Quis enim, quē paulo ante vidit iacentē veneretur antistitem? Præferens miserandi labem, non habet lucidā sacerdotij dignitatē. Hoc quoq; ad præmissa adiungimus, ne benedictionē, quæ diuina esse creditur per impositionē manus, quis pretio comparet: quoniā ante oculos esse conuenit, quòd Simon Spiritum sanctum volens redemptione mercari, Apostoli fuerit detestatione percussus. tunc deinde quis non vile putat esse quod venditur? &c. Aduersus hęc facilius Deo adiuuante prouidebitur, si circa metropolitanos priuilegia à sanctis patribus constituta permaneant: si Metropolitani circa parochias suas ordinem suum, ea qua decet veneratione custodiant, vt nec electio præsulis empta detur pretijs, & nec obsequentis sit quæsita operibus, &c. Ob hoc patres, prouidentia qua Spiritus sanctus cultores suos cōpungere dignatus est incitati, bis in anno per Parochias singulas, concilia habere docuerunt, vt in vnum iuxa salubris institutio-

Ex tom. 2. conc. pag. 333.

C

Isaia. 18.

D

nis dogmata congregati, pro Ecclesiasticis causis tractandis liberè conuenirent, vt si iuxta votum vniuersa consistunt, Deum iunctis vocibus, qui præstat desiderata collaudent. Difficile est enim vt cuiusquam cor prauis sic cogitationibus induretur, vt à se patiatur culpanda fieri, cũ nouerit se iudicium subiturum esse concilij, &c. De conueniendo bis in anno, notum est canones sanctos constituisse: & præfinitũ quidem, si possibile est, inuiolabiliter conuenit custodiri. Sed si aut temporum necessitates, aut emergentes causæ hoc non patiuntur impleri, semel saltem (quamuis non licuerit) sine vlla excusatione præcipimus conuenire, &c. Data 4. nonas Aprilis, Agapeto viro clarissimo Consule. A

APPELLATIO VNDECIMA B

Anno Domini 590. Gregorius patria Romanus. electus est Pontifex, qui ab Hispalensis Archiepiscopo prouinciæ de baptismi doctrina appellationem accepit, pro qua decidenda sequentem tradidit epistolam.

Gregorius, Leandro Episcopo Hispalensi.

Ex tom 2. Conc. pag. 735.

Respondere epistolis vestris tota intẽtione voluissem, nisi pastoralis curę ita me labor attereret, vt mihi magis flere libeat, quàm aliquid dicere, &c. Explere autem loquendo nullatenus valeo gaudium meũ, quod communem filium Recharedum gloriosissium regem ad catholicam fidem integerrima agnoui deuotione conuersum. Huius dum mihi per scripta vestra mores exprimitis, amare etiam quem nescio fecistis, C Sed quia antiqui hostis insidias scitis, quonim bellum durius contra victores proponit, nunc erga eundem solertius sanctitas vestra euigilet, vt benè cæpta perficiat, nec se de perfectis bonis operibus extollat, vt fidẽ cognitam, vitæ quoque meritis teneat: & quia æterni regni ciuis sit, operibus ostendat: quatenus post multa annorum curricula, de regno ad regnum transeat. De trina verò mersione baptismatis, nil responderi melius potest quàm quod ipsi sensistis: quia in vna fide nihil officit sãctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quod tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, vt dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis fortè etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizando semel in aquis mergere: quia dum in tribus Personis vna substantia est, repræhensibile esse nullatenus potest infantem in babtismate in aquam vel ter vel semel immergere, quando & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in vna potest Diuinitatis singularitas designari. Sed quia nunc hucusque ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo: ne dum mersiones numerant, Diuinitatem diuidant: dumque quæ faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse glorietnr. &c. Data mense Maij. D

Hæreticorum rituum similis vitanda.

Hæ

A Hæ ſunt Appellationes, Optime Lector, quas ad Hiſpaniarum antiquiſſimam catholicam fidem, & erga Romanam ſancti Petri cathedram obſequium ac venerationem teſtificandam proferre volui: vt ea poteſtas, quam nunc temporis, Diuina diſponente bonitate, ſuper Hiſpaniarum regna Apoſtolica Romana ſedes retinet, non quid recens ab humano iure procedens, ab hoſtibus fidei & Romanæ cathedræ æmulis, æſtimetur; ſed vetuſtiſſima conſuetudo à Diuina ſanctione emanans, & ab initio naſcentis Eccleſiæ permanens demonſtretur. Omittimus autem plura Hiſpaniarum Nationalia & Prouincialia concilia, quæ celebrata fuerunt, cum id narrare extra noſtrum ſit inſtitutum, etſi ad huius religioſæ ac generoſæ Nationis laudes recenſendas non
B eſſet inane nec inutile. Verùm quia gaudent breuitate moderni: nec viris doctis, ad quos huius Operis lectio dirigitur, gratus vnquam fuit ſermo prolixus, ſufficiat hic vmbo hoſtium ictibus.

C

D

DIS-

DISPVTATIO SEPTIMA A
DE APPELLATIONIBVS ECCLESIÆ GALLIARVM.



ALLIA, celebris Europæ pars, cibarijs fructibus ferax: Viros omni tempore armis ac militari disciplina in vniuerso Orbe claros, necnon ad ludos litterarios excolendum, & plurium Nationum linguas discendum propensos, protulit. Cum post humani generis redemptionem Euangelij præcones ab initio suscepisset, sic Chri- B stianam religionem complexa fuit, vt sensim catholica fides in omnibus Galliç locis mirificè propagata sit: quamobrem plurimos etiam sanctitate celeberrimos super astra cæli transmisit. Verùm quia vix inuenitur, qui non quasi mercedem rerum gestarum desiderat gloriam, vt Cicero lib. 1. Off. monet, silentio obuoluere non decet, eousque huius Nationis pietatem demum ascendisse, vt non tantùm ab initio & deinceps, Romanæ Petri cathedræ fuerit obsequentissima, sed etiam armis aliquando eam patrocinata fuerit.

Ex tom. 2. pag. 966. & 634. Primi qui Galliæ annunciarunt Euangelium, Trophimus & Dionysius Areopagita fuerunt, à Petro Apostolorum Principe, qui tunc Romanam regebat Ecclesiam ad hanc prouinciam delegati: prior ad Arelatensem ciuitatem magno emporio insignem: posterior verò Parisium C seu Lutetiam Vrbem, quæ ad fluuium Sequanam sita, caput est totius Galliæ, sedes regia, frequens & populosa, vna ex maximis totius Europæ vrbibus, à Paride filio Priami Regis Troiæ ædificata, à Iulio Cæsare aucta, & à Carolo magno, anno Dom. 791. ad nobiliorem frugem redacta. nunc vrbs regni primaria existitit, amplitudine & ciuium frequētia excellens; Regia sede, Academia insigni, ac emporio præfulgens.

Sed vt ad nostrum descendamus institutum; Galliam ab initio adeò sub Romanæ Petri cathedræ disciplina ac iurisdictione fuisse comperimus, quòd in omnibus causis fidei & morum decidendis, semper ad eam, tanquam ad supremum sui tribunal appellare voluerit. & hoc est D à nobis recensendum, qui Romanæ Petri cathedræ, vniuersam Christi Ecclesiam obedientiam præstitisse, & omnibus Nationibus ipsam beati Petri sedem semper præfuisse, demonstrare debemus. his ergo præmissis.

Dicimus Ecclesiam Galliarum Romanæ Petri cathedræ, sicut ouis pastori suo, subiectam esse. Probatur, Cuicunque ab alijs, accedente occasione, fieri debent Appellationes ad vltimam controuersiarum obtinendam decisionem, eidem pariter tanquam supremo iudici & principi in illo ordine, appellans subiectus est & subditus: Sed Ecclesia

Gal-

A Galliarum de facto ab initio sic Romanam Petri cathedram appellauit, ergo Galliarum Ecclesia Romanæ Petri cathedræ, vt ouis pastori suo, subiecta est. Maior est euidens: Minor probatur per ea quæ facta sunt & euenerunt, seu per Appellationes iam actu exhibitas.

PRIMA GALLIARVM ECCLESIÆ

Ad Romanam Petri cathedram Appellatio.

Anno Domini 167. Anicetus natione Syrus, Romanus Pontifex electus fuit. Hic à Galliarum Episcopis appellationem accepit, super Episcoporum ordinationes, & alia quædam, quæ in hac sequenti epistola, vbi eiusdem Pontificis decisiua sententia includitur recensentur.

Anicætus vniuersis Ecclesijs per Galliæ prouincias constitutis, in Domino salutem.

B Bonorum operum & spiritualium studiorum Deum authorem esse non dubium est, qui bonorum hominum incitat mentes & adiuuat actiones. Quod nobis euidenter apparuit, quum inter longinqua spatia regionum, vnum corda vestra senserunt consilium, & quæ desiderabitis responsa, non vnius, sed plurimorum epistolæ intimarunt. De ordinationibus verò Episcoporum, super quibus nos consulere voluistis, olim in sancti prædecessoris nostri Anacleti ordinationibus quædam iam decreta reperimus. Scimus enim beatissimum Iacobum qui dicebatur iustus, qui etiam secundum carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro, Iacobo & Ioanne Apostolis, Hierosolymorum Episcopum esse ordinatum. Si autem non minus quàm à tribus Apostolis, tantus vir fuit ordinatus Episcopus: patet profectò, eos formam instituente Domino C tradidisse, non à minus quàm à tribus Episcopis Episcopum ordinari debere. Sed crescente numero Episcoporum, nisi necessitas interuenerit, debent etiam plures augeri, idest si Archiepiscopus diem obierit, & alter ordinandus Archiepiscopus electus fuerit, omnes eiusdem Prouinciæ Episcopi ad sedem Metropoleos conueniant, vt ab omnibus ipse ordinetur, &c. Sin aliter præsumptum fuerit, viribus carere non dubiũ est, quia irrita erit secus acta ordinatio. Ipse autem Archiepiscopus nihil de eorum causis, aut de alijs communibus, iuxta statuta Apostolorum, absque cunctorum illorum agat consilio: nec illi, nisi quantum ad proprias parochias pertinet, sine suo, &c. Nulli Archiepiscopi Primates vocentur, nisi illi qui primas tenent ciuitates, quarum Episcopos Apostoli D & successores Apostolorum regulariter Patriarchas & primates esse cõstituerunt, nisi aliqua gens deinceps ad fidem conuertatur, cui necesse sit propter multitudinem eorum, Primatem constitui. Reliqui verò qui alias Metropolitanas sedes adepti sunt, non Primates sed Metropolitani nominentur. Si autem aliquis Metropolitanorum inflatus fuerit, & sine omniũ comprouincialiũ præsentia vel cõsilio Episcoporũ, aut eorũ aut alias causas, nisi eas tantùm quæ ad propriam sua Parochiam pertinent, agere aut eos grauare voluerit, ab omnibus districtè corrigatur, ne talia deinceps præsumere audeat. Si verò incorrigibilis eisque inobediens apparuerit, ad hanc Apostolicam sedem (cui omnia Episcoporum iudicia

Ex tom 1. Conc. pag. 126.

cia

cia terminate præcepta sunt) eius contumacia referatur, vt vindicta de A
eo fiat, & cæteri timorem habant, &c. Prohibete fratres, per vniuersas
1. Cor. 11. regionum vestrarum Ecclesias, vt clerici qui laicis & simplicibus, virtutis honestatis pudicitiæ & grauitatis exemplar esse debent, ac seipsos tanquam signum purioris vitę rudioribus ad imitationem prudenter exhibere, iuxta Apostolum, comam non nutriat, sed desuper caput in modum sphæræ radant: quia sicut discreti debent esse in conuersatione, ita & in tonsura & omni habitu discreti debent apparere. Hæc vobis fratres vt petistis, custodienda mittimus, & custodire præcipimus, &c. Data octauo Kalend. Iunij Gallicano & Ruffino viris clarissimis Consulibus.

APPELLATIO SECVNDA

Anno Domini 179. Eleutherius natione Græcus, patria Nicopolitanus, Romanus Pontifex B
electus est, qui à Galliæ Episcopis appellationem super quasdam controuersias suscipiens, hanc quæ in sequenti continetur epistola, decisiuam sententiam protulit.

Eleutherius Episcopus vniuersis Ecclesijs per Galliæ prouincias Dño militantibus, in D. S.

Ex tom. 1. concil. pag. 129. Magno munere misericordiæ Dei, totius Ecclesiæ catholicæ multiplica sunt gaudia, cum multos populos ad Domini seruitium festinare cognouimus. Qua de re necessarium iudicauimus vos instruere, vt escas quas vitare vos audiuimus irrationabiliter, non respuatis, &c. De accusationibus ergo clericorum, super quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad sedem Apostolicam deferre, finitiuam Episcoporum tantum iudicia huc deferantur, vt huius sanctę sedis authoritate finiantur, sicut ab Apostolis eorumque successoribus, multorum consensu Episcoporum, iam definitum est. Nec in eorum C
Ecclesijs alij aut præponantur, aut ordinentur, antequam hic eorum iustè terminentur negocia. Quoniam quamuis liceat apud prouinciales & Metropolitanos atque Primates eorum ventilare accusationes vel criminationes, non tamen licet diffinire secùs quàm prædictum est. Reliquorum verò clericorum causa apud Prouinciales & Metropolitanos ac primates & ventilare & iustè finire licet, &c. Nihil tamen absque legitimo & idoneo accusatore fiat. Nã & Dominus noster Iesus Christus Iudam furem esse sciebat: sed quia non est accusatus, ideo non est eiectus. Et quicquid inter Apostolos egit, pro dignitate ministerij ratum mansit. Nam si leges sæculi accusatores requirunt, quanto magis Ecclesiasticæ regulæ? &c. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manife- D
Prou. 18. sto facinori desinit obuiare. Huius rei gratia vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis. Frater autem fratrem adiuuans, exultabitur: & allidens, dissipabitur. quapropter releuate semper oppressos, corripite inquietos, vt zizania Dominicam messem non possit suffocare. Data 5. idus Iunij, Materno & Bradua viris clarissimis consulibus.

APPELLATIO TERTIA

Anno Domini 221. Calixtus patria Romanus, Pontifex electus fuit, cui à Galliarum hominibus appellatio exhibita est, eamque cum iudicasset, decisiuam sententiam per sequentem epistolam tradidit.

Di-

A Dilectissimis fratribus per Gallias constitutis vniuersis Episcopis, Calixtus.

PLurimorum relatu comperimus, dilectionem vestram, feruore Spiritus sancti, ita Ecclesiæ gubernacula firmiter contra impetus tenere & regere, vt naufragia aut naufragiorum detrimenta, Deo authore, non sentiat. Talibus igitur gloriantes indicijs, rogamus ne in illis partibus contra statuta Apostolica quicquam fieri sinatis, sed nostra fulti authoritate, nociua compescite, illicita prohibete. Conspirationum verò crimina vestris in partibus vigere audiuimus, & plebes contra Episcopos suos conspirare nobis manifestatum est, cuius criminis astutia nõ solùm inter Christianos abominabilis est, sed etiam inter Ethnicos, & ab exteris legibus prohibita &c. Excommunicatos quoque à Sacerdo- B tibus nullus recipiat ante vtriusque partis iuxtam examinationem, nec cum eis in oratione aut cibo aut potu, aut osculo communicet, nec Aue ei dicat: quia quicunque in his vel alijs prohibitis, scienter excommunicatis communicauerit, iuxta Apostolorum institutionem, & ipse simili excommunicationi subiacebit. ab his ergo laici, & clerici se abstineant qui eadem pati noluerint, &c. Nullus primus, nullus Metropolitanus, nullusque reliquorum Episcoporum alterius adeat ciuitatem, aut ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet, & alterius Episcopi est parochiæ, super cuiusquam dispositione, nisi vocatus ab eo, cuius iuris esse dignoscitur, aut quicquam ibi disponat vel ordinet aut C iudicet, si sui gradus honore potiri voluerit &c. Coniunctiones autem consanguineorum fieri prohibentur, quando has, & diuinæ, & sæculi prohibent leges &c. Consultis vestris breuiter respondimus, quia oppressos nimis & præoccupatos alijs iudicijs literæ Nos inuenere vestræ. Data 8. Idus Octobris, Antonino, & Alexandro viris clarissimis consulibus.

Ex tom. 1 concil. pag. 137.

APPELLATIO QVARTA.

Anno Domini 255. Lucius Romanus munus Pontificale suscepit: qui à Galliarum, & Hispaniarum Episcopis Appellationem accipiens, hanc quæ in sequenti includitur Epistola, decisionem ac sententiam exhibuit.

Dilectissimis fratribus omnibus in partibus Occidentalibus, tam in Gallijs quàm in Hispanijs consistentibus, Lucius Episcopus in Domino salutem.

D LItteras dilectionis vestræ, quas ad beati Petri Apostoli sedem pro vestra causa necocij misistis, libenter suscepimus: sed & de vestris afflictionibus non modicè contristati sumus. Significastis enim &c. Propter quod fratres hortamur vos, sicut & in hac sancta Ecclesia constitutum habemus, vt semper testes vobiscum sacerdotes & diaconos habeatis. Et licèt conscientia sufficere possit propria, tamen propter maleuolos, iuxta Apostolum, etiam testimonium vos habere bonum ab his qui foris sunt. Quoniam & in hac sancta sede constitutum habemus vt duo præsbiteri vel tres diaconi in omni loco Episcopum non deserãt propter testimonium Ecclesiasticum. Episcopi ergo non sunt leuiter accusandi vel detrahendi. quia iniuria eorum ad Christũ pertinet, cuius

Ex tom. 1. pag. 179.

vice & legatione funguntur in Ecclesia &c. Item constituimus, sicut & à sanctis Apostolis eorumq; successoribus decretum reperimus, si quis metropolitanus Episcopus, nisi quod solummodò ad propriam pertinet Parochiam sine consilio omnium comprouincialium Episcoporum, extra aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit irritum habeatur & vacuum, &c. Hæc sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit: sed vt in exordio normam fidei Apostolicæ percepit ab authoribus suis, Apostolorum Christi Principibus, illibata finetenus manet, secundum ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, qui discipulorum suorum principi in suis fatus est Euangelijs, &c. Data Kalendis Aprilis Gallo & Volusiano viris clarissimis Consulibus.

A

B

APPELLATIO QVINTA

Felix patria Romanus anno Domini 272. ad Pontificatus apicem assumptus est: qui à Galliarum Episcopis appellationem habuit eamq; iudicans diffinitiuam sententia per sequentem epistolam, ad illos direxit.

Felix Episcopus vniuersis Episcopis per Galliç prouincias constitutis, in Domino salutem.

Ex tom. 1. Conc. pag. 213.

BOnorum operum & spiritualium studiorum Deum authorem esse, non dubium est, qui eorum incitat mentes & adiuuat actiones. Vnde lætari me fecerunt scripta vestra, ex bono studio & ex integritate fidei deuotionis vestræ: sed ex afflictione & contritione vestra magna ex parte tristauere. Tristis enim tristes legi literas vestras, & scripta mœsta mærore debito percurri: quia sicut nos Ecclesiarum pax, sacerdotumq; eius concordia & tranquillitas plebis adire facit gaudium, ita nos affligit & deijcit fraterna afflictio, &c. Nos verò ad supplementum vestrum fratres, & coepiscopos nostros vocauimus amplius quam septuaginta cum quibus hęc quę subter habentur inserta regulariter tractando decreuimus. Vestris enim literis in omnium audientia perlectis, quæ multas, vt nostis, quærimonias & oppressiones in se continebant vestras decretisque quæ sunt de accusationibus Episcoporum, sancta synodus dixit. Hæc sunt quæ deinceps propter malorum hominum insidias, qui in Ecclesiam & in Ecclesiasticos sæuiunt viros indifferenter, & conseruare firmissimè volumus in sæcula. Si quis Episcopus ab illis accusatoribus, qui recipiendi sunt fuerit accusatus, &c. Absente verò aduersario non audiatur accusator: nec sententia absente parte alia, à iudice dicta, vllam obtinebit firmitatem: neque absens per aliū accusari aut accusare potest, nec affinis testis admittatur, &c. Si quis autem iudicem aduersum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, quā nulli oportet negari. Peregrina verò iudicia, generali sanctione prohibemus: quia indignum est vt ab externis iudicetur, qui comprouinciales & à se electos debet habere iudices, &c. licèt namque de his plura & pernecessaria, quæ in decretis sedis Apostolicæ & ab Apostolis eorumq;

C

D

suc-

A successoribus nostris videlicet prædecessoribus statura inueniuntur, dicere & conscribere potuissemus, tamen melius nobis visum est vt epistolam oratione claudamus. Deus omnipotens, &c. Valere vos opto, carissimi fratres. Data 5. idus Aug. Claudio & Paterno viris Consulibus.

APPELLATIO SEXTA

Anno Domini 390. Eusebius natione Græcus ad Petri cathedram regendam eligitur: qui ab omnibus Galliæ Episcopis Appellationem recipiens, hanc eam iudicando sententiam protulit.

Carissimis fratribus, Domino & Deo dilectis Episcopis omnibus per Gallicanas Prouincias constitutis, Eusebius.

SCripta sanctitatis vestræ cum magna gratiarum actione suscepi, gauisus scilicet vestrę sospitate, sed contristatus nimis de vestra oppres- B sione. Quòd significastis autem, quid de conuersis hæreticis fieri debuisset, scitote nos eos qui in sanctę Trinitatis fide baptizati sunt, per impositionem manus suscipere. De accusationibus vero clericorum super quibus mandastis, scitote à tempore Apostolorum in hac sancta vrbe seruarum esse, accusatores & accusationes quas exterarum consuetudinum leges non adsciscunt, à clericorum accusatione submota. Similiter, laicos non accusasse Episcopos, hactenus obseruatum & constitutum est quia eiusdem non sunt conuersationis. Et oppidò eis quidam infesti existunt, quippe cum vita eorum & conuersatio debet esse secreta, & à laicorum actibus remota, &c. Infames enim sunt proculdubiò impugnatores Episcoporum, omnesq; qui aduersus Patres armantur, & C conculcatores Ecclesiarum sacerdotumque eius, &c. Etsi amplius de talibus, aut de similibus aliquid fuerit deliberandum, celeriter ad nos relatio dirigatur, vt pertractata qualitate horum, nostra quid obseruari debeat solicitudo constituat. Data 6. Kal. Augusti Constantino Cons.

APPELLATIO SEPTIMA

Anno Domini 402. Innocentius Albanensis Romanus Pontifex electus fuit, qui ab Episcopo Rothomagensi in Gallia Appellationem accepit anno tertio Pontificatus sui, quam Appellationem cum iudicasset, sententiam sequenti epist. ad eum trasmisit.

Innocentius Victricio Episcopo Rothomagensi, salutem.

ETSI tibi frater carissime, pro merito & honore sacerdotij, quo plurimum polles, viuendi & docendi secundum Ecclesiasticas regu- Ex tom. 1. concil. pag. 573. las non sunt omnia, neque est aliquid quod de sacris lectionibus tibi mi- D nus collectum esse videatur, tamen quia Romanæ Ecclesiæ normam atque authoritatem magnopere postulasti, voluntati tuę morem admodum gerens, gestas vitæ & morum probabilium disciplinas, annexas literis meis misi per quas aduertār Ecclesiarū regionis vestræ populi, quibus rebus & regulis Christianorum vita in sua cuiusque professione debeat contineri, qualisque seruetur in vrbis Romæ Ecclesijs disciplina. Erit dilectionis tuæ per plebes finitimas & consacerdotes nostros, qui in illis regionibus proprijs Ecclesijs president, regularum hūc librum quasi didascalicum atque admonitorem sedulò insinuare, vt & nostros cognoscere, & ad fidem confluentium mores valeant docendi sedulitate

formare. Aut enim propositum suum ex hac nostra congruenti lectione A
cognoscent, aut si quid adhuc desideratur, facilè poternut ex bona imitatione supplere. Incipiamus ergo, adiuuante Deo & sancto Dei Apostolo Petro, per quem & Apostolatus & Episcopatus in Christo cæpit exordium, vt quoniam sæpè plures emerserunt causæ, quæ in aliquantis non erant causæ, sed crimina, vt de cætero solicitudo sit vnicuique sacerdoti in sua Ecclesia, curam huiusmodi habere, sicut beatus Apostolus Paulus prædicat, talem Ecclesiam Deo exhibendam non habentem maculam aut rugam, ne alicuius morbidæ ouis aflatu conscientia nostra contaminata violetur. Propter eos igitur qui vel ignorantia vel desidia non tenent Ecclesiasticam disciplinam, & multa non præsumēda præsumunt rectè postulasti, vt in illis partibus istiusmodi quam tenet B
Ecclesia Romana forma seruetur, &c. Ergo ne silentio nostro existimemur his præbere consensum, dicente domino, Videbas furem & currebas cum eo, hæc sunt quæ deinceps intuitu diuini iudicij omnem catholicum Episcopum expedit custodire. Primum, vt extra conscientiā Metropolitani Episcopi nullus audeat ordinare episcopum, &c. (& sequuntur 13. regulæ) Hæc itaque regula frater carissime si plena vigilantia fuerit ab omnibus Dei sacerdotibus obseruata, cessabit ambitio, dissentio conquiescet, hæreses & schismata non emergent, locum non accipiet diabolus sæuiendi, &c. Data 15. Kalendas Martij Honorio Augusto 6. & Aristneto viris clarissimis Consulibus.

C

APPELLATIO OCTAVA

Eidem Innocentio ab Exuperio Episcopo Tolosano exposita: pro cuius decisione hanc sequentem tradidit epistolam.

Innocentius, Exuperio Episcopo Tolosano, salutem.

Ex tom. 1. concil. pag. 575.

CONsulenti tibi frater carissime, quid de proposita specie vnaquaque sentirem, pro captu intelligentiæ meæ, quæ sunt visa respondi, quid sequendum, vel docilis ratio persuaderet, vel authoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret. Et quidem dilectio tua, instituta sequuta prudentum, ad sedem Apostolicam referre maluit quid de rebus dubijs custodiri deberet, potius quam vsurpatione præsumpta, quæ sibi viderentur, de singulis obtinere. Cur enim D
magis pudendum putemus discere aliquid, quàm omnino nescire? Mihi quoq; ipsi de collatione docilitas accedit, dum perscrutatis rationibus, ad propositum spondere compellor: eoque fit vt semper aliquid adiscat qui postulatur vt doceat. Proponam igitur singula, subijciamque responsum. Proposuisti, quid de his obseruari debeat, quos in diaconij ministerio aut in officio presbyterij positos, incontinentes esse aut fuisse generati filij prodiderunt. De his & diuinarū legū manifesta est disciplina, & beatæ recordationis viri Siricij Episc. monita euidentia
Anno Domini 405. cōmearunt, vt continētes in officijs talibus positi omni Ecclesiastico honore priuarentur. &c. D. 10. Kal. Martij, Stilicone 2. & Anthemio V.C.C.

AP-

A APPELLATIO NONA

Anno Domini 418, Bonifacius patria Romanus munus Pontificis assumpsit, cui contra Maximum Episcopum Appellatio accessit, pro qua resoluenda ac iudicanda sequentem scripsit epistolam,

Bonifacius Episcopus, Patrocio, Remigio Maximo, Hilario, Seuerio, Valerio, Iuliano, Dastorio, Leontio, Constantino, Ioanni, Montano, Marino, Muricio, & cæteris Episcopis per Gallias & septem Prouincijs constitutis,

VAlentinæ nos clerici ciuitatis adierunt, proponentes per libellum crimina, quæ Maximum teste tota prouincia, asserunt commisisse. Delegata toties cognitione, illum constituta semper subterfugisse iudicia, nec confisum coscientia festinasse, vt si esset innocens, examinatis omnibus, purgaretur, quæ toties decreta, ex vestrarum quoq; char- *Ex tom. 1. Conc. pag. 614.*
B tarum instructione cognouimus. Qui è contrario probauit sede illa quę dicta sunt, cui ad ea confutanda, cum essent innumera, à decessoribus meis prouincialis est delegata cognitio, conuentus etiam dicitur euitasse, & adesse minimè voluisse. Et nullus dubitat quod ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum vt absoluatur qui est innocens quærit &c. Debueram quidem iam nunc dignam pro eius accusatis in nostro iudicio actibus, qui cognitionem & decretum iudicium sæpè declinando, credidit illudendum, ferre sententiam. At ne aliquis præcocem forsitan iudicaret, & sibi, (qui absens est, licèt si requæsitus à nobis) seruatū esse nihil diceret, maluimus intercapedine temporis data differri, cum hoc etiam eius accusatores assererent, de cuius intentionibus & moribus
C sit securum, Maximum tanto magis damnanda committere, quanto tardius se constituto iudicio præsentarit. Quem Manicheorum inuolutum caligine arguunt turpi secta olim ita, ne eum possit absoluere, animum sordidasse; in probationem obiectæ rei, gesta synodalia proferentes, & commissis conuolutum vndique flagitijs, nullum eum sanitatis habuisse respectum, &c. Ideoque fratres carissimi, quia audiendus hic, præsentare se noluit, ne conuictus forsitan ab accusantibus se clericis posset digna tandem aliquando, præsentatus Episcopali iudicio, pronūciationis congruæ feriri sententia, &c. dilationem tamen dedimus, & decreuimus vestram debere intra prouinciam esse iudicium, & congregari synodum ante diem Kal. Nouemb. vt si adesse voluerit, præsens si
D confidit, ad obiecta respondeat: si verò adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto & toties delegato iudicio purgandi se occasione non vtitur. Nihil enim interest, vtrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione, procurata toties constet absentia. Nos autem per omnes prouincias literas dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis obtendat, vt ad prouinciā venire cogatur, & illic se constituto præsentare iudicio. Quicquid autē vestra caritas de hac causa duxerit decernēdū, cū ad nos relatū fuerit, nostra vt cōdecet, necesse est authorit. firm. D. s. die I. Iun. Monaxio V.C.C.

APPEL-

Digitized by Google

APPELLATIO DECIMA A

Anno Dom. 423 Cælestinus patria Romanus Pontificiam dignitatem adeptus est, qui à Galliarum Episcopis Appellationem accipiens, eã per sequentem epist. iudicauit ac decidit.

Dilectissimis fratribus Venerio, Marino, Leontio, Auxonio, Archadio, Sillucio, & cæteris Galliarum Episcopis, Cælestinus.

APostolici verba præcepti sũt, apud Iudæos atq; Gentiles sine offensione nos esse debere, &c. Filij nostri præsentes Prosper & Hilarius quorum circa Deum nostrum sollicitudo laudanda est, tantum nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissentioni Ecclesiarum studeant, sũt apud nos prosecuti, vt indisciplinatas quæstiones vocantes in medium pertinaciter eos dicant prædicare aduersantia veritati. Sed vestræ dilectioni iustius imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputãdi, &c. Timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui: B in talibus causis non caret suspicione taciturnitas: quia occurreret veritas si falsitas displiceret, &c. Recurrerunt ad Apostolicã prædicti, sedem hæc ipsa nobis, quæ tentat perturbatio, conquerentes, &c. Augustinũ sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque in nostra communione semper habuimus, nec vnquam hunc sinistræ supicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros optimos etiã ante à meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, vt potè qui vbique cunctis & amori fuerit & honori. Vnde resistatur talibus, quos male crescere videmus, &c. Intelligamus hæc ipsa vobis quæ nobis non placent displicere. Quod ita demum probare poterimus, si imposito improbis silentio, de tali re in C posterum quærela cessauerit. Dominus incolumes vos custodiat fratres carissimi.

APPELLATIO VNDECIMA

Anno Domini 440. Leo natione Tuscus Romanus Pontifex electus fuit anno Pontificatus sui duodecimo ab Episcopo Narbonsi pro rebus fidei decidendis appellationem recepit: sententia autem quam dedit in sequenti continetur Epistola.

Leo Episcopus Rustico Narbonensi Episcopo.

Ex tom. 1. pag. 993. EPistolas fraternitatis tuæ, quas Hermes Archidiaconus tuis detulit, libenter accepi, diuersarum quidem causarum connexione multiplices, sed non ita patientiæ legentis onerosas, vt aliquid earum inter concurrentes vndique solicitudines fuerit prætermissum. Vnde totius sermonis tui allegatione concepta, & gestis quæ in Episcoporum honoratorumque examine confecta sunt, recensitis, Sauiniano & Leoni presbyteris actionis suæ intelleximus fiduciam defuisse: nec eius iustam superesse quærimoniam, qui se ab inchoatis disceptationibus spontè subduxerint. Circa quos quam formam, quamue mensurã debeas tenere iustitiæ, tuo relinquo moderamini: suadens tamen caritatis hortatu, vt sanandis ægris spiritualem adhibere debeas medicinã, & dicente scriptura, [Noli esse nimium iustus,] mitius agas cum eis, qui pudicitiæ zelo videntur modum excessisse vindictę, ne diabolus, qui decepit adulteros, de adulterij exultet vltoribus, &c. De consultationibus autem dilectionis D

Eccles. 7.

A ctionis tuæ,quas ſeparatim conſcriptas,archidiaconus tuus detulit, quid
ſentiendum ſit,inter præſentes opportunius quæreretur,ſi nobis tui con-
ſpectus copia proueniret, nam cum quædam interrogationes modum
diligentiæ videantur excedere, intelligo eas colloquijs aptiores eſſe
quàm ſcriptis, &c. [Subdit autem deinceps Pontifex decem & octo
deciſiones.]

APPELLATIO DVODECIMA

Comprouincialium Epiſcoporum metropolis Arelatenſis ad S. Leonem Papam, pro recu-
perandis antiquis iuribus ac priuilegijs Arelatenſis Eccleſiæ,illud in primis depoſcen-
tes,vt de more antiquo prouinc. Viennenſis eidem Eccleſiæ Arelatenſi ſubijceretur.

Præces Miſſæ ab vniuerſis Epiſcopis Metropolis Arelatenſis ad ſanctum Leonem Papam.

MEmores quantum honoris & reuerentiæ beatiſſimæ ſedi Apoſtoli- Ex tom. 1. Conc. pag. 1008.
B cæ, cui vos Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro meritis ſanctitatis
voluit præſidere, ſemper debitum fuerit,ſemperque debeatur; ordina-
tionem, quam ſanctus frater & coepiſcopos noſter Rauennius in ciui-
tate Arelate poſt tranſitum beatę recordationis Hilarij Epiſcopi,concor-
dantibus omnium votis, ad ſummum Pontificium, Domino fauente,
prouectus eſt,miſſis continuò literis Apoſtolatui veſtro indicare curaui-
mus. Quibvs à beatitudine veſtra, tanta dignatione & caritate fuiſſe re-
ſponſum, immenſas gratias agimus: etſi tantas quantas debemus, referre
re non poſſumus. Notum licet nobis ante iam fuerit prædictũ ſanctũ
fratrem & coepiſcopum noſtrum maximè coronæ veſtræ gratia morũ
ſuorum manſuetudinẽ & ſanctitatem meruiſſe: perceptis nunc tamen
C beatitudinis veſtræ literis, quanta eum caritate complectamini euiden-
ter agnouimus. Vnde præmiſſis officijs,quæ Apoſtolatui veſtro iure de-
bentur, ſuggeſtionem noſtram, quæ iuſtitiæ partibus fungitur, audien-
dam à corona veſtra, minimè dubitamus. Quippe cùm non aliqua no-
ua inſtitui,ſed priſca per vos optamus & antiqua reparari. Nec enim iu-
ſtum eſt vt honorem eius, quem vt probauimus impensè diligitis, illa
res minuat,quæ pietatem veſtram altè offendit. Et ſanè manifeſtum eſt
Eccleſiæ Arelatenſi diuinæ gratiæ fauorem adeſſe, cui talem habere cõ-
tingit ſacerdotem, per quem priuilegia dignitatis antiquæ quæ dolebat
ſibi pro tempore diminuta, gauderet in perpetuum recentioribus Apo-
ſtolicæ ſedis authoritatibus reformata. Omnibus etenim regionibus
D Gallicanis notum eſt, ſed nec ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ habetur
incognitum, quod prima intra Gallias Arelatenſis ciuitas miſſum à bea-
tiſſimo Petro Apoſtolo ſanctum Trophimum habere meruit ſacerdotẽ
& exinde alijs paulatim regionibus Galliarũ donum fidei & religionis
infuſum: priuſque alia loca ab hoc riuo fidei, quem ad nos Apoſtolicæ
inſtitutionis fluenta miſerunt, meruiſſe manifeſtum eſt ſacerdotem,
quã Viennenſis ciuitas,quæ ſibi nunc impudenter ac notabiliter prima-
tus expoſcit indebitos. Iurè enim ac meritò ea vrbs ſemper apicem ſan-
ctæ dignitatis obtinuit, quæ in ſancto Trophimo primitias noſtræ reli-
gionis prima ſuſcepit, ac poſtea intra Gallias hoc quod diuino munere
fue-

fuerat consecuta, studio doctrinæ salutaris effudit. Cuius honoris ob- A
tentu Ecclesiam Arelatensem omnes decessores prædecessoresq; nostri velut matrem debito semper honore coluerunt, tenentesque traditionem totam ab hac sibi ciuitatis nostræ sede Episcopos postularunt. Ab huius Ecclesiæ sacerdote tam decessores nostros quam nosipsos constat in summum sacerdotium, donante Domino consecratos. Quam quidem antiquitatē sequentes prædecessores Beatitudinis vestræ, hoc quod erga priuilegia Arelatensis Ecclesiæ institutio vetusta tradiderat, promulgatis (sicut & scrinia Apostolicæ sedis proculdubio continent) authoritatibus confirmarunt: credentes plenum esse rationis atque iustitię, vt sicut per beatissimum Petrum Apostolorum principem sacrosancta Ecclesia Romana tenere supra omnes totius mundi Ecclesias principa- B
tum, ita etiam intra Gallias Arelatensis Ecclesia, qui S. Trophimum ab Apostolis missum sacerdotem habere meruisset, ordinandi Pontificium vendicaret. his secundum religionem vtitur priuilegijs Ecclesia memorata, &c. His itaque omnibus intimatis & in notitiam Beatitudinis vestræ fideli assertione perlatis, quæsumus & obsecramus coram sanctimoniæ vestræ per nomen Domini nostri Iesu Christi, qui in vobis iustitiam, patientiam, tranquillitatem, & bona totius sanctitatis ac perfectionis elegit, & per beatissimum Apostolum Petrum, quem vita & conuersatione vestra nobis diuino munere redditum credimus, vt quidquid Arelatensis Ecclesia (sicut superius indicauimus) vel ab antiquitate suscepit, vel postea authoritate sedis Apostolicæ vendicauit, id omne ad C
suum Pontificium reuocare eiusdem Ecclesiæ sacerdotem beatitudinis vestræ authoritas in perpetuum mansura præcipiat. Ipsi autem vel officiorum causa, vel huius legationis obtentu, sanctimoniæ vestræ nos præsentassemus aspectibus, nisi alios infirmitas, alios anni præsentis penuria ab hac votorum nostrorum cupiditate reuocasset. Sed confidimus in Domino Iesu Christo qui precibus & desiderijs nostris affectū prōptissimæ pietatis vestræ præstitit, quod qui nunc legationis officio fraudamur, gratiarum postea referendarū per nosmetipsos actione fungemur.

Rescriptum atque decretum Leonis Papæ super præmissam Appellationem.

Dilectissimis fratribus Constantino, Armantario, Audentio, Seueriano, Valeriano, Vrso, Stephano, Nectario, Constantio, Maximo, Asclepio, Thodoro, Iusto, Ingenuo, Augustali, Superuentori, Vnantio, Fonteio, Palladio, Leo Papa. D

Lectis dilectionis vestræ literis, quas ad nos filij nostri Petronius presbyter, & Regulus diaconus detulerunt, quàm beneuolum fratri & coepiscopo nostro Rauennio impendatis affectum, euidenter agnouimus: siquidem postulatis, vt ei quod decessor ipsius merito nimiæ præsumptionis amiserat, reformetur. Sed petitionem fraternitatis vestræ Viennensis Episcopus missis literis, & legatis, sua suggestione præuenerat, conquerens Arelatensem Episcopum ordinationem sibi Vasensis Antistitis vsurpasse. Cum itaque nobis ita & paternarum reuerentia sanctionum, & omnium vestrum seruanda sit gratia, vt in Ecclesiarum

priui-

A priuilegijs nihil conuelli, nihil patiamur excidi: consequens fuit, vt ad conseruandam intra Vennienſem & Arelatenſem prouincias pacem, adhiberetur iuſtitiæ moderatio, quæ nec antiquitatis vſum, nec deſideria veſtra negligeret. Conſideratis enim allegationibus vtriuſque partis præſentium clericorum, ita ſemper intra Prouinciam veſtram & Viennenſem & Arelatenſem ciuitates claras fuiſſe reperimus, vt quarundã cauſarum alterna ratione nunc illa in Eccleſiaſticis priuilegijs, nunc iſta præcelleret, cum tamen eiſdem commune ius quondam fuiſſe, à gentibus proderetur. Vnde ad Viennenſem ciuitatem quantum ad Eccleſiaſticam iuſtitiam pertinet, inhonoratã penitus eſſe non patimur: præſertim cum de receptione priuilegij, authoritate iam noſtræ diſpoſitionis B vtatur. Quam poteſtatem Hilario Epiſcopo ablatam, Vennienſi Epiſc. credimus deputandam: qui ne repente ſemetipſo factus videatur inferior, vicinis ſibi quatuor Oppidis præſidebit, id eſt, Valentiæ, & Tharãtaſiæ, & Geneuæ, & Gratianopoli: vt cum eis ipſa Vienna ſit coniuncta, ad cuius Epiſcopum omnium prędictatum Eccleſiarum ſollicitudo pertineat: reliquæ verò ciuitates eiuſdem prouincię ſub Arelatenſis Antiſtitis authoritate & ordinatione conſiſtant: quem pro modeſtiæ ſuæ temperantia, ita futurum credimus ſtudioſum caritatis & pacis, vt nequaquam ſibi credat ablatum, quod fratri videat eſſe conceſſum. Data 3. nonas Maij, Valentiniano Auguſto 7. & Abieno V. C. Conſul.

APPELLATIO DECIMATERTIA.

C **Anno Domini 461. Hilarus natione Sardus ad Petri cathedram regendam electus fuit, qui ex Gallia Appellationem recipiens, eam decidendo hanc protulit ſententiam.**

Dilectiſſimis fratribus Victurio, Ingenuo, Idacio, Euſtaſio, Fonteio, Vinentio, Eulaio, Fauſto, Auxamio, Proculo, Auxonio, Paulo, Memoriali, Cæleſtio, Proiecto, Eutropio, Auiciano, Vrſo, & Leontio, Hilarus.

SOlicitis admodum nobis, & ex his quæ proxima ad nos relatio certa detulerat, multa expectatione ſuſpenſis, literæ dilectionis veſtræ, fratre & coepiſcopo noſtro Antonio, quẽ dignum tanta legatione probamus interpretem, deferente, ſunt traditæ, quæ nos ab ipſis contextus ſui contriſtauere principijs: nam qui requieſcere ſolicitudinem noſtrã & magna ex parte reuelari in his quæ à ſanctæ memorię deceſſore meo D de Viennenſi Epiſcopo pręfixa ſunt credebamus, euidenti aſſertione cognouimus & non ſine dolore miramur, definitiones illas à Mamerto Epiſcopo nunc potuiſſe tranſcendi, per quas Eccleſia priuilegium probarat acquiri: cum præcipue ſancti fratris & coepiſcopi noſtri Leontij moderatio formam continentiæ præbere debuerit ambienti, &c. Non dignitatem Viennenſis Eccleſiæ Mamertus Epiſcopus meminit Arelatenſis Antiſtitis quondam tranſgreſſione creuiſſe, & pro corrigendis quę perperam gerebantur inuiolabili poſtea definitione compoſitum, ne alter inglorius, alter in totum veteri honore per virium præceſſoris reperiretur exutus. Sicuti ergo & veſtræ dilectionis relatio, & fratris & coepiſcopi noſtri Antonij inſinuatio reſerauit, claret, prædictum priuilegia

Ex tom. 1. Conc pag. 200.

Z certis

certis conclusa terminis velle perdere plus volendo qui abusus fratris A
& consacerdotis Leontij moderantia Diensibus contra fas Episcopum
etiam si est meritus non timuit cosecrare. In quo factum eius conuenerat sic resolui, vt iuxta eorum quæ perpetrata sunt qualitatem, non sine iactura proprij ordinis etiam illum à sacerdotali cōsortio submoueri cerneret, quem creauit indebite, quemque indignissime fecisse conuincitur, correctum iusta vltione sentiret, nec conceptæ audaciæ incastigata temeritas licentiæ se peperisse putaret exemplum, &c.

Anno Domini 514. Hormisda Romanus Pontifex eligitur anno Anastasij Imperatoris 24. & Theodorici Regis Italiæ. 22. qui Remigium, Rhemensem Episcopum Vicarium sedis Apostolicæ in Gallia instituit.

Dilectissimo fratri Remigio, Hormisda.

Ex tom. 2. concil. pag. 314.

SVscipientes plena fraternitatis tuæ congratulatione colloquia, qui- B
bus nos germanæ salutis tuæ lætificauit iudicio corporali cum spiritualibus officijs incolumitas subnixa: congruum esse perspeximus, hanc ipsam quam mente gerimus, verbis aperire lætitiam. Agis enim summi documenta Pontificis, dum & prædicanda facis, & ea insinuare non differs. Prærogatiuam igitur de nostri sumpsimus electione iudicij, quādo id te operatum esse didicimus, quod cæteris agendum obnixius imperamus: vt in prouincijs tanta longinguitate disiunctis, & Apostolicæ sedis vigorem, & patrum regulis studeas adhibere custodiā. Vices itaq; nostras per omne regnum dilecti & spiritualis filij nostri Ludouici, quē nuper, adminiculante superna gratia; plurimis & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis prędicationem salutiferā co- C
mitantibus cum gente integra conuertisti, & sacri dono baptismatis cōsecrasti, saluis priuilegijs quæ Metropolitanis decreuit antiquitas, præsenti authoritate committimus, agentes studij huius participatione ministerij dignitatem, releuantes nostras eiusdem remedio dispensationis excubias. Et licèt de singulis non indigeas edoceri, à quo iam probauimus acutius vniuersa seruari: gratius tamen esse solet, si ituris trames ostenditur, & laboraturis iniuncti operis forma monstratur, &c.

APPELLATIO DECIMAQVARTA

Anno Domini 532. Ioannes patria Romanus ad Petri sedem tenendam assumptus fuit, qui à Galliæ Episcopis appellationem accipiens sententiam tradidit, & reū Epis. deposuit.

Dilectissimis vniuersis Episcopis per Gallias constitutis, Ioannes. D

Ex tom 2. pag. 408.

INnotuit nobis à fraternitate vestra missa relatio, in qua Cōtumeliosus multis legitur criminibus inuolutus. Et quia huiusmodi persona sacris non potest inhærere mysterijs, ab hodierno vel officio eum nostra censet remoueri authoritas: vt in monasterio constitutis delicti veniam à Domino petere non omittat. Nihil est enim impossibile eius clementiæ, qui potest cuncta relaxare quæ facta sunt. Sed ne eius Ecclesia destituta videatur, in eius loco Visitatorē dari, præsenti authoritate decernimus, qui à se ita nouerit omnia exibenda, vt nihil de ordinationibus clericorum, nihil de Ecclesiastica facultate præsumat, sed ea quæ ad sacro-

Digitized by Google

A ſancta myſteria pertinent exequatur. Prædictum autem Contumelioſum, vbi habeat pœnitendi licentiam, petitorium dare vobis cenſemus, vbi errorem ſuum euidenter allegans ſub die profiteatur ei & culpam. Dominus vos incolumes cuſtodiat fratres chariſſimi. Dat. 7. idus April. Felin. Paulino, Iun. V. C. Conſ.

Priuilegium Monaſterij ſancti Medardi à S. Gregorio Romano Pontifice conceſſum.

Gregorius omnibus Epiſcopis. Precioſiſſimis lapidibus in diademate Chriſti merito renitentibus, omnibuſque ſanctæ Dei Eccleſiæ membris, quorum vniuerſale caput eſt Chriſtus, Gregorius licet ſanctæ Romanæ Sedis pontificio ſublimetur, humillimus tamen ſeruorum Dei ſeruus. Ex tom. 2. pag 703.

QVando catholicorum Regum corda ad ea ad quæ pontificalibus ſunt monitis prouocanda, ita ardenti deſiderio diuina præueniēte B gratia ſuccedūtur, vt ab eis vltro poſcantur: rāto alacri & lęto sūr animo cōcedenda, quanto & ea ipſa quæ cupiunt, ſi nollent facere, peti debuerant. Proinde iuxta filiorum noſtrorum præcellentiſſimorum ſcripta regum Brunichildis ac nepoti eius Theodorici monaſterio ſanctæ Dei Genitricis Mariæ ac beatorum Petri Apoſtolorum Principis, necnon protomartyris Chriſti Stephani, quod eſt in Sueſſorum ciuitate ſitum, vbi ſanctus Medardus requieſcit, & vir venerabilis Gairaldus abbas preæſſe videtur, huiuſmodi priuilegia auctoritatis noſtræ decreto indulgemus, & ea plenius confirmamus priuilegia, quæ à bonæ memoriæ Domino Papa Ioanne, comitante illuſtrium regum clementia, Clotarij ſcilicet & Sigeberti huius noſtræ filiæ iugalis ipſi loco ſub ana- C thematis vinculo ſunt conceſſa vel indulra, coucedimus atque firmamus. Statuentes nullam Regum, Antiſtitum, vel iudicum, nullum quacunq; præditum dignitate, ea quæ à præcellentiſſimis regibus vel quibuslibet alijs Deum timentibus loco conceſſa ſunt vel conferentur, ſub cuiuslibet occaſionis ſpecie minuere vel auferre, vel ſuis vſibus applicare: ſed cuncta quæ Deo ſeruientibus monachis oblata ſunt vel offerri contigerit, perenni tempore illibata, & ſine aliqua inquietudine volumus poſſideri, eorum vſibus pro quorum ſuſtentatione conceſſa ſunt, modis omnibus profutura. Concedimus etiam vt obeunte Abbate, non alius ibi quicunque obreptionis aſtutia ordinetur, niſi quem communis conſenſus monachorum elegerit, aut præuiderit ordinandum, &c. Au- D ctoritate igitur diuina vice beati Petri Apoſtolorum Principis, conſenſu omnium Romanorum Pontificum, & voluntate totius ſenatus Romani, ſuadente nobis viro Apoſtolico Anſerico Sueſſorum vrbis Pontifice & omnium Galliæ Epiſcoporum fauente iudicio decernimus, vt nullus Archiepiſcoporum vel archidiaconorum fratres præfatæ Baſilicæ de ordinatione ſui Abbatis ipſi fratres peragant, & Eccleſiaſticorū graduum dignitatem ſuſcipiant: conſecrationes quoque fontium & ſacra myſteria in ipſo monaſterio celebrent &c. caput monaſteriorum totius Galliæ conſtituimus, nulliuſque ditioni patimur ſubeſſe. Sed velut hæc ſedes Romana ſpeculationem ſuam toto orbi indicit, & nouas

consuetudines omnibus mittit, & omnium personarum seruitio caret: A ita præfatus locus, remota omni consuetudine pessima Regum, Antistitum, iudicum, exemplum diuinæ religionis & honestatis cæteris exhibeat monasterijs, & super ea plena gaudeat libertate, &c. Hæc igitur omnia quæ huius Apostolicæ auctoritatis & nostræ præceptionis priuilegio continentur, præfati monasterij rectoribus, & filijs præsentibus & futuris, & omnibus monasterijs ipsi loco subiectis vel sociatis, sub anathemate seruanda constituimus. Si quis autem Regum, Antistitum iudicum vel quarumcunque sæcularium personarum huius Apostolicę auctoritatis & nostræ præceptionis decreta violauerit, aut contradixerit, &c. cuiuscunque dignitatis vel sublimitatis sit honore suo priuetur, & vt catholicæ fidei deprauator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor, à B consortio Christianitatis & corpore ac sanguine Domini nostri Iesu Christi sequestretur, & omnium maledictionum anathemare, quibus infideles & hæretici ab initio sęculi vsque in præsentem damnati sunt, cum Iuda traditore Domini in Inferno inferiori damnetur, nisi digna pœnitentia præfatorum sanctorum sibi propitiauerit clementiam, & fratrum communem reconciliauerit concordiam. Ego Gregorius sanctæ Romanæ sedis Antistes huic priuilegio subscripsi. Euterius Arelatensis &c. Datum 7. Kal. Iun. ab Incarnatione Domini 594. Indict. 11.

APPELLATIO DECIMAQVINTA.

Anno Domini 858. Nicolaus Primus Pontifex denunciatur, qui ex Gallia appellationem accipiens, more præcessorum suorum Pontificum plenaria potestate illam iudicauit. C

Ex tom 3. Conc. pag. 734.

Rothaldi Episcopi Suession. ad Nicolaum Pontificem Maximum appellatio.

Domino meo sanctissimo atque Reuerendiss. Nicolao summo Pontifici & vniuersali Papæ.

EGO Rothaldus peccator Suessionensis Ecclesiæ sedem appellans Apostolicam, irregulariter Episcopatu priuatus, calamitatū mearum suggero lugubrem historiam. Non omnia quę passus sum retexēs, quod impossibile forsitan erat, & ne nimis fastidiosa narratio tuis pijssime Præsul, auribus importuna videretur. Venerabilis igitur metropolitanus Hincmarus, sanctæ Remensis Ecclesiæ Antistes, quibusdam occasionibus exortis acri circa me infestatione certans diu multis ac varijs laboribus meā vexabat exiguitatem. Ego autē quantū poteram illū tolerans, in his ei nequaquam pro suo libitu acquiescere volui, quæ sacris perpendebat auctoribus esse contraria. Dumque ad synodum D gloriosi Regis Caroli pro vtilitate sanctæ Dei Ecclesiæ conuocatam Episcopi conuenissemus, & ipse quasi omnium dominus præsidens ac præcipitanter iaculari accelerarет, hanc ego Apostol. sedem atq; Apost. Præsul. vniuersalis Ecclesiæ sum. Prouisorem appellare maturaui, &c.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Romanæ omnibus Episcopis, Præsbiteris, Diaconibus, & cunctæ in Christo generalitati Rom. plebis.

NOtum sit dilectioni vestræ fratres mei & filijs carissimi, quod quidam Gallorum Episcopi zeli & inuidiæ diaboli fascibus accensi: quia mors sicut scriptum est, per inuidiam introiuit iu orbem terrarum, huic

A huic fratri nostro Rothaldo venerabili viro insultantes, & per octo circiter annos quemadmodum illum proprio priuarent Episcopatu, iudicio meditati sunt. Sed cum diutissimè laborantes nihil discriminis potuissent super eum inducere, nouissimè mundanis potestatibus vsi depositionis sententiam in eundem sedem Apostolicā appellantem immanissimè protulerunt, & imminutionem & abominationem priuilegiorū sanctæ Romanæ Ecclesiæ, imò beati Petri Apostolorum Principis, gradu proprio pulsum, carcerali custodia manciparunt. Vnde istum clamantem vt adducerent, & ad nostrum illum iudicium ad quod ante depositionem & postea imprætermissæ prouocauerat, cum suis Vicarijs, qui illum si valerent, accusatione digna appeterent destinare plu-
B rimis epistolis, eisdem Episcopis iussimus & hortati sumus. Sed ecce dilectissimi, sicut ipsi scitis, sex mensibus iam præsente Rothaldo Romæ apud nos manente, & nobis accusatores vel Vicarios eorum præstolantibus, nullus qui hunc accusaret adesse videtur. In quo fratres quid aliud datur intelligi, nisi quod sanctus Papa dicit Bonifatius, quia sicut qui est innocens vt absoluatur quærit, ita iudicium nocens subterfugit? Verùm nos Deo authore, beatorumque Principis Apostolorum Petri Apostoli fulti suffragio, decessorum quoq; nostrorum secuti vestigia, priuilegia sedis Apostolicæ, quæ illi malè fregisse probantur, recuperare studentes, iam fatum virum præsentem videlicet Rothaldum, pristino gradui, pristinis officijs, ac pristino Episcopatui restituimus, & per omnia talem eū
C reddimus, qualem illum fuisse constat ante excommunicationis & depositionis sententiam in eum prolatam, vel quando sedem Apostolicā appellabat & canonicè prouocabat.

Epist. 1.

Nicolaus Seruus seruorum Dei, Dilecto filio Carolo glorioso Regi.

QVamquam Rothaldum venerabilem Episcopum sedem Apostolicam appellantem Domini Sacerdotes, qui in regno vestro Ecclesias ibi commissas gubernant, in contemptum B. Petri Apostolorum Principis, per quem Apostolatus & Episcopatus in Christo cœpit exordium, cuiusque licet immeritò agimus Episcopatum, priuare nunquam debuerant: tamen quia hoc præsumpserunt, imò conati sunt agere, æquanimiter satis pro vestra deprecatione pertulimus: & vt tantam te-
D meritatem corrigerent, eis hortamenta & præcepta potius quam flagella sæpius adhibuimus. sed horum, imò huius contumaciæ nullus auctor, nisi Hincmarus Rhemorum Episcopus extat, qui & prædictum Rothaldum, etiam si numquam ad nostra prouocasset iudicia nequaquam deponere debuit: sed comtemptis nobis, quantum ex se fuit, deposuit, & multitudinem iussionum nostrarum vt peripsema duxit. Denique cum nostris auribus fuisset ipsius Rothaldi depositio intimata, mox epistolam Apostolatus nostri misimus, qua iussimus iam fatum Rothaldum, aut honori Ecclesiæ propriæ restitui, aut Romam cum aliquibus de Episcopis, vel Vicarijs, eorum qui illum damnasse videban-

tur,

tur, in præsentiam nostram dirigi, aut certè si neutrum fieret, tamdiu A post triginta dierum spatium, depositores eius à Missarum solemnijs vacarent, quousque nobis super his obedire curassent; de qua etiam epistola vestræ tunc intimauimus oxcellentiæ: sed hanc frater Hincmarus quid dicam audire, cum videre illam more Dioscori velatus neglexerit? Neque verò moueat quamobrem Rothaldum Episcopum Romam venire, vel apud nos audiri ac iudicari iussimus: moueat canonicam super hoc paternam traditionem. ac specialem prærogatiuam Apostolicæ sedis nos extitisse zelatos atque secutos, &c. Quapropter obtestamur & obsecramus, vt pijs nostris monitis, non prauorum hominum suasionibus pareatis. Scientes quia si pessimo Regi (quod absit) vos æquiparentes super hoc nobis negotio concordantes obaudire renuitis, vos B proculdubio de caritate & memoria nostra deletos. Quoniam ita Dei & Apostolorum auctoritate decreuimus & statuimus, vt quicunque sæpe memorato Rothaldo Episcopo ad recipiēdam Ecclesiam sibi olim cōmissam, vel ad Episcopale ministerium peragendum aliquatenus impedimento fuerit, donec acquiescat, & ad illi resistendum conatus deponat, à sacrosanctis mysterijs & ab Ecclesiæ fieret ingressu remotus, atque ab omni communione fidelium sequestratus. Præterea vestram volumus nosse experientiam, nostris auribus fuisse multis referentibus intimatum, quod diuersę res & nonnulla præsidia sanctæ Suessonicæ Ecclesiæ viris competentia, ab inuasore ibidem consecrato extitissent pro libitu disposita, & in beneficium data: vel etiam (eo iusto Dei iudicio decedente) ab excellentia vestra quibusdam hominibus æquè in be- C neficio collocata. Quamobrem etiā & in hoc dilectionem vestrā hortamur atque precamur, vt eadem præsidia, & ipsa res, quæcunque & vbicunque sint, iam fatæ Ecclesiæ restitui, pia vestra præcipiat eminentia, & vt cuncta viris eius reddantur, vestra satagat excellentia: itaut secundum sacrorum Canonum sanctionem, & in potestate Episcopi res omnes Ecclesiæ consistant, & ille secundum timorem Dei, quibus voluerit, & quomodo voluerit, illas dispenset: quod tamen vestræ pietatis, pro amore Dei & Apostolorum principum, ac nostro, fieri satagat industria. Scientes profectò quia qui his rebus frui voluerit, & eas præfatæ Ecclesiæ reddere, fortè, distulerit, nos hunc ab Ecclesiæ finibus, ana- D thematis nexibus irretitum & sacrosanctis mysterijs sequestratum, veluti profanum eliminamus, & quasi rapacem & impium & à contubernio fidelium proculdubio abijcimus.

Plures adhuc ex Galliarum Regno ad Romanam Petri Cathedram appellationes iam exhibitas, in hac præsenti disputatione afferre potuissem: verum quia viro sensato quæ veneranda seruauit antiquitas, semper esse tenenda, persuadere arduum non est: hæ, quas proposuimus, Appellationes à priscis Christianæ fidei cultoribus traditę, ad prolixitatem vitandam, & ad probationem annorum octingentorum ab Operis

initio

Digitized by Google

A initio promissam seruandam, sufficiant. Quis enim ignorat, Christianis diuina, Apostolica, & canonica statuta non licere immutare? dicente Spiritu sancto Prou. 22. [Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt Patres tui.] Et Apostolo ad Galatas cap. 1. [Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis: præterquamquod euangelizauimus vobis anathema sit. sicut prædiximus & nunc iterum dico: si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.] Cum ergo Galliarum Regnum ab Ecclesiæ nascentis exordio vsque ad annum Domini octingentesimum, Romanam Petri cathedram, vt sui matrem & magistram habuerit: eamq; in fidei & morum controuersijs decidendis omni tempore, accedente occasione appellauerit, hoc idem
B in futurum vsque ad consummationem sæculi seruandum ac credendum esse liquidò constat: quia Christiana religio, & Christi Dei nostri Euangelium idem semper fuit, est, & erit in sæcula. Si quis autem ab hoc aberrare voluerit veteri instituto, & ab antiqua ac verissima Saluatoris doctrina pariter abibit: eumque inter sectarios hæreticosque collocandum; cum ab Ecclesiæ antiqua traditione ac fide recedere comprehendatur, conspicuum est.

C

D

Digitized by Google

DISPVTATIO OCTAVA A

DE APPELLATIONIBVS ECCLESIAE GERMANIAE.



ERMANIA, quæ à Gallis, Rethis, ac Pannonijs, Rheno & Danubio fluminibus, seiungitur, à Sarmatis, Dacisque montibus sæparatur; & in cæteris eius partibus, etiam Insularum immensa spatia complectentibus, septentrionali Oceano circumscribitur; magna Europę portio nuncupanda est: cum plurima regna, Prouincias, Insulasq; compræhendat. Huius regionis indigenæ Teutones antea à Teutono Deo eorum, quem terra ortum existimabant, appellabantur: deinceps Germani à Romanis dicti fuerunt; quoniam cum primùm Rhenũ, deuictis Gallis, transgressi fuissent, videntes eos & ferocitate animorũ, proceritate corporum, colore, forma & moribus Gallis simillimos, Germanos hoc est fratres Gallorum esse extimauerunt. Cælum verò valde asperum, humum tamen pinguem obtinent, omniumque frugum feracem, quæ gelo resistere valent, & à nimio frigore non interimuntur: mores habent simplices, ab omni nempe conuersandi & agendi duplicitate alienos, beneficí quoque sunt ac fraternitatis amatores, vt me experientia instruit. B

Christiana religio à suæ promulgationis exordio in Germaniæ partibus denunciata nõ fuit, nec sonus Apostolicus ibi auditus est, etsi in quibusdam Germaniæ vrbibus in Galliæ finibus sitis, fides non longè post initium fuerit propagata: solenne tamen principium in vniuersa Germania à Gregorio secundo Romano Pontifice anno Domini 714. suscepit, qui Bonifacium Episcopum ad verbum salutis prædicandum, & gentem illam sedentem in tenebris, doctrina lucis ad Christum conuertendam illuc delegauit: quamobrem idem Bonifacius Germaniæ pater & Apostolus dicitur: cumque in vniuersa Germania Sedis Apostolicæ esset Legatus, plures ibidem Episcopatus instituit, & synodos aliquot celebrauit. Nihilominus silentio obuoluere non decet, ad insignem vrbem Coloniam Agrippinam, quæ inter Galliæ & Germaniæ fines posita est, Petrum Apostolorum ante signanum Maternum suum discipulum ad eam Euangelio replendam delegasse; qui sic in suo exequendo munere profecit, vt vniuersam ciuitatem ad Christi colendam fidẽ euocauerit: quam semper incorruptam & illesam ita tenuit, vt pro re hac plurimùm in Domino glorietur. quamobrem huius ciuitatis maius sigillum, sancti Petri sedentis, altera manu duas claues, altera librum tenentis imaginem repræsentat, cum hac circumscriptione: Sancta Colonia Romanæ Ecclesiæ fidelis filia. C D

Ab omni ergo tempore quo catholica fides ibi viguit, Romanæ Petri

A cathedræ obsequentissima extitit: & in omnibus eius superuenientibus causis illam sui matrem atque magistram agnouit, ac in omnibus fidei & morum controuersijs dirimendis eam vt supremum sui tribunal appellauit: nouissimis tamen vt ita dicam temporibus sic varijs hæresibus se præcipitem dedit, & à Petri cathedra se abalienauit, vt & pristinam gloriam obscurauerit, & à recta, quam tenebat, salutis semita, secundum maiorem sui partem aberrauerit. Det illi Dominus misericordiam. his præmissis. Dicimus Germaniæ Ecclesiam Romanæ Petri cathedræ vt ouis suo pastori, subiectam esse. Probo, Cuicunque ab alijs, accedente occasione fieri debent Appellationes, ad vltimam controuersiarum obtinendam decisionem, eidem pariter tamquam supremo Iudici ac

B Principi in illo ordine appellans subiectus est & subditus; sed Germaniæ Ecclesia de facto ab initio sui, sic Romanam Petri cathedram appellauit, ergo Germaniæ Ecclesia Romanæ Petri cathedræ vt ouis pastori suo & subditus suo Principi subiecta est. Maior est euidens. Minor probatur per Appellationes iam actu exhibitas.

PRIMA GERMANIÆ AD ROMANAM PETRI CATHEDRAM Apellatio.

Anno Domini 398. Anastasius patria Romanus ad Petri nauis clauum tenendum assumptus est: quem Germaniæ & Burgundiæ Episcopi super quasdam fidei & morum controuersias appellauerunt: sententiam autem ac decisionem quam tradidit, per sequentem ad eos direxit epistolam.

Anastasius Episcopus, cunctis Germaniæ & Burgundiæ regionis in Domino salutem.

C EXigit dilectio vestra carissimi, vt ex authoritate sedis Apostolicæ vestris deberemus respondere consultis. Et quamuis non prolixè, sed succinctè hoc agere, propter quasdam alias occupationes festinaremus, denuo tamen, si necesse fuerit, ob has vel alias necessitates quasi ad caput, mittere caritatiuè non dubitetis, quia vestras præces & nūc & tunc acceptas habemus. Significastis enim quosdam sacerdotes in Ecclesia quando leguntur Euangelia sedere, & Domini Saluatoris verba non stantes sed sedentes audire, & hoc ex Maiorum traditione se accepisse narrant: quod vt nullatenus deinceps fieri sinatis, Apostolica authoritate mandamus. Sed dum sancta Euangelia in Ecclesia recitantur, sacerdotes & cæteri omnes præsentes, non sedentes sed venerabiliter curui in conspectu sancti Euangelij stantes Dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent. Similiter & trasmarinos homines, de quibus nos consuluistis, in clericatus honore nolite suscipere, nisi quinque aut eo amplius Episcoporū chirographis sint designati: quia multa per surreptionem solent euenire: ideo & hæc summopere sunt cauenda. Manicheos vero quos in vrbe Roma inuenimus, & sequaces eorum nolite suscipere, neque eis communicare, aut vllam cum eis participationem habere, priusquàm ad rectam conuertantur fidem, ne eorum malè pullulantia semina, quæ à nobis in Vrbe extinguuntur, pessimis vobiscum radicibus seminentur vel germinent. Plurimos verò eorum, &

Ex tom. 1. concil. pag. 550.

D

suæ sequaces impietatis, atque illorum doctores inuestigatio nostra reperit, vigilantia diuulgauit, authoritas & censura coercuit. Quos potuimus emendare correximus: & vt damnarent Manicheum cum prædicatione & disciplinis suis, publica in Ecclesia professione, & manus suæ subscriptione compulimus: & ita de voraginis impietatis suæ confessos, pœnitentiam concedendo leuauimus. Aliquanti verò qui ita se demerserunt, vt nullum his auxiliantis remedium posset subuenire, subditi legibus, secundum Christianorum Principum constituta ne sanctū gregem sua contagione polluerent, per publicos iudices perpetuo sunt exilio relegati, &c. Nos quoque vt modo facitis & alloquamini, peto crebrius literis, & frequentius de fide & bona intentione vestra atq; sospitate lætificate, vt & gaudium commune habeamus, & Domino pari voto fideliter seruiamus. Data nonis Octobris, Archadio & Bautone viris clarissimis Consulibus.

A

B

Hanc epistolam, Optime Lector, Binius tom. 1. concil. pag. 551. deprauatam nec legitimam esse asserit: sed non rectè hoc affirmare videtur, licèt duas pro sua assertione afferat rationes: quarum prior est de falsitate Consulum citatorum, posterior verò, quia partem huius epistolæ, in Leonis Papæ ad vniuersos Italiæ Episcopos epistolà comprehensam inuenit: vtraque inquam ratio friuola est & nullius roboris. primùm quia in plurimis verissimis summorum Pontificum epistolis hic error consulum per scriptorum incuriam irrepsit: quas tamen damnare nō licèt, vt in disp. de Appellationibus Ecclesiæ Africanę probauimus: secundò, quia Agathonis Papæ epistola ad Constantinum Imperatorem pro sexta generali synodo congreganda anno Domini 678. quæ habetur tom. 3. conc. pag. 12. multa ad vnguem refert pro sedis Apostolicæ priuilegijs recensendis, cum ait. [Hæc sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarū Christi Ecclesia quæ per Dei omnipotentis, &c.] quæ anno Domini 255. à Lucio Pontifice dicta ac enarrata fuerant, attamen neutram harum epistolarum imposturæ suspicione afficere licet, sed vtraque est ab omnibus veneranda. nec demum indecens imo congruum est posteriores Pontifices præcessorum suorum doctrinam assumere. sequitur ergo hanc Anastasij epistolam sinceram esse, cum rationes oppositum probantes sint inefficaces.

Sententia Auctoris contra Collectorem Conciliorum.

C

Ex tom 1. concil. pag. 181.

D

APPELLATIO SECVNDA

Anno Domini 440. S. Leo Pontificali onere ac munere gaudebat, qui à Germaniæ & Galliæ Episcopis Appellationem accipiens, eam sequenti Epistola, ad eosdem directa, dissoluit ac iudicauit.

Leo Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedis Episcopus, vniuersis Germaniæ atque Galliæ Ecclesiarum Episcopis salutem.

Ex tom. 1. Conc pag. 990.

CVM in Dei nomine in Romana Ecclesia synodum Episcoporum, siue cæterorum consacerdotum, Christique fidelium coadunatam habuissemus, & de ordinationibus illicitis, super quibus crebrior ad nos illarum partium commeantium sermo peruenerat, atq; de alijs necessarijs

A sarijs Ecclesiasticis negocijs tractantes, sacrosque canones relegentes, solerter egissemus: à multis lachrymabili vultu relatum est nobis, quòd quidam Germaniarum ac Galliarum vrbium Episcopi frequenter chorepiscopos (qui iuxta canones Neocæsarenses siue secundum aliorum decreta patrum, ijdem sunt qui & presbyteri) vel presbyteros destinarent, qui absente Pontifice altaria erigerent, basilicasque consecrarent: Quod quidem non est mirum, id præcepisse viros Ecclesiasticæ disciplinæ ignaros, quod est canonicæ regulæ contrarium, & statim à seculari militia in sacerdotale ministerium delegatos atque promotos. Ergo ne vltra talis à vobis licentia vsurpetur, communi sententia statuendum oportuit, scientes quia sicut chorepiscopo vel presbytero illicita consecratio est altaris, ita & constitutio, &c. Nam quamuis cum Episcopis
B plurima illi ministeriorum cōmunis sit dispensatio, quædam tamen authoritate veteris legis, quædam nouellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita nouerint sicut presbyterorum & diaconorum aut virginum consecratio, sicut constitutio altaris ac benedictio vel vnctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec Ecclesias vel altaria consecrare licet, nec per impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conuersis ex hæresi paracletum Spiritum sanctum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, nec publicè quidem in Missa quenquā pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita sunt chorepiscopis, qui ad exemplum & formam
C 70. discipulorum esse noscuntur: vel presbyteris qui eandem gestant figuram: quoniam quanquam consecrationem habeant, pontificatus tamen apicem non habent. Quæ omnia solis deberi summis Pontificibus authoritate canonum præcipitur, vt & per hoc & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi Pontificis demonstretur. Sed Neque coram Episcopo licet presbyteris in baptisterium introire, nec præsente Antistite infantem tingere aut signare, nec pœnitentem sine præceptione Episcopi sui reconciliare, nec eo præsente, nisi illo iubente, Sacramentum corporis & sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere, vel benedicere aut salutare, nec plebem vtique exhortari.

APPELLATIO TERTIA

D **Anno Domini 577. Pelagius secundus patria Romanus super Petri cathedram sedit, qui à Galliarum & Germanorum Episcopis Appellationem accipiens, hanc quæ in sequenti enarratur epistola, sententiam protulit.**

Pelagius Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedis Episcopus, vniuersis Germaniarum ac Galliarum regionum Episcopis.

CVM in Dei nomine in Romana Ecclesia synodum Episcoporum siue cæterorum consacerdotum Dei fidelium congregatam habuissemus, & de Ecclesiasticis statutis, vt sunt ab Apostolis & sanctis patribus tradita, diligentius tractaremus: superuenere literæ vestræ, & vt magnæ essent authoritatis, etiam viuæ voces præcesserunt, rogantes vt ordinem præfationum, quam sancta Romana Ecclesia hactenus habe- Ex tom. 2. pag. 591.

ret nostris literis vobis remandaremus. Tunc de vestra voluntate & studio tam bono multùm gauisi sumus, & sacrum ordinem Romanum, sacraque constituta nostrorum antecessorum solerter relegentes, inuenimus has nouas præfationes in sacro catalogo tantummodò recipiendas, quas longa retro veritas in Romana Ecclesia hactenus seruauit; Vnam in albis Paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione, sextam de Apostolis, septimam de sancta Trinitate, octauam de Cruce, nonam de Ieiunio & quadragesima tantummodò dicendã. Has pręfationes tenet & custodit sancta Romana Ecclesia. Has tenendas vobis mandamus. A

Anno Domini 714. Gregorius secundus patria Romanus Petri cathedram tenere cœpit. qui sanctum Bonifacium in Germaniam ad Euangelium prædicandum delegauit, cui sequens diploma tradidit. B

Ex tom. 3. concil. pag. 178.

EXigit manifestata nobis religiosi propositi tui piè in Christo flagrantis intentio, & approbata syncerissima fidei tua prolata relatio: vt ad dispensationem Verbi diuini, cuius per gratiam Dei curam gerimus, te comministro vtamur. Experientes proinde, te ab infantia sacras literas didicisse, profectusque indolem ad augmentum crediti cælitus talẽti prospectu diuini timoris extendere, videlicet gratiam cognitionis cælestis Oraculi in laborem salutiferæ prædicationis, ad innotescendum gentibus incredulis mysterium fidei instanti conatu expendere, collætamur fidei tuæ & adiutores effici cupimus gratiæ prærogatæ. Igitur quia præmissi conatus pium affectum vsque ad Apostolicæ sedis, modesta prouisione perduxit consultum, vt membrum ex membro proprij corporis caput requirens, motum mentis probares, capitisque arbitrio humiliter te submittens, & eius directioni iusto tramite properans solidati compaginis plenitudo existas. Ideo in nomine indiuisibilis Trinitatis, per inconcussam authoritatem beati Petri Apostolorum Principis, cuius doctrinæ magisterio fungimur, & locum sacræ sedis administramus modestiam tuæ religionis instituimus, atq; præcipimus, vt in verbo Dei (quo igne salutifero, quem Dominus mittere venit in terram, enitere videris) ad quascumque gentes infidelitatis errore detentas properare, Deo annuente potueris, mysterium regni Dei per insinuationẽ nominis Christi Dñi Dei nostri veritatis suasione designes & per spiritũ virtutis & dilectionis ac sobrietatis prædicationem vtriusque testamenti mentibus indoctis consona ratione transfundas. Disciplinam deniq; Sacramenti, quam ad initiandos Deo præuio credituros tenere studeas ex formula officiorum sanctæ nostræ sedis Apostolicæ, institutionis tuæ gratia prælibata, volumus vt intendas. Quod actioni susceptæ tibi deesse perspexeris, nobis vt volueris intimare curabis. Bene Vale, &c. C D

Epi-

Digitized by Google

A Epistola Gregorij Papæ secundi ad Boreales Episcopos & Duces.
Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis reuerendissimis & sanctissimi fratribus Coepiscopis religiosis prerbyteris, seu diaconibus, gloriosis Ducibus magnificis Castaldis, Comitibus etiam, vel cunctis Cristianis Deum timentibus.

SOlicitudinem nimiam gerentes pro speculatione credita, quia in vmbra mortis aliquas gentes in Germaniæ partibus, vel plaga Orientali Rheni fluminis, antiquo hoste suadente, errare, & quasi sub religione Christiana idolorum culturæ seruire cognouimus, aliquos verò qui nec Dei cognitionē habentes, nec baptismatis, sacri vnda sunt loti, sed comparatione brutorum animalium pagani factorē non recognoscunt, necessariò pro vtrorumque illuminatione, ad prædicandum rectæ fidei verbum, harum literarum portatorem Bonifacium reuerendis-
B simum Episcopum fratrem nostrū ad easdem partes dirigere studuimus, vt illis prædicando verbum salutis, vitam prouideat sempiternam. Et si quos fortè, vel vbicunque à rectæ fidei tramite deuiasse cognouerit, aut astutia suasos diabolica erroneos repererit, corrigat, atque sui educatione ad portum restituat salutis, eosque ex Apostolicæ sedis huius doctrina informet, & in eadem catholica fide permanere instituat, &c. Si quis verò (quod non optamur) aduersari eius laboribus conatus fuerit, aut contrarius exstiterit ministerio sibi credito, successorumque eius in eundem laborem intrantium: ex sententia diuina anathematis vinculo ligatus perpetuæ damnationi subiaceat. Data Kalendis Decembris imperante domino pijssimo Augusto Leone, Imperij eius anno septimo:
C sed & Constantini Imperatoris eius filij anno quarto, Indictione sexta.

APPELLATIO QVARTA

A Bonifatio Episcopo in vniuersa Germania sedis Apostolicæ Legato exhibita: pro cuius decisione sequentem Gregorius secundus Papa misit epistolam.
Reuerendissimo ac sanctissimo fratri Bonifacius Coepiscopo, Gregorius seruus seruorum Dei.

DEsiderabile mihi à te missus Denual religiosus presbyter attulit nuncium, cum te sospitem narrauit, & in ministerio pro quo missus es, fauente Deo, proficere nunciauit. Detulit etiam à te missas literas, vbi indicasti, quod ager Dominicus, qui incultus iacebat & spinarū aculeis ex infedelitate riguerat, vomere tuæ doctrinæ exarante, semen verbi suscepit, & fertilem messem protulit fidelitatis. In ijsdem literis
D quædam subnexuisti capitula, sciscitando qualiter teneat, vel doceat sancta Apostolica Romana Ecclesia. Benè noscis satis, quia beatus Apostolus Petrus & Episcopatus principium extitit, & consulenti tibi de statu Ecclesiæ, non ex nobis quasi ex nobis, sed eius gratia qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit disertas, qualiter tenere debeas Apostolici vigoris doctrinam, dicimus. Igitur in primis legebatur, in quota progenie propinquorum matrimoniū copuletur. Dicimus quod oporteat quidem quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad huius copulæ non accedere societatem. Sed quia temperantia magis & præsertim inter barbaram gentem plus placet, quam districtio censuræ: con-

Exnom.3. pag. 178.

cedendum est, vt post quartam generationem iungantur. Nam quod A
posuistis, quod si mulier infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere, quid eius faciat iugalis? Bonum esset, si sic permaneret, vt abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidijs opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa excludit. Presbyter verò, &c. Hæc frater carissime ex Apostolicæ sedis vigore scripsisse sufficiant. De reliquo implorantes misericordiam Dei, vt qui te illis in regionibus vices nostras ex Apostolica authoritate peragere fecit, & optatam siluam lumine veritatis per os tuum micare prædestinauit, opitulationis suæ misericordissimæ tribuat incrementum, &c.

APPELLATIO QVINTA. B

Anno Domini 731. Gregorius tertius natione Syrus super Petri cathedram sedit, quem Bonifacius Episcopus Germaniæ Apostolus appellauit: appellationem autem sequenti resoluit epistola.

Reuerendissimo ac sanctissimo fratri Bonifacio Coepiscopo ad illuminationem gentis Germaniæ, vel circumquaque in vmbra mortis morantibus Gentilibus in errore constitutis, ab hac Apostolica sede directo, Gregorius seruus seruorum Dei.

Ex tom. 3. Conc. pag. 191. MAgna nos habuit gratulatio lectis sanctissimæ fraternitatis tuæ literis, cum in eis relecta serie, fuisset repertum Domini nostri Iesu Christi gratia, plurimos te à gentilitate & errore ad veræ fidei agnitionē conuertisse. Quod quia diuina institutione docemur in parabolis, cui quinque talenta credita fuerant, alia quinque fuisse lucratum: in talis commercij lucro cum tota plaudimus Ecclesia. Hinc iurè tibi sacri pallij direximus munus, quod beati Petri Apostoli authoritate suscipiens C
induaris, atque inter Archiepiscopos vnus, Deo auctore præcipimus vt censearis. Qualiter autem eo vtaris ex mandato Apostolico informatus agnosce. Itaque dum missarum solemnia geris, vel Episcopum te contigerit consecrare, illo tantummodo tempore eo vtaris quia vero, &c. Præcipimus vt iuxta sanctorum canonum statuta vbi multitudo excreuerit fidelium, ex vigore Apostolicæ sedis debeas ordinare Episcopos, pia tamen contemplatione, vt non vilescat gratia Episcopatus. Presbyterum namque quem præterito asseruisti anno ad nos venisse, nostroque iudicio fuisse à suis nefarijs absolutum actionibus: credas, quòd neque nobis confessionem aliquam feci, nec à nobis, vt suos expleat libitus, absolutus est. Sed si eum errori deditum repereris: hunc Apostolicę D
sedis vigore, vt iuxta sanctorum canonum censuram corrigas & emendes præcipimus, &c. Eosdemque quos à paganis baptizatos esse asseruisti: si ita habetur, vt denuo baptizes in nomine S. Trinitatis mandamus. Inter cætera agrestem caballum aliquantos comedere adiunxisti, plerosque & domesticum: hoc nequaquam fieri deinceps sanctissime frater, sinas, &c. Pro obeuntibus quoque consuluisti, si liceat oblationem offerri: sancta sic tenet Ecclesia, vt quisque pro suis mortuis verè Christianis offerat oblationes, atque presbyter eorum faciat memoriam, &c.

Epi-

Digitized by Google

A

EPISTOLA ZACCARIÆ PAPÆ ad Bonifacium Episcopum.

Qualiter Dominus Deus noster sanctæ Ecclesiæ propitia iussit, & laboribus sanctiss. fraternitatis tuæ coperator extiterit, per singula edicere longum est: tamen vt hæc quæ obijcimus confirmemus, quæ ex parte te narrante prospeximus enarramus. Igitur dum in Germania Prouincia tua fraterna sanctitas ad prædicandum fuisset directa à sanctę recordationis prædecessore nostro donno Gregorio Papa, & post inchoatum opus, & aliqua ex parte spiritaliter ædificatum Romam reuersus ab eo Episcopus ordinatus, & illic ad prædicandum denuo remissus es, & elaborasti Deo præuio nunc vsque per annos 25. in eadem B prædicatione, ex quo Episcopatum suscepisti: sed in Prouincia Francorum nostra vice concilium egisti; & iuxta canonum instituta, Deo eis annuente omnes flexi sunt obedire. & dum in hijs operibus pijs occupata esset, & tua fraternitas nunc vsque cathedralem sedem minimè sibi vindicauit. At verò vbi Deus tuam prædicationem auxit obtinere voluisti vt ibi cathedralem Ecclesiam vel successoribus tuis confirmare debeamus iuxta eorundem filiorum Francorum petitionem: & idcircò beati Petri Apostoli authoritate sancimus, vt supradictam Ecclesiam Moguntinam, atque etiam perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis in Metropolim sit confirmata, habens etiam sub se has quinque ciuitates, idest Tungris, Coloniam, Vuormatiam, Spiratiam, & Trectis: C & omnes Germaniæ gentes quas tua fraternitas per suam prædicationem Christi lumen cognoscere fecit. His à nobis definitis per huius confirmationis paginam in tua Ecclesia perpetuis temporibus pro sui confirmatione conseruandam esse mandamus. Bene valete. Data pridie nonas Nouembris imperante Domino pijssimo August. Constantino magno Imperat. anno 32. Imperij eius an. 11. Indictione quinta. *Ex tom. 3. pag. 110.*

APPELLATIO SEXTA

Anno Domini 863. Nicolao primo Romano Pontifici à Germaniarum Episcopis appellatio exhibita fuit, pro cuius decisione hanc eis dedit epistolam.

D Nicolaus seruus seruorum Dei, reuerendissimis ac sanctissimis fratribus nostris Archiepiscopis in regno Ludouici Regis Germaniæ constitutis.

Scelus quod Lotharius Rex (si tamen Rex veraciter dici possit qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenauit: sed lubrica eneruatione magis ipsius illicitis motibus cedit) Theutperga scilicet & Vualdrada comisit, omnibus manifestum est. Sed & dudum Episcopos Theogaudum & Guntharium in tali facto eum habuisse tutores & fautores, pene totus nobis Orbis vndique ad Limina seu sedem Apostolicam confluens referebat, absentibus quoque id scribentibus Apostolatui. Quod nos tanto credere renuimus, quando de Episcopis tale quid audi-

audire nullatenus sperabamus, donec ipsi Romam tempore concilij venientes, coram nobis & sancta synodo tales inuenti sunt, quales fuerant à multis sæpe prædicati; itaut scriptura, quam suis stipulauerant manibus: quanque volebant vt nostro roboraremus chirographo, caperentur, & dum muscipulam innocentibus apponere satagerent, insidis suis illaqueati sunt ipsi, sicque completum est, Deo auctore, quod in prouerbijs legitur: Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Siquidem ipsi obligati sunt & ceciderunt: nos verò qui in hoc flagitium falsò cecidisse dicebamur, fauente Domino, cum iustitiæ propugnatoribus surreximus & erecti sumus. Igitur decernente nobiscum sancta synodo in præsentia depositi, & ab officio sacerdotali excommunicati, atque à regimine Episcopatus alienati indubitante existunt. Vnde nostra fraternitas canonum normam custodiens, & decretorum sanctiones obseruans cauet, ne eos quos nos abiecimus retinere in sacerdotum catalago quis præsumat. Depositionis autem sententia, quã in prædictos Theutgaudum & Guntarium protulimus, cum cæteris capitulis quæ sancto concilio nobiscum sanciente promulgauimus, inferius annexa monstratur, &c. Theutgaudum Treuirensem primatem Belgicæ Prouiciæ, & Guntarium Agrippinæ Coloniæ Episcopos, nunc coram nobis & sancta synodo sub gestorum insinuatione, qualiter causam Lotharij Regis, & duarum mulierum eius Theutpergæ scilicet & Vualdradæ se recognouerint & iudicauerint, scriptum super hoc proprijs roboratum manibus offerentes &c. omni iudicamus sacerdotij officio permanere penitus alionos Spiritus sancti iudicio & beati Petri per nos authoritate omni Episcopali exutos regimine consistere definientes, &c.

Ex his ergo, prudens Lector, Germaniarum Ecclesiam, & à Petri Romana cathedra initium suscepisse, eique semper tanquam matri propriæ ac magistræ subiectam fuisse facilè discernere vales: eos autem qui nunc temporis Patrum suorum institutum, & eiusdem Romanæ cathedræ magisterium dimiserunt, parentibus inobedientes, superbos, contumaces, voluptatum magis quàm Dei & propriæ salutis amatores genitorumque suorum conculcatores existere, haud hæsitare licet, verum quia aduersus eos, qui in Germaniarum oris hoc patrarunt facinus priori tomo satis dixi, & quales illi sint non obscurè enodaui, orationem amplius non protraham; exhauriam ergo sermonem.

DIS-

Digitized by Google

A DISPVTATIO NONA

DE APPELLATIONIBVS ECCLESIAE ANGLICANAE.



ANGLIA cum cæteris sibi adiacentibus Insulis non exigua est Europæ Prouincia: vndiq; aquis clausa: nam ab ortu, Germanico, ab occasu, Hibernico, à Septentrione, Caledonio Oceano abluitur: ad meridiem verò angusto freto à Belgis dirimitur: humum haber fertilem: viris nauis ac industrijs, pietati & literarijs artibus
B propensis etiam gaudet. Anno Domini 183. inter spissas suæ infedilitatis tenebras, Christianæ fidei radios conspicere cœpit. etenim Lucius eius Rex superno aflatus Spiritu, ad Eleutherium tunc Petri nauis clauū regentem Legatos direxit, per quos diuini verbi ministros ac Sacerdotes ad populum in fide & moribus instruendum enixè petiuit. cui duos quasi Apostolos Datianum & Fugatium idem Pontifex delegauit, qui huius Nationis plurimos ad Christiana instituta euocauerunt: sed ob persecutionis immanitatem, cum in potestatem Imperij Romanorum deinceps vniuersæ illæ regiones deuenerint, fides penitùs refriguit & extincta est. Etsi Polidorus lib. 2. hist. Anglicanæ, fidem catholicam ab ortu Euangelij per Iosephum ab Arimathia, qui sacrum Christi corpus
C sepeliendum curauerat, initium suscepisse affirmet: solenne tamen principium per S.Gregorium Romanum Pontificem Anglicana religio habuit: vt ipsemet in epistola ad Eulogium Alexandrium Patriarcham enarrat, dicens. [Sed quoniam verè in bonis quæ agitis accrescit quod & alijs congaudetis, vestræ vobis gratię vicem reddo, & non dissimilia nuncio: quia dum gens Anglorum in mundi angulo posita, in cultu lignorum ac lapidum perfidia nuncusque remaneret, ex vestræ mihi orationis adiutorio placuit, vt ad eam monasterij mei monachum in prędicationem transmittere Deo auctore debuissem. Qui data à me licentia, à Germaniarum Episcopis Episcopus factus, cum eorum quoque solatijs ad prædictam gentem in finem mundi perductus, & iam nunc
D de eius salute & opere ad nos scripta peruenerunt: quia tantis miraculis vel ipse, vel hi qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem corruscant, vt Apostolorum virtutes in signis quæ exhibent, imitari videantur. In solemnitate autem Dominicæ Natiuitatis quæ hac prima indictione transacta est, plusquàm decem millia Angli ab eodem nunciati sunt fratre & coepiscopo nostro baptizati. Quod idcircò narraui, vt cognoscatis quid in Alexandrino populo loquendo, & quid in mundi finibus agitatis orando. vestræ enim orationes sunt in eo loco vbi non estis, quorum operationes sanctæ monstrantur in eo loco in quo estis.] hęc Greg. Ab eo autē tēpore quo cælestis doctrinæ lumen ibi refulsit, sicut à Rom.

Petri Cathedra ea Ecclesia accepit exordium, sic illi ab eo tempore & deinceps magnam venerationem & mirum obsequium præstitit: eidēque tamquam parenti iudici ac Doctori suo, omnium generum controuersias dirimendas afferebat, vt infra patebit. licet non sine magna animi tristitia enarrare cogamur, omnem hanc nationem nouissimis temporibus, anno scilicet Domini 1535. per Henricum eorum Regem sic in varias ac profanas hæreses prorupisse, vt antiquæ pietatis magnitudinem, recentium peruersitatum multitudo longè deuicerit: quamobrē Satanæ imperio subiecta nunc temporis tot agitatur furijs, tot bellis concutitur, vt vniuerso Orbi ostentum euaserit. Deus, qui diues est in misericordia pristinum vere fidei lumen eis dignetur infundere. his præmissis. A B

Dicimus, Anglicanam Ecclesiā Romanæ Petri Cathedræ sicut ouis Pastori suo, subiectam esse. Probatur, cuicunque ab alijs, accedente occasione fieri debent Appellationes, ad vltimā controuersiarum obtinendam decisionem, eidem pariter tanquam supremo Iudici ac Principi in illo ordine appellans subiectus est & subditus: sed Anglicana Ecclesia de facto ab initio sic Romanam Petri Cathedram appellauit, ergo Anglicana Ecclesia Romanæ Petri Cathedræ vt ouis Pastori suo, subiecta est. Maior est euidens. minor propositio probatur per ea quæ facta sunt, seu per Appellationes exhibitas.

Epistola S. Gregorij Papæ ad Augustinum Episcopum Anglorum.

Ex tom. 1. Conc. pag. 606. GRegorius, Augustino Episcopo Anglorum. Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia granum frumēti mortuum cadens in terram, multum fructum attulit, ne solum regnaret in Cælo, cuius morte viuimus, cuius infirmitate roboramur, cuius passione à passione eripimur, cuius amore in Britānia fratres quærimus quos ignorabamus, cuius munere quos nesciētes quęrebamus inuenimus. Quis autem narrare sufficiat quanta hic lætitia in omnium corde fidelium fuerit exorta, quod gens Anglorum operante omnipotentis Dei gratia, & tua fraternitate laborante, expulsis errorum tenebris sanctæ fidei luce perfusa est, quod mente & deuotione integerrima iam calcat idola, quibus prius vęsano timore subiacebat, quod omnipotenti Deo puro corde substernitur, quod à praui operis lapsibus sāctæ prædicationis regulis ligatur, quod præceptis diuinis animo subiacet, & intellectu subleuatur, quod vsque ad terram se in oratione humiliat, ne mente iaceat in terra? Cuius hoc opus est, nisi eius qui ait: C D
Ioan 15. Pater meus vsque nunc operatur & ego operor? Qui vt mundum ostenderet non sapientia hominum, sed sua se virtute conuertere, prædicatores suos quos in mundum misit, sine litteris eligit, hoc etiam modò faciens, quia in Anglorum gente fortia dignatus est per infirmos operari. Sed est in isto dono cęlesti frater carissime, quod cum magno gaudio vehementissimè debeat formidari. Scio enim quod omnipotens

Digitized by Google

A Deus per dilectionem tuam in gente quam eligi voluit, magna miracula ostendit. Vnde necesse est vt de eodem dono cælesti & timendo gaudeas, & gaudendo pertimescas. Gaudeas videlicet, quia Anglorũ animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahũtur: pertimescas verò ne inter signa quæ fiunt, infirmus animus in sui præsumptione se eleuet, & vnde foras in honore attollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Meminisse etenim debemus, quòd discipuli cum gaudio à prædicatione redeuntes, dum cælesti magistro dicerent: Domine in nomine tuo dæmonia nobis subiecta sunt, protinus audierunt: nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete quia nomina vestra scripta sunt in Cælo. In priuata enim & temporali lætitia mentem posue- Luc. 10.
B rant, qui de miraculis gaudebant. Sed de priuata ad communem, de temporali ad æternam lætitiam reuocantur, quibus dicitur: in hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo. Non enim omnes electi miracula faciunt, sed tamen eorum omnium nomina in cælo tenentur adscripta. Veritatis enim discipulis esse gaudium non debet, nisi de eo bono quod commune cum omnibus habent, & in quo finem lætitiæ non habent. Restat itaque frater carissime, vt inter ea quæ operãte Deo exterius facis, semper te interius subtiliter iudices, ac subtiliter intelligas & temetipsum qui sis, & quanta sit in eadem gente gratia, pro cuius conuersione etiam faciendorum signorum dona percepisti: & si quãdo te Creatori nostro seu per linguã, siue per opera reminisceris deliquis-
C se, semper hæc ad memoriam reuoces, vt surgentem cordis gloriam memoria reatus premat. Et quicquid de faciendis signis acceperis vel accepisti, hæc non tibi, sed illis deputes donata, pro quorum tibi salute collata sunt. Occurrit autem menti ista cogitanti, quid de vno Dei famulo actum sit, etiam egregiè electo. Certe Moyses dum Dei populum ex Ægypto educeret, mira signa in Ægypto operatus est &c. Sed cum iam repromissionis terram ventum fuisset, vocatus in montem est, & quam culpam ante annos triginta, vt dixi, & octo fecerat audiuit: quia de educẽda aqua dubitauit. Et propter hoc quia terram repromissionis intrare non posset, agnouit. Qua in re considerandum nobis est quam timendum sit omnipotentis Dei iudicium, qui per illum famu-
D lum suum tot signa faciebat, cuius culpam tam longo tempore adhuc seruabat in cognitione. Igitur frater carissime, si & illum agnoscimus post signa pro culpa mortuum, quem omnipotenti Deo nouimus præcipuè electum: quanto nos debemus metu contremiscere, qui necdum adhuc nouimus si electi sumus? De reproborum vero miraculis, quid dicere debeo, cum tua benè fraternitas nouerit quid in Euangelio veritas dicit. Multi venient in illa die dicentes mihi, Domine in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Sed dicam illis, quia nescio qui estis: recedite à me omnes operarij iniquitatis. Valde ergo præmendus est Matth. 7. Luc. 13.

animus inter signa & miracula, ne fortassis in his propriam gloriã quærat, & priuato suæ exaltationis gaudio exultet. Per signa enim animarum lucra quærẽda sunt, & illius gloria, cuius virtute ipsa eadem signa geruntur. Vnum verò Dominus nobis signum dedit, de quo & vehementer gaudere, & electionis gloriam in nobis possimus agnoscere, dicens: In hoc scietur quia mei discipuli estis, si dilectionis habueritis ad inuicem. quod signum Propheta requirebat, cum diceret: fac mecum Domine signum in bonum, vt videant qui oderunt me & confundantur. Hæc autem dico quia auditoris mei animum in humilitate sternere cupio. Sed ipsa tua humilitas habet fiduciam suam. Nam peccator ego spem certissimam teneo, quia per omnipotẽtis creatoris ac redemptoris nostri Dei & Domini Iesu Christi gratiam, iam peccata tua dimissa sunt, & idcirco electus es vt per te dimittantur aliena. nec habebis luctum de quolibet reatu in posterum, qui de multorum conuersione gaudium conaris facere in Cælo: idem verò conditor & redemptor noster cum de pœnitentia hominis loqueretur, ait: Ita dico vobis, maius gaudium erit in Cælo super vno peccatore pœnitentiam agente quàm super nonaginta nouem iustis quibus non est opus pœnitentia. Et si de vno pœnitẽte grande fit gaudium in Cęlo, quale gaudium factum credimus de tanto populo à suo errore conuerso, qui ad fidem veniẽs mala quæ egit pœnitendo damnauit? In hoc itaq; cæli & Angelorum gaudio repetamus ipsas quas prædiximus voces Angelorum. dicamus igitur, dicamus omnes: Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Prima Anglicanæ Ecclesiæ ad Romanam Petri Cathedram Appellatio, Gregorio Papæ ab Hybernis Episcopis exhibita: pro cuius decisione sequentem tradidit epistolam.

Gregorius Quirino Episcopo, & cæteris Episcopis in Hybernia Catholicis.

Ex tom. 2. concil. pag. 907.

QVIA charitati nihil est longè, quos diuidunt loca, iungat Epistola. Lator itaque præsentium ad beati Petri Apostolorum Principis limina veniens, fraternitatis vestræ se asseruit ad nos epistolas accepisse, easque in Hierosolymorum vrbe cum rebus quoque alijs perdidisse. In quibus sicut ipse ait, studuistis inquirere, sacerdotes ac plebes quæ Nestorianæ hæreseos errore confusæ sunt, cum ad matrem electorum omnium catholicam Ecclesiam reuertuntur, vtrum debeant baptizari, an certè solius vere fidei confessione eiusdem matris Ecclesiæ visceribus adiungi. Et quidem ab antiqua Patrum institutione didicimus, vt qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeũt, aut vnctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ reuocentur. Vnde Arianos per impositionem manus Occidens, per vnctionem vero S. Chrismatis ad ingressum S. Ecclesiæ Catholicæ Oriens reformat. Monophisitas verò & alios ex sola vera cõfessione recipit: quia sanctum baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis

A nis recipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum sanctū acceperint, vel isti propter professionem vere fidei sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ visceribus fuerint vniti. Hi vero hæretici qui in Trinitatis nominn minimè baptizantur, sicut sunt Bonosiani & Cathaphrigæ, quia & illi Christum Dominum non credunt, & isti sanctum Spiritum peruerso sensu esse quendam prauum hominem Montanum credūt, quorum similes multi sunt, & alij tales cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur: quia baptisma non fuit, quod in errore positi in sanctæ Trinitatis nomine minimè perceperunt. nec potest hoc ipsum iteratum dici baptisma, quod sicut dictum est in Trinitatis nomine nō erat datum. Nestoriani verò quia in sanctæ Trinitatis nomine baptizantur, sed eos B Iudaicæ perfidiæ similes, Incarnatione Vnigeniti nō credentes, suæ hæreseos error obscurat. Et ideo ad sanctam Ecclesiam Catholicam venientes de vere fidei firmitate & confessione docendi sunt, vt vnum eūdemq; Dei & hominis filium, Deum Dn̄m nostrū Iesum Christum credant &c. Sancta itaque Trinitas orantes pro nobis sua vos protectione custodiat, vobisque in amore suo dona adhuc multipliciora concedat.

APPELLATIO SECVNDA.

Pro instituendis ac ordinandis Ecclesiasticis dignitatibus.

Gregorius Augustino Episcopo Anglorum.

CVM certum sit pro omnipotente Deo laborantibus ineffabilia æterni regni præmia reseruari: nobis tamen eis necesse est honorum *Ex tom. 2. Conc. pag. 941.* C beneficia tribuere, vt in spiritalis operis studio ex remuneratione valeāt multiplicius insudare. Et quia noua Anglorum Ecclesia ad omnipotētis Dei gratiam eodem Domino largiente, & te laborante perducta est, vsum tibi pallij in ea ad sola missarum solemnia agenda concedimus, itaut per loca singula duodecim Episcopos ordines, qui tuæ ditioni subiaceant: quatenus Londoniensis Episcopus ciuitatis semper in posterum à synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium, ab hac sancta & Apostolica, cui auctore Deo deseruio, sede percipiat. Ad Eboratam vero ciuitatem te volumus Episcopum mittere, quem ipse iudicaueris ordinandum: itaut si eadem ciuitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim Episcopos ordinet, vt Me- D tropolitani honore perfruatur: quia ei quoque si vita comes fuerit, pallium tribuere Domino fauente proponimus, quem tamen tuæ fraternitatis volumus dispositioni subiacere. Post obitum vero tuum ita Episcopis quos ordinauerit præsit, vt Londoniensis Episcopi nullo modo ditioni subiaceat. Sit vero inter Londoniæ & Eboracæ ciuitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio, vt ipse prior habeatur qui prius fuerit ordinatus &c. Tua ergo fraternitas nō solum eos Episcopos quos ordinauerit, neque eos tantummodo qui per Eboracensem Episcopum fuerint ordinati, sed etiam omnes Britanniæ sacerdotes habeat Domino Deo nostro auctore subiectos: quatenus ex vita & lingua tuæ sanctitatis

tis, & rectè credendi & benè viuendi formam percipiant, atque officium ſuum fide ac moribus proſequentes ad cœleſtia, cum Dominus voluerit, regna pertingent. A

APPELLATIO TERTIA.

Anno Domini 640. Ioannes natione Dalmata ad Pontificale munus in Romana Petri Cathedra exequendum aſſumptus fuit: qui à Scotiæ in Anglia Epiſcopis appellationem recipiens, diffinitiuam ſententiam vna cum Rom. Clero per ſequentem tradidit epiſt.

Ex tom. 2. Conc pag. 1029.

Dilectiſſimis & ſanctiſſimis Thomiano, Colnmbano, Cromano, Dimano, & Bathano Epiſcopis: Chromano, Hermannoque, Lanſtrano, & Stellano, & Segiano Præsbyteris: Sarano, cæteriſque doctoribus ſeu Abbatibus Scotis: Hilarius Archipræsbiter & ſernans locum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, Ioannes Diaconus & in Dei nomine electus, item Ioannes Primicerius & ſeruans locum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & Ioannes ſeruus Dei Conſiliarius eiuſdem Apoſtolicæ ſedis.

SCripta quæ per latores ad ſanctæ memoriæ Seuerinum Papam adduxerunt, eo de hac luce migrante reciproca reſponſa ad ea quæ poſtulata fuerant, ſiluerunt. Quibus reſeratis, ne diu tantæ quæſtionis caligo indiſcuſſa remaneret, reperimus quoſdam prouinciæ veſtræ cōtra orthodoxam fidem, nouam ex veteri hæreſim renouare conantes, Paſcha noſtrum in quo immolatus eſt Chriſtus, nebuloſa caligine refutantes, & quattadecima Luna cum Hebræis celebrare nitentes. Quo epiſtolæ principio &c. ex Beda l. 2. cap. 19. B

APPELLATIO. QVARTA.

Anno Domini 847. Leo Quartus patria Romanus Pontificale munus ſubijt: cui Britanniæ Epiſcopi Appellationem direxerunt, pro qua decidenda hanc eis tribuit epiſt.

Leo, omnibus Renerendiſſimis & ſanctiſſimis confratribus Britannicæ gentis Epiſcopis. C

Ex tom 3. Conc. pag. 619.

QVanto ſtudio, quantaque ſolertia gregem vobis à Domino commiſſum paſcitis, diuiniſque fouetis edulijs, nobis directa ſcripta reſeruarunt &c. Legationem denique communem omnium Epiſcorum Reuerendiſſimorum nobis propoſitam delinquentes, qui turpiſſimo lucro columbam in templo Domini vendere non pertimeſcunt, & & in ſui acta improba temeritate Simonis hæreſeos coniūgentes, vtrū poſſint in ordine pœnitententiam agere, aut tantummodo extra ordinem & ſacerdotalem fieri gradum: quod nos, qui à Deo conuicti, & tam deteſtabile nefas, quod iam multis eſt damnatum Conſilijs peregiſſe cognoſcitur, non pœnitentia poſſumus illis ſubuenire, & tantis ſpiritalibus Patribus obuiare: ſed in illorum patrum ſententia conuenire omnibus certum ſit: ita tamen, vt omnia in Concilijs ſint Epiſcop. D Nam nullam damnationem Epiſcoporum eſſe vnquam cenſemus, niſi aut ante legitimum numerum Epiſcoporum, qui fit per duodecim Epiſcopos, aut certè probata ſententia per idoneos teſtes, qui tales ſint, qui & accuſare poſſint, & prius ad ſacra Chriſti quatuor Euangelia ſacramenta præſtent, quod nil falſum depromant. Et ſi inter eos quos damnatos eſſe dixerint homines, fuerit Epiſcopus, qui ſuam cauſam in præſentia Romanæ ſedis Epiſcopi petierit, nullus ſuper illum finitiuam dare ſententiam præſumat, ſed omnino eum audire decernimus. De-

Digitized by Google

A cætero verò quid no bis apicibus vestris factum est clarum, quid vel qualiter de ipsis Capitulis interrogatis debeam respondere. Vnde præcibus vestris annuere curauimus, & singillatim quid agendum est, siue exposito à S. Patribus, siue more antiquitus tradito curauimus demonstrare. Primo quidem capitulo dictum &c.

APPELLATIO QVINTA

Anno Domini 872. Ioannes Octauus Romanum Pontificatum adeptus est, quem Archiepiscopus gentis Anglorum apppellauit: decisionem autem appellationis sequens epistola complectitur.

Reuerendissimo & sanctiss. confratri nostro Ederedo Archiepiscopo Gentis Anglorum.

VEstris relectis apicibus, quanta vere dilectionis & sinceritatis fides, qua Christum Deum vestrum, proximumque diligitis, in Ex tom. 3. Conc. pag. 942.
B vobis consistat, & pia deuotione circa sedem Apostolicam ferueat; euidenti dumtaxat intellectu perspicimus: cum more antecessorum vestrorum, & causas vestræ Ecclesiæ necessarias nostro præsulatui, quasi suo doctori referre, & à sede Apostolica super quibusdam suis quas patitur aduersitatibus consultum, & auctoritatis munimen accipere quæsistis &c. Nos tamē pro instantis temporis necessitate hortamur, & monemus fraternitatem vestram, vt omni sæculi timore post posito, sicut idoneus Dei minister opponas te murum pro domo Domini, & zelo illius accensus, non solum Regi, sed omnibus in ea peruersè aliquid agere volentibus, strenuè resistere non prætermittas, honorificans ministerium tuum, quamdiu diuina fineris voluntate summo sacerdotio
C fungi, populumque Domini tibi commissum sanctæ doctrinæ pabulò pascere, sacerdotes scilicet & Ecclesiasticos viros ac fœminas, necnon viduas & sanctimoniales iuxta ordinem suum pro viribus regere, tuerique vt pastor idoneus coram Domino appareas, prompta mente procures: quoniam nos Apostolicæ sedis apicibus admonere exhortarique curauimus Regem vestrum, vt tibi pro Iesu Christi Domini nostri amore in omnibus, quæ sanctæ Ecclesiæ tibi commissa vtilia sunt, obediens & adiutor deuotus, sicut antecessores suos pijssimos Reges Anglorum (narrante historia) fuisse recolimus, existere non prætermittat: si & Regnum sibi temporaliter concessum voluerit retinere securum, & vitam post modū regni percipere sempiterni. His autē quos asseris vxores
D proprias contra pręceptū Dñi relinquere, pręcipimus, neq; virū ab vxore neq; vxorē à viro, nisi causa fornicationis discedere: quod si ob hoc discesserit, manere innuptū vel innuptā aut sibimutuo reconciliari, &c.

Hæc ad Anglicanæ Ecclesiæ erga Romanam Cathedram subordinationem ac subiectionem demonstrandam satis sint: suæ enim fidei primordia Anglia à Petri sede sumpsit, statum ac religionis augmentum ab ipsa pariter accepit; superest itaq; vt Angli vel hoc idem tenere debeant institutum, vel notam parricidij fœdissimam sustineant, dum à suorum parentum magisterio ab errare contendunt. Si autem dixerint se Patrum suorum meliorē suscepisse religionem: meminerint quæ sapiens docuit: *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt Patris tui.* Ergo Christi Dñi perpendant, doctrinā quam signis & prodigijs Apostolorum more Gregorius Rom. Pont. per Bonifacium monachum & postea Episc. olim eis annunciauit: & ab ea quam nouissimis temporibus sibi confinxerunt maximè distare proculdubio dignoscent. catholicāq; religionem se non amplius habere simul etiam intelligent. errores autē quos nunc tēporis Angli Patrocinātur, priori tomo impug. ac repulimus. Prou. 22.

DISPVTATIO DECIMA
A

DE APPELLATIONIBVS ECCLESIÆ ITALICÆ.



TALIA Europæ nobilis Prouincia, Romano Imperio clara, & Christiana humilitate ac religione ob Petri Cathedram clarior: sic disponente Deo [Qui mutat tempora & ætates, transfert Regna atque constituit.] Primum super vniuersum Orbem tempore regimen, postmodum cælestem ab Altissimo accepit potestatem. Quod Leo Bont. Apostolorum natalem recolendo, non sine animi stupore perpendens, inquit: [Isti sunt qui te ad hanc gloriam prouexerũt, vt gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis & Regia, per sacram beati Petri sedem caput Orbis effecta, latiùs præsideres religione diuina quàm dominatione terrena. quàmuis enim multis aucta victorijs, ius imperij tui terra marique protuleris, minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.] Veritas autem hæc eos minimè concitat in inuidiam, qui Diuinæ prouidentiæ filiali dilectione subijciuntur, & cælesti nutui ex animo obtemperant: quique huius supremæ dignitatis indiscriminatim animaduertunt omnes esse participes: immo dignas Deo laudes persoluentes, cum Turbis sequacibus Saluatoris aiunt: [Benedictus Deus qui potestatem talem dedit hominibus.] Matth. 9.

Dan. 2.

Serm. 1. de nat. Petri & Pauli.

B

C

Hæc igitur de qua loquimur ingenua Natio, quæ prius Gentilium superstitionibus obuoluta, magnam sibi videbatur assumpsisse religionẽ, quia cæterarum Gentium nullam respuebat falsitatem, postea Christi superfusa lumine, Imperantium cæcitate depulsa, sic Saluatoris Vicario se humiliter subdidit, vt tanta fuerit olim ad Orbem sibi ferro subijciendum animi elatio, quanta deinceps ad obediendum Galilęo Piscatori humilitas extiterit admiranda. Hoc verò obsequium, quod Italia Petri Cathedræ æquo animo exhibuit, ipsi largita non fuit, sed Diuinis mandatis obtemperans, quæ exequuta est debuit operari: quod à nobis est rationibus demonstrandum, quemadmodum de cæteris Orbis nationibus nuncusque luculenter ostendimus. Idcircò. D

Dicimus, Ecclesiam Italicam Romanæ Petri Cathedræ, sicut ouis Pastori suo, subiectam esse. Probatur, cuicunque ab alijs, accedente occasione, fieri debent Appellationes ad vltimam controuersiarum obtinendam decisionem, eidem pariter tanquam supremo iudici & principi in illo ordine, appellans subiectus est & subditus: sed Ecclesia Italica de facto ab initio sic Romanam Petri Cathedram appellauit, ergo Ecclesia Italica Romanæ Petri Cathedræ, vt ouis Pastori suo, subiecta est. Maior est euidens: minor probatur per ea quæ facta sunt, seu per Appellationes iam actu exhibitas.

De

Digitized by Google

A Prima Ecclesiæ Italicæ ad Romanam Petri Cathedram Appellatio.

Anno Domini 104. Anacletus natione Græcus Pontificatus apicem adeptus est. Italiæ Episcopi appellationem deferentes, hanc eis decisiuam protulit sententiam.

Anacletus Episcopus, vniuersis Episcopis in Italia constitutis.

QVoniam Apostolicæ sedis debitam reuerentiam erga me charitas vestra distribuit, & quia plurimum venerationis chatissimi filij præbuistis (nam licet Ecclesiæ, in qua sanctus Apostolus residens docuit, quodammodo nos gubernacula teneamus, tamen profitemur nos honore & sanctitate minores esse, & propterea omninò festinamus, vt ad gloriam eius beatitudinis peruenire possimus) igitur consultationibus vestris plenius respondissemus, si licuisset: sed infirmitatis ac reliquarum oppressionum onere pressi, breuiter (prout Dominus tribuit, & B vt à beato Petro principe Apostolorum sumus instructi, à quo & presbiter sum ordinatus) scribere vobis (sicut petistis) non denegauimus. Ordinationes Episcoporum, auctoritate Apostolica ab omnibus qui in eadem fuerint Prouincia, Episcopis sunt celebrandæ. Qui simul conuenientes, scrutinium diligenter agant, ieiuniumque cum omnibus celebrent precibus, & manus cum sanctis Euangelijs, quæ prædicaturi sūt, imponentes, Dominica die, hora tertia orantes, sacraque vnctione, exemplo Prophetarum & Regum, capita eorum (more Apostolorum & Mosis) vngentes, quia omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis, sancto Chrismati est permixta, & hoc ritu solemnem celebrent ordinationem, &c. Reliqui verò Sacerdotes à pro- C prio ordinetur Episcopo, itaut ciues & alij sacerdotes assensum præbeant, & ieiunantes ordinationem celebrent &c. Accusatio quoque eorum, super qua nos consulere voluistis, non nisi ab idoneis & probatissimis viris, qui & suspicionibus & sceleribus careant, fieri debet: quia Dominus sacri sui corporis tractatores, à vilibus & reprobis ac nō idoneis personis infamari noluit, nec calumniari permisit, sed ipse proprio flagello peccantes sacerdotes à templo eiecit. Vnde liquet quod summi sacerdotes, idest Episcopi à Deo sunt iudicandi, non ab humanis aut prauæ vitæ hominibus lacerandi &c. Nullus enim (vt reor) inuenitur inter nos, qui velit suum seruum ab alio quam à se iudicari &c. Hæc & alia pericula considerantes Apostoli, statuerunt, ne facilè com- D mouerentur, aut lacerarentur vel accusarentur columnæ S. Dei Eccl. quę Apostoli & successores eorum non immeritò dicuntur, &c. Hæc ab antiquis, hæc ab Apostolis, hæc à sanctis Patribus accepimus, vobisq; (vt postulastis) rimanda, & futuris tenenda temporibus mittimus, & reliquis fratribus prædicanda, ac cunctis fidelibus, tradēda mandamus, ne pastorum imperitia, qui sequuntur deteriores fiant &c.

Ex tom. 1. Conc. pag. 101.

Digitized by Google

APPELLATIO SECVNDA. A

Anno Domini 175. Soter natione Campanus & patria Fundanus, super Petri Cathedram sedens, Italiæ Episcopis hanc decisiuam sententiam, ob quorundam appellationem ipsi exhibitam, obtulit.

Dilectissimis fratribus per Italiæ Prouincias sanctis constitutis Episcopis, Soter Papa.

Ex tom. 1 concil. pag. 118.

DIuinis præceptis & Apostolicis monitis informamur, vt pro omnium Ecclesiarum statu, impigro vigilemus affectu: at si quid vsquam reprehensioni inuenitur obnoxiũ, celeri solicitudine, ab ignorantiæ imperitia & præsumptionis vsurpatione reuocemus. Sacratas Deo fœminas vel monachas, sacra vasa vel sacratas pallas penes vos cõtingere, & incensum circa altaria deferre, perlatum est ad Apostolicam sedem, quæ omnia reprehensione & vituperatione plena esse, nulli rectè sapientium dubium est. Qua propter huius sanctæ sedis auctoritate, B hæc omnia vobis resecare funditus, quanto citius poteritis, censemus: & ne pestis hæc latius diuulgetur per omnes prouincias, abstergi citissimè mandamus &c.

APPELLATIO TERTIA

Anno Domini 367. Damasus natione Hispanus Petri Cathedram regere cœpit: quem ex Italia nonnulli appellantes, hanc ad omnes eiusdem Prouinciæ Episcopos pro Appellationis resolutione epistolam direxit.

Vniuersis Episcopis per Italiæ prouincias constitutis, Damasus Episc. in Domino salutem

OPtaueram dilectissimi, pro nostri charitate collegij, omnes Domini sacerdotes, sicut in primitiua fuit Ecclesia, vnum esse cor & animam vnam &c. Relatum est enim ad sedem Apostolicam, vos accusationes fratrum per scripta suscipere absque legitimo accusatore. C Quod deinceps in omni orbe terrarum fieri, Apostolica auctoritate prohibemus: & quod nuper factum est, absque vlla retardatione corrigi rogamus: nec vnquam prius per scripta, eorum qui accusantur, causam discutere liceat, quam per quærulantium institutiones vocati canonicè, ad synodum veniant, & præsens per præsentem agnoscat veraciter & intelligat quæ ei obijciuntur &c. Similiter & qui alium accusare elegerit, præsens per se & non per alium accuset, inscriptione videlicet præmissa. Neque vllus vnquam iudicetur, antequam legitimos accusatores præsentes habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina &c.

APPELLATIO QVARTA. D

Anno Domini 402. Innocentius Primus Romanus Pontifex Decentio Episcopo Eugubino in Italia sedem Apostolicam appellanti, sequentem decisiuam epistolam tradidit.

Innocentius Decentio Episcopo Eugubino salutem.

SI instituta Ecclesiastica, vt sunt à beatis Apostolis tradita, integra vellēt seruare Dñi sacerdotes, nulla diuersitas, nulla varietas in ipsis ordinibus & consecrationibus haberetur &c. Quis enim nesciat aut nõ aduertat, id quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari, nec super induci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat,

aut

A aut aliunde accipere mereatur exemplum? præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Aphricam atque Siciliam, insulaque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus aut eius successores, constituerint sacerdotes? &c. Sæpè dilectionem tuam ad Vrbem venisse, ac nobiscum in Ecclesia conuenisse, & quem morem vel in consecrandis mysterijs, vel in cæteris agendis arcanis teneat, cognouisse dubium nō est. Quod sufficere ad informationem Ecclesiæ tuæ vel reformationem satis certum haberem, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxisses. Quibus idcirco respondemus, non quod te aliqua ignorare credamus, sed vt maiori auctoritate vel tuos instituas, vel si qui à Romanæ Ecclesiæ B institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas, vt scire valeamus qui sint, qui aut nouitates inducunt, aut alterius Ecclesiæ quam Romanæ existimant consuetudinem esse seruandam, &c. His ergo, frater charissime, omnibus quæ tua dilectio voluit à nobis exponi, prout potuimus, respondere curauimus, vt Ecclesia tua Romanam consuetudinem, à qua originem ducit seruare valeat atque custodire &c.

APPELLATIO QVINTA

Cælestinus Papa anno Domini 429. ad Apuliæ & Calabriæ Episcopos sequentem dedit epistolam, in qua diffinitiuam sententiam ad quorundam dirimendam Appellationem tradidit.

Cælestinus vniuersis Episcopis per Apuliam & Calabriam constitutis.

C NVlli sacerdotum suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere quod patrum possit regulis obuiare &c. Audiuimus quasdam proprijs destitutas rectoribus ciuitates, Episcopos sibi velle petere de laicis, tantumque fastigium tam vile credere, vt hoc his qui non Deo, sed sæculo militauerint, æstiment nos posse conferre, non solum malè de suis clericis (in quorum contemptum hoc faciunt) iudicantes, sed de nobis pessimè, quos credunt hoc posse facere, sentientes, &c. Talibus itaque fratres charissimi, qui iuris nostri, idest canonum gubernacula custodimus, necesse est obuiemus: hisque fraternitatem vestram epistolis commonemus, ne quis laicus ad ordinem clericatus admittat & sinat fieri, vnde & illum decipiat, & sibi causas generet, D quibus reus constitutis decretalibus fiat. Docendus est populus non sequendus. Nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidue non liceat commonere, non his consensum præbere debemus. Quisquis verò conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram Apostolicæ sedis minimè defuturam. Quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per seueritatem congruentem regulis vindicemus. Per totas ergo hoc (quæ proprijs rectoribus carent) Ecclesias volumus innotescat, vt nullus sibi spe aliqua forsitan blandiens illudat. Data 12. Kal. Augusti, Florentio & Dionysio viris clarissimis Consulibus.

APPELLATIO SEXTA A

Leoni Romano Pontifici à Niceta Aquileienſi Epiſcopo exhibita: pro cuius deciſione hanc illi direxit Epiſtolam.

Leo Epiſcopus Nicetæ Aquileienſi Epiſcopo ſalutem.

Ex tom. 1. Conc. pag. 981. REgreſſus ad nos filius meus Adeodatus, diaconus ſedis noſtræ dilectionem tuam popoſciſſe memorauit, vt de his à nobis auctoritatem Apoſtolicæ ſedis acciperes, quæ quidem magnam difficultatem dijudicationis videntur afferre. Sed pro inſpectione temporalium neceſſitatum adhibenda curatio eſt, vt vulnera, quæ hoſtilitatis aduerſitate illata ſunt, religionis maximè ratione ſanentur. Cum ergo per bellicam cladem, & per grauiſſimos hoſtilitatis incurſus, ita quædam dicatis diuiſa eſſe coniugia, vt abductis in captiuitatem viris, fœminæ B eorum remanſerint deſtitutæ, quæ viros proprios aut interemptos putarint, aut nunquam à dominatione crediderint liberandos, & ad aliorum coniugium, ſolitudine cogente tranſierint, cumque nunc in ſtatu rerum, auxiliante Domino, in meliora conuerſo, nonnulli eorum qui putabantur periſſe, remeauerint: meritò charitas tua videtur ambigere, quid de mulieribus quæ alijs iunctæ ſunt viris, à nobis debeat ordinari. Sed quia nouimus ſcriptum, quod à Deo iungitur mulier viro, & iterum præceptum agnouimus, vt quod Deus iunxit homo non ſeparet: neceſſe eſt, vt legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, & remotis malis quæ hoſtilitas intulit, vnicuique hoc quod legitimè habuit, reformetur: omnique ſtudio procurandum eſt, vt re- C cipiat vnuſquiſque quod proprium eſt, &c. His verò de quibus dilectio tua ſimiliter nos credidit conſulendos qui ad iterandum baptiſmum, &c. Hanc autem epiſtolam noſtram, quam ad conſultationem tuæ fraternitatis emiſimus, ad omnes fratres & comprouinciales tuos Epiſcoſ-
Anno D. 458. pos facies peruenire, vt omnium obſeruantiæ datæ profit auctoritas. Data 12. Kal. Aprilis Maioriano Aug. primùm Conſule.

APPELLATIO SEPTIMA

Eidem Leoni Romano Pontifici aduerſus Nicetam Aquileienſem Epiſcopum à Septimio Epiſcopo tradita: ad quam iudicandam ſequentem adhibuit epiſtolam.

Leo Epiſcopus Romæ, Nicetæ Aquileienſi Epiſcopo.

Ex tom. 1. Conc pag. 988. RElatione ſancti fratris & coepiſcopi noſtri Septimij, quæ in ſubditis habetur agnouimus quoſdam præsbiteros, diaconos, ac diuerſi ordinis clericos, quos Pelagiana vel Cœleſtiana hæreſis habuerit D implicatos, ita in veſtra prouincia ad communionem catholicam perueniſſe, vt nulla ab eis damnatio proprij exigeretur erroris, & paſtoralibus excubijs nimium dormitantibus, lupos ouium pellium tectos, in ouile Dominicum non depoſitis beſtialibus animis introiſſe: & quod per auctoritatem canonum decretorumque noſtrorum, ne inſontibus quidem conceditur vſurpaſſe, vt relictis Eccleſijs, in quibus clericatũ aut acceperant aut receperant, inſtabilitate ſua per diuerſa circumfe-

tantur

A rantur, amantes semper errare & nunquam in fudamento Apostolico permanere, &c. Ne ergo hoc vlterius audeatur, ne ve per quorundam negligentiam introducta pernicies ad euersionem multarum tendat animarum, hoc nostri auctoritate præcepti industriæ tuæ fraternitatis indicimus, vt congregata apud nos synodo prouincialium sacerdotum, omnes siue præsbiteri, siue diaconi, siue cuiuscunque ordinis clerici, qui de Pelagianorum Cœlestianorumque cōsortio in communionem catholicam ea imprudentia sunt recepti, vt non prius ad damnationem sui coarctarentur erroris, nunc saltem, posteaquam hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ & ipsis prodesse, & nullis possit nocere, cogantur, &c. Non autem dubitet dile-
B ctio tua, nos si (quod non arbitramur) neglecta fuerint, quæ pro custodia canonum & pro fidei integritate decernimus, vehementius commouendos: quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesque rectores, qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.

APPELLATIO OCTAVA

Eidem Leoni Papæ à Foroiuliensi Episcopo directa, quam sequenti epistola decidit.

Dilectissimo fratri Theodoro Episcopo, Leo Episcopus.

C SOlicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitus de eo quod quærendum videbatur esse, conferres: ac si id quod ignorabat dilectio tua etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis: qnia in causis quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, sine primatibus nihil oportet inquiri. Sed vt quoquo modo instruatur ambiguitas consulentis, quid de pœnitentium statu Ecclesiastica habeat regula non tacebo &c. Multum enim vtile ac necessarium est vt peccatorum reatus ante vltimum diem sacerdotali supplicatione soluatur. his autem qui in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia præsidium pœnitētiæ & mox
D reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, &c. Hæc autem frater charissime quæ ad interrogationem dilectionis tuæ ideo respondi, ne aliquid contrarium sub ignorantiæ excusatione gereretur in Metropolitani tui notitiam facies peruenire, vt si qui fortè sunt fratrum, qui de his antea putauerint ambigendum, per ipsum de omnibus quæ ad te scripta sunt, instruantur. Data 4. Idus Iunij Herculano viro clarissimo Consule.

Ex tom. 1. Conc. pag. 993.

Anno D. 452.

APPEL-

Digitized by Google

APPELLATIO NONA

Leoni Papæ ab Episcopis Siciliæ missa pro qua decidenda hanc dedit epistolam.

Leo Papa vniuersis Episcopis per Siciliam constitutis, in Domino salutem.

Ex tom. 1. Conc. pag. 1006. OCcasio specialium querelarum, curam nobis prouidentiæ generalis indicit, vt quod in duabus prouinciæ vestræ Ecclesijs improbè gestum, iniusteque præsumptum est: id constitutione perpetua ab omni Episcoporum vsurpatione resecemus. Tauromenianis enim clericis, Ecclesiæ deplorantibus nuditatem: eoquòd omnia eius prædia vendendo, donando, & diuersis modis alienando, Episcopus dissiparet: etiam Panormitani clerici, quibus nuper est ordinatus antistes, similem querimoniarum, in sancta synodo cui præsidebamus, de vsurpatione prioris Episcopi causam detulerunt. Quamuis ergo ordinatum à nobis sit, quemadmodum vtriusque Ecclesiæ vtilitatibus consulatur; ne tamen hoc perniciosum nequissimæ deprædationis exemplum cuiquam posthac fiat imitabile, hanc præcepti nostri formam apud dilectionem vestram volumus esse perpetuam, qua sine exceptione decernimus, vt ne quis Episcopus de Ecclesiæ suæ rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere: nisi fortè ita aliquid horum faciat, vt meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. Nam presbyteri, vel diaconi, aut cuiuscunque ordinis clerici, qui conniuentiam in Ecclesiæ damna miscuerint, sciant se & ordine & communione priuandos: quia plenum iustitiæ est, fratres carissimi, vt non solum Episcopi, sed etiam totius cleri studio, Ecclesiasticæ vtilitatis incrementa seruentur, & eorum munera illibata permaneant quæ pro animarum suarum salute, fideles de propria substantia Ecclesijs contulerunt. Data 11. Kalend. Nouembris Calypio V. C. Consule.

APPELLATIO DECIMA

Anno Domini 492. Gelasius natione Afer, Petri sedem obtinuit, cui Ioannes Rauennatis Ecclesiæ Episcopus, pro deprauatis in Italia Ecclesiæ moribus ob barbarorum ingluuiem, qui armis vniuersam Italiam subigerant, ac eiusdem ingenuitatem deturpauerant, appellationem proponens, hanc iudicialem protulit sententiam.

Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis per Lucaniam & Brutios & Siciliam constitutis, Gelasius.

Ex tom. 1. concil. pag. 143. NEcessaria rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ sedis moderamine conuenimur, sic canonum paternorum decreta librare, & retro præsulum decessorumque nostrorum præcepta metiri, vt quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesijs relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quontum potest fieri temperemus: quò nec in totum formam veterum videamur excedere

re-

A regularum, & reparandis militiæ clericalis officijs, quæ per diuersas Italiæ partes ita belli famisque consumpsit incursio, vt in multis Ecclesijs (sicut fratris & coepiscopi nostri Ioannis Rauennatis Ecclesiæ sacerdotis frequenti relatione comperimus) vsquequaque deficiente seruitio ministrorum, nisi remittendo paulisper Ecclesiasticis promotionibus antiquitus interualla præfixa remaneant (sine quibus administrare nequeant) sacris ordinibus Ecclesiæ funditus destitutæ: atque in plurimis locis per inopiam competentis auxilij, salutare subsidium redimendarum desit animarum: nosque magno reatu, si tanto coarctante periculo, non aliquatenus videamur innecti, &c. Vt si quis etiam de religioso proposito, & disciplinis monasterialibus eruditus, ad clericale
B munus accedat, &c. Si verò de laicis quispiam Ecclesiasticis est aggregandus officijs, &c.

APPELLATIO VNDECIMA

Anno Christi Domini. 872. Ioannes Octauus Romani Pontificatus apicem adeptus fuit. quem Occidentis Imperator aduersus Veronensem Episcopum appellauit: pro cuius Appellationis decisione hanc tradidit sententiam.

Ioannes Episcopus ad Imperatorem.

SAcris vestræ Imperialis clementiæ auribus gloriosissime Imperator Auguste, Adelardi Veronensis Episcopi inobedientiam & temerariam præsumptionem, quam non solùm in nostro contemptu, sed Ex tom. 3. Conc. pag. 937.
C etiam in vestræ celsitudinis peregit iniuriam, præsentibus referre apicibus iure curauimus, & meritò: nam superna vos maiestas sanctæ suæ Ecclesiæ nobis commissæ patronum, inuictum defensorem, potentem & strenuum adiutorem concessit, vt in omnibus Ecclesiasticis vtilitatibus, vnde perpetuam habere gloriam mereamini, quasi vindicem Dei habeamus ministrum. Igitur cum eundem Adelardum Episcopum, venerabile monasterium Nouantulæ situm quod pro Dei, tantique loci reuerentiam, nullus vquam Episcoporum, vel iudicum in beneficium quæsiuit, timorem diuinum paruipendendo, contra sacras Prædecessorum nostrorum, nostrique priuilegij institutiones, quibus de propria semper congregatione Abbatem fieri iubetur, callidè petijsse, ac
D per hoc illicita præsumpsisse, omnimodis reperissemus: authoritate Apostolica eum excommunicare studuimus, vt eaque ipse tenere canonicis cum correptionibus, prout nobis auctoritas Apostolica suffragatur, proculdubio arguemus vt digno verbere castigatus, & canonico nexu ligatus obedientiam discat seruare qui absolutus Ecclesiasticis atque canonicis noluit obedire præceptis. Dat. &c.

AP-

APPELLATIO DVODECIMA A

Ioanni Papæ Octauo contra Mediolanensem Archiepiscopum exhibita : pro qua iuste decidenda, eundem excommunicauit.

Ex tom. 3. concil. pag. 979.

ANSPERTVM Mediolanensem Archiepiscopum quem Papiæ existentes, & postmodum ad synodum, Romæ pro multis Ecclesiarum Dei necessitatibus collectam vocauimus, nec per se occurrere, nec excusationem suam secundum sacros canones, &c. causa temeritatis, & inobedientiæ dirigere nolentem, virtute sancti Spiritus, & principum Apostolorum Petri ac Pauli nostraque authoritate, cum consensu sanctæ synodi, corpore & sanguine Domini nostri IESV CHRISTI priuamus, quousque suam nobis præsentiam exhibere procuret. Dat. &c. B

Præmissæ duodecim Appellationes ad Italiæ erga Petri cathedram obsequium patefaciendum sufficiant: nec ad id demonstrandum vlteriori studio opus est. vtinam huius sedis muricem, Italica lance, Græcorum gentes, ac omnes Teutonum oræ librare decernerent, quia à CHRISTI ouili non abirent: sed gaudent conniuentia, & diro delectantur Auerno: Qui cuncta disponit præbeat intellectum. Amen.



INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM
Quæ in hoc volumine continentur.

A



a

Appel-

Digitized by Google

Digitized by Google

B

C

Con-

D

Dispu-

Digitized by Google

Digitized by Google

Inscrip-

M

Digitized by Google

Pela-

T

FINIS.



Errata	Corrige Libro primo.
Pagina 2. litera D. Ennomium.	Eunomium.
pag. 6. D. manifestere	manifestè.
pag. 11. B. Constantino	Constantio.
pag. 14. C Dialologis.	Dialogis.
pag. 15. D. discendamus.	descendamus.
pag. 30. D. Concilijs.	Concilij.
pag. 50. B. aduersarijs.	aduersarij.
pag. 50. D. Persona.	personas.
pag. 64. D. plenius	plenus.
pag. 71. sexta	sextam.
pag. 81. C. tertiam	tertia.
pag. 82. C. alium	tertia.
pag. 83. C. sententiam (bis)	sententia.
pag. 85. C. ne	nec
pag. 92. A. hac	hæc.
pag. 92. A. doctrinæ	doctrina.
pag. 97. A. architecto	architecto:
pag. 99. C. autq;	atq;
pag. 99. minuis	minus.
pag. 105. B. non	nam.
pag. 106. B. perspicitate.	perspicacitate.
pag. 108. D. ob	ab
pag. 111. A. sufficiens	sufficientem.
ibidem B. particularim	particularium.
ibidem C. contiget	continget.

LIBER SECVNDVS

pag. 7. C. popoli	populi.
pag. 8. synodum	synodorum.
pag. 21. mentem	mentis.
pag. 30. beatitudinis	beatitudinem.
pag. 41. mortem	morem.
pag. 48. vniuersalis	vniuersali.
ibidem. vestra	vestram.
ibidem. nepulam	nebulam.
pag. 34. alijs	alij.
pag. 50. diaconus	diaconos.
pag. 53. reo	reos.
pag. 53. potius	portus.
pag. 55. iusta	iuxta.

pag.

pag. 60. ipſe	ipſis.
ibidem fuerat	fuerant.
pag. 65. ſucceſſore	ſucceſſere.
pag. 70. agen	agendum.
ibidem. ſubrebat	ſubrepat.
pag. 74. Hinc	Hic.
pag. 92. vt	&
pag. 105. B. dicimus	didicimus.
pag. 107. C. ſuper	ſuper quem.
pag. 123. D. ſin	ſi
pag. 125. D eligitur	elicitur.
pag. 126. A. debeant	debebant.
pag. 134. D. cum	cum hoc.
pag. 135. A. oſtendunt	oſtendant.
pag. 135. A. ambigeret	non ambigeret.
pag. 136. A. extinta	extincta.
pag. 142. B. ſin	ſic.
pag. 151. D. impendiebar	impediebar.
pag. 257. A. ſanam	ſedis.
pag. 152. B. Reccardus	Reccaredus.
pag. 157. D. ſuo	ſuæ.
ibidem. deſtinationem	deteſtationem.
pag. 166. C. exiſtitit	exiſtit.
pag. 169. D. necocij	negocij.
pag. 168. B. ſententia	ſententiam.
pag. 169. B. veſtræ	veſtra.
pag. 171. B. requæſitus	requiſitus.
pag. 172. C. tuis	tuus.

R E G E S T V M.

* A B C D E F G H I K L M N O

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ. Aa Bb Cc abc





ROMÆ, Apud Franciſcum Albertum Tanum. 1649.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

